image
not
available

BIBLIOTHEEK GENT
0089463

R.P. NICOLAI
AVANCINI
SOC. JESU.
COLONIÆ
Apud Io: Wilhelmum Frieſſem
Cum Privilegio Sac: Cæſ: Majeſtatis.
16[illegible]7

Digitized by Google

POESIS DRAMATICA NICOLAI AVANCINI,

E Societate IESV.

Pars III.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM WILHELMUM FRIESSEM,
Civem & Bibliopolam, 1680.

TYRANNIS
IDOKERDI
SEV
PRIVATI COMMODI,
Vulgò
INTERESSE
DICTI
TRAGOEDIA
Politico-Moralis;
Italico Idiomate scripta
A
FRANCISCO SBARRA:
Latinis Musis donatá
A
NICOLAO AVANCINO,
Societatis JESU.

ARGUMENTUM.

Voluntas, Regina Insulæ *Liberi Arbitrij*, Jura regni Sceptrumque cedit fratri suo *Intellectui*, persuasione *Virtutis* ejusdem Sponsæ. Princeps,

Privatum Commodum, abreptus famâ, quâ & *Voluntatis* eximia venustas, & Insulæ illius opulentia mirificè celebrabatur, ubi de eâ cessione factus est certior, decernit animo nihil non movere, ut *Voluntatis* affectum sibi demereatur; & anteoccupato connubio *Intellectus* molimina evertat, priusque regno potiatur, quàm *Intellectus* se in ejus possessione stabilitat. Idcircò mentito per habitum sexu, ignotus, sub nomine *Rationis Status*, unà cum *Malitia* maga sub nomine *Politicæ* (quam matrem suam fingit) assumptis in comitatum *Dolo* & *Hypocrisi*, in servum *Vitio*, in ancillam *Adulatione*, aulam ingreditur. Excipiuntur à *Genio Malo* Regis Consiliario, cujus ope ad aurem Regiam pervenit. Hic se exulem, infelicem, exutam regno Principem simulat. Movetur fictis ærumnis ad pietatem *Intellectus*; perhumaniter eam habet, polliceturque subsidium, ut deperdito regno potiatur. Illa igitur hoc obstricta beneficio, in grati animi obsequium Regi

gi ancillam ſuam *Adulationem*, ab arte Muſicâ inſignem, dono offert. Poſt hujus in ſecretiora cubicula abſceſſum, *Bonum Publicum*, Regni Secretarius, Regique confidentiſſimus ſuadet, ne *Rationem Status* ſuſpiciat. Concurrunt in eandem ſententiam Regina *Virtus*, *Sinceritas* primæ admiſſionis Herula, & *Genius Bonus*, Conſiliarius. Hæret anceps *Intellectus*. *Malitia* penetrat ſenſa *Boni publici*; & ne hic apud Regem prævaleat, ei mortem machinatur. Exequitur hoc per *Dolum* concubiâ nocte, nemine advertente; ejuſque vultu & habitu Dolum induit: unde hic ſub nomine *Boni publici* evadit primus Miniſter Regis. Hujus conſilijs poſt ejectas aulâ *Sinceritatem* & *Aſtræam*, ſubſtitutasque illis *Adulatione* & *Malitiâ*, admittitur ad conſilium Regium *Genius malus*, qui operâ veri *Boni publici* fuerat amotus. Demum *Ratio Status* occupato *Voluntatis* affectu, detegit ſe eſſe *Privatum Commodum*, ſeu *Intereſſe*, ejuſque nuptias ambit, quæ *Hypocriſeos* conſilio decernuntur

nuntur occulte celebrandæ. *Intellectus* jam captus amore *Rationis Status*, quam ignorat esse *Privatum Commodum*, agit per *Malum Genium*, ut & ipsa amori respondeat. *Genius Bonus* exprobrat Regi hos amores: sed Rex ejus dicendi libertate offensus, imponit ei silentium & secessum. Hac occasione *Genius malus* jacere incipit semina suspicionis de nimiâ *Reginam* inter & *Bonum Genium* familiaritate; quæ demum operâ *Mali Genij* in apertum odium erumpunt. Regina *Virtus* his afflicta confidit se *Hypocrisi*, quæ per simulationem se *Pietatem* esse fingebat: sed ab hac ipsa dolis irretitur; & à Rege, cooperante *Dolo* & *Malo Genio*, tam ipsa, quàm *Bonus Genius* ad mortem condemnantur. Solutus ergo Rex primo matrimonio, ad secundum aspirat cum *Ratione Status* ineundum. Hîc *Ratio Status* in arcto posita, ne deprehendatur esse *Privatum Commodum*, seu ut vocant, *Internosse*, consilium & auxilium *Malitiæ* implorat. Hæc in repentinâ necessitate, ut tempus nanci-

nanciſcatur ulteriora diſponendi', compo-nit ex ſublimato *Ignorantiæ* ſoporiferum po-culum; quod exhibitum *Intellectui*, eum le-thargo ſopit. *Privatum Commodum*, ſeu *In-tereſſe*, arripit hanc oportunitatem; aſſumit amictum Regium; occidit *Intellectum*, cap-tivat *Voluntatem*; & fultus auxiliis *Doli*, *Hy-pocriſis*, & *Adulationis*, conſtituit ſe ab-ſolutum Tyrannum Inſulæ *Liberi Arbitrij*.

NOMINA
PERSONARUM LOQUENTIUM,
Quarum pleraſque libuit Græcis vocibus appellare.

Amor. Prologus.
Intellectus. Rex. - - - *Syneſius.*
Virtus. Regina. - - - *Arete.*
Voluntas. Soror Intellectus, *Bulæa.*
Publicum commodum. Secretarius. - *Politarpus.*
Genius Bonus. Conſiliarius. - *Eudæmon.*
Genius malus. Conſiliarius. - *Cacurgus.*
Aſtræa. Præfecta Voluntatis.
Sinceritas. Herula honoris. - *Leucothoë.*
Intereſſe, ſeu Privatum commodum. - *Idokerdus.*
Idem ſub habitu Rationis Statûs. *Archatia.*
Malitia Maga. - - - - *Poneria.*
Eadem ſub nomine - - - *Politica.*
Dolus, Hypocriſis, } Filij Malitiæ.
Vitium Servus Archætiæ nanus. *Cacotes.*
Adulatio Serva Archætiæ. - *Colacea.*
Ingenium. Ephœbus. - - *Pandimus*
Inſula Liberi Arbitrij. - - *Eleutheria.*

PRO-

PRÓLOGVS.

Amor abjectâ pharetrâ & arcu, crumenâ instructus in aulam Regis Idokerdi transit, & breviter Dramatis argumentum expo-it.

Amor solus.

VEteres perosus cklamydis Idaliæ sinus,
Pharetramque & arcus; veste peregrinâ inclytus
Amor theatrum subeo. Cùm mores novos
Assumit orbis, arma delectant nova,
Cultusq; Amorem. Jam satis carui die
Velatus oculos; jam satis tenebræ meos
Cinxêre vultus. Pateat augustæ area
Sereaa frontis, quique sub gemino micant
Arcu pyropi. Tempus intentum meis
Monet esse rebus. Ista, quæ mordet latus,
Pharetra, potente flammea in strages sinu
Ministrat arma. Vix tenet jaculi sonus
Impellit aurem, corda jam vulnus ferit,
Et vasta mentem flamma correptam cremat,
Quid mihi coloris gratia, & pulchri area
Amæna vultûs? Merita nil possunt, ubi

Illudit aurum. Nolo vel cilij inde,
Vel frontis ebore, vel jocabundo labro
Pugnare posthac. Aureis Spartam sequar
In bella telis. Gravior in mentes vigor
Auri est nitori, quàm vel in sano furor
In arma Martij, vel giganthææ calor
In bella turmæ. Quod libet, semper potest
Rex Idokerdus. Huic genu inclinat decor
Huic forma fasces ponit, & victum abjicit
Frontis leporem. Cujus affusus jacet
Ad genua mundus, illius pronus quoque
Fasces adoro, nec renitenti gradu
Sub signa venio; ne quid obluctans meo
Patiar calori Scilicet victum pede
Calcasse vulgus, perq; privatas sua
Tulisse gentes sceptra, privati æstimat
Honoris umbram: publici at tandem nimis
Splendoris avidus, fœminam indutus, vocat
Archætian se: quaque circumfert pedem,
Subjecta Regum capita sublimis premit,
Et jam propinquat Regiæ, cujus tenet
Synesius altum columen, æternâ fide
Arete maritus. Huc adulantem Deam,
Cacoten, Dolum, Ponitiam, & Hypocrisin trahit.
Nil humile mente volvit: at rerum exitum
Spectare necdum licuit. Id solùm scio:
Molitur orbi imponere tyrannus jugum.

ACTUS

ACTVS I.

SCENA I.

Bulæa seu *Voluntas* Regina, quæ Principatum Insulæ Eleutheriæ, seu *Liberi Arbitrij*, fratri suo Synesio, id est, *Intellectui*, cessit; gratulatur de felici Insulæ statu, postquam is gubernacula assumpsit, & cum Areta, id est, *Virtute*, matrimonium inivit.

Bulæa. *Voluntas.* Policarpus. *Publicum commodum.* Eudæmon, *Bonus Genius.* Leucothoë, *Sinceritas.* Astræa. Synesius, seu *Intellectus.* Areta, seu *Virtus.*

Bul. SOboles faventis cœli Eleutheria Insula,
Et magna cura Numinis! cujus sedet
Synesius Imperator ad clavum, & pari
Arete marita dextera sceptrum regit.
Polic. Hinc in recessu sedis augustæ intimo
Prima Policarpus nomina favoris tenet,
Primamq́, sedē gratiæ. *Eud.* Hinc lateri assidet
Et veritatis lumine Eudæmon bona
Consilia subdit. *Leuc.* Illa, quæ laribus Ducum,
Regumq́, tectis pura Leucothoë arceor,
Sub ista tutum marmora importo gradum.
Astr. Astræa Themidis filia, potentûm hactenus

Oppressa dextrâ, quæq; venalis steti
Cupiditati; sorte meliori fruor;
Vestrâq; fulta gratia obsequiis color,
Timeorq; sceleri, & quâ lubet, ferrum rotæ.
Bul. Bulæa, Regum sanguis, hoc unum ambio,
Arete verenda, ut nutibus semper tuis
Parere valeã. *Syn.* Nẽpe, quòd placidas traham
Sine nube luces, gratiæ munus tuæ est;
Dilecta conjux. *Aret.* Quidquid ingenio viget,
Scientiâve regitur, ingenio tuo
Scientiæq; paret. *Syn.* O semper mihi
Arete colenda? *Aret.* Tuq; genialis thori
Pars prima Synesi! *Syn.* O chara!
Aret. Et ô pridem mihi
Desiderate! *Syn.* Cor meũ! *Ar.* Vita ô mea!
Aret. Te jura dante tutus incessus patet
Felicati gemmeæ. *Syn.* Auspiciis tuis
Beatitati prona Eleutheria litat.

SCENA II.

Cacurgus, seu *Malus Genius*, nunciat Nympham Regiam advenisse, ut Regis Synesii gratiam imploret.

Ijdem. & Cacurgus seu *Malus Genius*.

Cac. MAgnanime Princeps, regij tectum laris
Jam jã venustas extera ingressa, intimũ
Dolore pectus lacerat, & lachrymâ rigat
Cadente vultus; inter offusas tamen
Mœro-

Mœroris umbras, sanguinis clari micat
Illustre semen. *Syn.* Causa quæ mœstos ciet,
E corde gemitus?
Cac. Inscium, ô Princeps, rogas.
Videre lachrymas licuit; has præter, nihil.
Syn. Quod nomen illi est?
Cac. Nomen & gentem silet.
At esse genitam sanguine heroo, indicant
Venusta frontis linea, & vultûs tenor,
Morumq; cultus. *Syn.* Parte quâ mundi venit?
Cac Procul hinc remotâ.
Syn. Quam petit terræ plagam?
Cac. Quâ fortè pietas habitat; hanc lachrymans vocat,
Hanc quæsit unam. *Syn.* Cujus auxilium rogat?
Cac. Benignitatem respicit, Princeps tuam,
Syn. Quæ vota anhelat? *Cac.* Regias aures petit.
Syn. Ubi moratur? *Cac.* Regiæ extremum tenet
Afflicta limen; meq;, dum redeam, gemens
Expectat inter lachrymas. An quid jubes
Referre mœstæ? *Syn.* Tuta regales potest
Subire vultus. Nostra pietati domus,
Nostræq; semper gratiæ afflictis patent.
Bul. Justitia, Pietas, prima sunt Regum nota.
Pol. Majora mundus decora si quærit, suos
Fallit labores. *Astr.* Ille par vivit Dijs,
Quisquis superbos calcat, afflictos levat.

SCENA III.

Archætia, seu *Ratio Status*, se ab Agnia, seu *Ignorantia*, regno pulsam fingit: implorat gratiam Synesij: impetrat. Admissa offert in donum Regi ancillam suam Colacæam cantricem, id est, *Adulationem*.

Ijdem. Archætia, seu *rectus Idokerdus*, vulgò *Interesse*, cum suo comitatu. Poneria, seu *Malitia*. Colacæa, seu *Apulatio*. Cacotes, seu *Vitium*. Cacurgus, seu *Malus Genius*.

Arch. SAcro advolutam popliti. ô Princeps, vide,
Syn. Remove sacratam genibus à nostris manum;
Soloq; poplitem tolle. *Arch.* Quod liceat, jube.
Fortuna misera, quæ procelloso meam
Pelago carinam volvit, & lassæ diu
Portum negavit, prohibet attritam solo
Frontem levare. *Syn.* Debitum cœlo caput
Humili jacere dedecet stratum solo.
Arch. Exacta miseram vitâ me (heu!) nimium probat.
Syn. Attolle vultum. Melior ut posthac tuis
Fortuna rebus affluat, fulcrum tibi
Mea dextra fiet: quæq; sub nostris jacet
Ancilla sceptris Insula, immotam dabit
Stanti columnam. Quà patet, vel quà latet,

Tuum

Tuum esto regnũ. *Arch.* Quãlibet memet meâ
Video exulantem patriâ, & sacro procul
Solio repulsam, jamq; per medias agi
Miseram charybdes; quando tam pronã manũ
Princeps jacenti porrigis, melior redit
Spes ominanti. *Syn.* Læva quæ frontis jubar
Fortuna turbat? *Arch.* Illa, quam mundi ultimæ
Tremuêre gentes, cujus ad nutum feri
Cecidêre populi, quæ peregrinis dedi
Imperia regnis, quæq; sub frenos meos
Tot regna mundi compuli, sum Archætias;
Nunc vidua sceptris, exul, & aviti carens
Honore solij. Quidquid antiquæ super
Mihi remansit gloriæ, est solum statum
Meminisse veterem posse, & amissum decus.
Syn. Quæ tigris, aut quæ Caspio ex antro lea
Hoc ausa facinus?
Arch. Illa, quæ, quidquid libet,
Impunè tentat. *Syn.* Fare, quod nomen dedit
Natura, & ira belluæ? *Arch.* Agnœam vocant.
Syn. Tantum superba robur, & semper meis
Inimica votis exerit? *Aret.* Tantas capit
Unde illa vires? *Pon.* Qualis à parvis tumet
Crescitq; trivis fluvius, & vastis potens
Insultat undis, talis à numero valor
Majore crescit. Totus Agnœæ impio
Famulatur orbis nutui. Hinc tantum valet.
Arch. Quando illa viles generis ignavi choros,
Natumq; tenebris vulgus exosa, in sua
Traxit potentes signa, non tantùm parem

Calcare honoris semitam mecum ambijt;
Sed altioris gloriæ flammâ calens
Mihi dominari subditæ, & leges dare
Superba voluit. *Syn.* Quanta, cùm cœpit semel
Calere, flamma crescit, & vires agit!
Arch. Equidem coëgi pectoris robur; steti
Generosa contrà: scilicet vanos dedi
Vento labores. Agmen ubi vastum irruit,
Armata fletu mulier incassum parat
Obstare castris. Ratio nil potest, ubi
Res agitur omnis impetu. Quando additur
Iræ potestas, facilè rationem opprimit.
Syn. At non decebat cedere. *Arch.* Æterno die
Gemmata testor sidera, & purum jubar
Omnia videntis Cynthij, ut starem basi
Semel occupatæ gloriæ, & honoris gradu;
Tentasse cuncta? at roboris tandem gravi
Oppressa mole cedere coacta: excidi
Statione honoris *Bul.* O malè eversæ ferox
Tyranna sedis! *Aret.* Ergo sic miseri sumus,
Ut liceat illi plurimum, qui plus potest?
Sic regia orbis sceptra, quels Archætia
Imperia mundi flexit, Agnoæ impiâ
Manu rotantur? Utq; tam turpis notam
Nominis honestet pallio, Agathinæ sacro
Nomine vocatur, cujus ad lucem gravi
Auctoritate turget, & regna occupat.
Syn. Dolosa! larvâ vestit argenti levem
Massam metalli: laminæ vili allinit
Auri colorem, perq; fallaces dolos

Sibi

Sibi nundinantur gloriæ assumptæ decus,
Arch. Ego repulsa patrij juris late,
Exuta, regno, misera, peregrino solo
Ignota, rebus perditis; tenui tamen
Spe viva, vestros lachrymis pedes rigo,
Synesi, Areteq; prona sub quorum juga
Nulli ante flexum Eleutheria flectit caput.
Ad vestra fusa genua pietatem rogo,
Simulq; spero. Post tot emoti maris
Fluctus, quietus portus in vestro mihi
Patet favore. *Syn.* Regiâ stirpe edita,
Non vana poscis vota. Si quidquam potest
Mea dextra ferro, commodo id cedet tuo,
Tuoq; honori. Cedat imperio, aut cadat,
Quicunq; juri debitam sedem tuo,
Diadema, solium, & sceptra violentus tenet.
Justitia lege id exigit, pietas jubet.
Arch. Nunc infecundæ sortis infelix jugum,
Quod ante nunquam licuit, absterso datur
Oculo tueri, quando me stringi tuo
Favore cerno. Mitius carui hactenus
Decore regni: vota nunc totis calent
Incensa fibris perditæ sortis statum
Suspiro misera! non ut antiquæ redux
Felicitatis aura me rursum beet,
Sed ut carere rursus hoc liceat mihi,
Tuisq; manibus liberum in munus dare;
Sed cum favori reddere æquales vetet
Fortuna grates, quâ licet parte, obvio,
Non quâ decebat, Aliud everso statu

Nil fors reliquit, præter ancillam, mei
Comitem doloris. Illa, si mœstas modis
Demulcet auras, ungue si chordas ferit,
Acerbitatem vulneris nostri levat,
Et servitutem lenit. Hoc unum, meis
Quod restat opibus, magne Rex, munus cape.
Non, quod meretis, offero; sed quod manus
Egena potuit. *Syn.* Impium Regem facis;
Si, avara quod fortuna non rapuit decus
Auferre jubeas. *Arch.* Quin beatâ me facis;
Si dona capias. Unicum hoc sortis meæ
Apicem putabo; posse, quòd placeat, tuis
Litare meritis: nec memor veteris mali
Laudabo sortis gratiam; quòd, cùm omnia
Rapuerit, illud mitis afflictæ super
Tribuerit unum, quo lucrum faciam tuæ
Benignitatis. *Syn.* Ultimo sortis bono
Exuere miseros, mentis est nimium feræ.
Arch. Levare miseros sorte, pietatem decet.
Et quod levamen majus afflictæ potest
In hoc severæ sortis assultu dari,
Quàm si repentè dexteram ingenti meam
Videam opulentam divitis glebâ Tagi
Tantoq; dignâ rege? *Syn.* Quin potius suæ
Dominæ ministret. Musica & frontis decor
Benè copulantur. Nam venustatis decor
Est ordo concors partium, & concors sonus
Musica vocatur. *Arch.* Ergo non decet meo
Hærere lateri Pectoris læsi dolor,
Mœstique gemitus cordis effundunt melos,

Et

Et amœna vocum prælia. Adduntur male
Lamenta suavi cantui. In amœnum nimis
Gemitus dolentis, voxq; cantantis sonant.
Syn. Ergo æstuantis donec insultus cadat
Mœroris animo, Diva, depositi vice
Oblata nostros Nympha delectet lares.
Arch. O magne Regum Cynthie, ô Phœnix Ducum,
Quantùm benignæ mentis affectu premis
Me non merentẽ! *Col.* Serva neglecta, ac inops
Nihil superstes manibus in meis tuo
Honore dignum invenio: tu sortis tamen
Divinioris æmulus, quamvis leve
Dignare munus. *Syn.* Aulicas inter Deas
Locus paretur hospiti. Hoc munus tui
Favoris esto. *Cac.* Regio jussu obsequens
Accelero gressum.
Syn. Principum primum decus,
Hospes venusta, tempus exhaustas monet
Relevare vires. Sanguinis consors mei
Bulea Princeps ad peregrino nitens
Auro lucanar hospiti aptabit viam.
Bul. Obtemperante servio ad nutus gradu.
Arch. Rubore me suffundit imeritam hic honor
Syn. Procede læta, teque, dum modicam capis
Membris quietem, tursus in novam erige
Spem fausti tatis.
Arch. Quando me, Princeps, tuâ
Bonitate fulcis, nullus est spei locus:
Sed certa jam felicitas sinum occupat.

SCE-

SCENA IV.

Policarpus, seu *Publicum Commodum*, cum cætera aula conatur Synesio, seu *Intellectui*, persuadere, ut admissam hospitem, tanquam meritò suspectam dimittat.

Policarpus, seu *Publicum Commodum*. Synesius, seu *Intellectus*. Leucothoë, seu *Sinceritas*. Eudæmon, seu *Bonus Genius*. Arete, seu *Virtus*.

Polic. AGnate Princeps sideri, liceat fidem
Tibi probare, quodq; sub clauso sinu
Gero reserare Posco, quod fidum decet
Regis ministrum. *Syn.* Fare, securus mei
In te favoris. Publicum quidquid bonum
Petit, serenâ fronte regnantem decet
Audire. Fare. *Pol.* Mentis excelsæ est nota
Amica pietas; non nego: internum movet
Hæc hospes exul pectoris sensum, & suis
Ad ipsa lachrymis viscera irrumpit: tamen
Quem præsidere huic Insulæ, ac leges dare
Jussêre cœli: stare si regnum cupis;
Diviniorem mente pietatem indue.
Si penetret hospes illa, labetur tui
Columna regni. *Syn.* Potior an pietas potest
Urgere Reges? *Pol.* Illa, quæ populos, super
Vigilante curâ semper attendit vices,
Decet imperantem; ne sui sceptri decus

Videat

Videat tyrannæ perfidâ everti manu.
Agnosco fraudes. Filia Politicæ est quidem,
Soboles honestæ matris, & gnaræ imperî
Rotare fræna; sed tyrannorum impiâ
Imbuta lege, perque fallaces dolos
Pridem erudita, per venenatas vias
Sententiarum ducta, Babyloni æmula
Frontem superbam sideri obtendit, Deo
Adversa semper. *Leu.* Illa me extremo procul
Ejecit orbis margine, & probrum dedit
Mundo execrandum, Nescium occulti doli
Exosa pectus, fingere Monarchas docet,
Simulare, certis agere præceptis dolos,
Involvere orbem fraudibus, nullam fidem
Servare pactis, prodere, & strage ultimâ
Sepelire Reges. *Eud.* Illa contempto Deo,
Versoque juris ordine, & legum metu,
Fas omne rumpit: quod libet, licitum facit,
Soloque vivit impetu, atque omni carens
Ratione, sanctæ legis obtinuit modum.
Hinc in profundam fraude consilij sui
Trahit ruinam, quidquid excelsam levat
Sub astra frontem. *Syn.* Vidimus vastum tamen,
Quacunque ponto cingitur, mundum illius
Patere juri, & verticem imposito dare
Jugo premendum. *Aret.* An ipsa, quæ prodit sua
Se perdidisse regna, servandi modum
Aliena doceat? *Pol.* Ergo si dictis fidem
Exempla faciunt propria, constantem tuo
Ne patere, Princeps, figere in regno pedem.

Syn.

Syn. Quod nempe sapiat barbaram mentē, doces.
Pol. Quo statę felix publicum valeat bonum,
Syn. An ergo nostris exigi suades plagis?
Pol. Suadeo, quod orat publicæ rei salus.
Syn. Tutela sexus fragilis ut viros decet,
Sic illa reliquis altius Reges vehit,
Quæ condolente dexterâ imbellas levat,
Pol. Ante dominante regna tenuisti manu,
Correpta quàm per viscera, istius calens
Affectus iret. Ille, quem debes tuis,
Regno, tibique, pectoris sedem prior
Amor occupavit. Debito antiquo recens
Est posthabendum. Jura Justitiæ exigunt,
Ut prima, Princeps, debita exsolvas prius
Aret. Quàm viva stimulat ratio!
Syn. Quam diris agit
Procella mentē fluctibus? *Aret.* Mentem rotat
Funesta species. *Syn.* Cruda tempestas quatit
Animi medullas. Mente confusus rotor
Et huc, & illuc, nescius certo pedem
Firmare gressu. Capio: quæ capio tamen,
Mox fugio rursus: nec satis compos mei
Agenda renuo. *Aret.* O impia! ô crudi parens
Acerba pietas vulneris! *Leuc.* Nata ô malo
Omine venustas! *Pol.* Funerum mater, piæ
Exasperatrix mentis *Eud.* Exitium boni.
Pol. Malique origo! *Eud.* Publicæ pestis rei,
Suspecta specaes oris, ac vultûs color.

SCE-

SCENA V.

Cacotes, seu *Vitium*, qui ex occulto consilia Policarpi, seu *Publici Commodi* audivit, indignatur; statuitq; ea Idokerdo seu *Privato Commodo*, Archætiam, seu *Rationem Status*, simulanti referre.

Cacotes, seu *Vitium*.

CRuenta regni pestis! & mundi lues!
Hos in ruinam verticis nostri dolos
Malesana cudis? scelere quo mentem impio?
Quo mereor istas nostrum in exitium minas
Ardere flammas? Teno, quodcunq; est malũ,
Quod machinaris. Ibo: quam fraudem audij,
Narrabo Domino, ut obviet. Nascens dolus
Est opprimendus, antequam vires agat,
Seseque firmet. Quàm benè hoc latui loco.
In nostra damna texta per faciles diu
Iviſſet ausus tela, & horrendâ malum
Creviſſet irâ. Quisquis alieno malo
Intendit aurem, sæpe percipiet suum.
Aulæ insalubris aura simplicibus nocet;
Qui servit aulæ, lumine attento vigil
Partes in omnes excubet: tacitus sciat
Audire multa; multa, cùm tempus monet,
Facundus ore proloqui. Quisquis dies
Exigit in aula, qualis attento canis
Venator ore currit, & prædam calens

Vesti-

Vestigat ore, mox ubi feram propè
Advertit aures arrigit, firmum loco
Affigit oculum; quæque post dumos latet,
Per signa præda proditur: talis vago
Per omnia oculo lustret occultus sinus,
Arcana penetret, taceat; ad prodat quoque,
Cùm tempus aptum commonet. Nihil decet,
Ut servitutis aulicæ fructum feras,
Incuriosè negligi.

SCENA VI.

Cacurgus, *Malus Genius*, quòd Idokerdum, *Privatum Commodum*, sub schemate Archætiæ, seu *Rationis Status*, latentem in aulam Synesij, *Intellectûs*, induxerit, in spem venit majoris apud Regem Synesium gratiæ obtinendæ.

Cacurgus, seu *Malus Genius*.

--v---v- Rursum meo
Spes ardet aliqua corde, Mutantur vices:
Nec quâ resedit asperæ sortis furor,
Illâ perennat sede. Nullius reus
Sceleris, prioris gratiæ sinu excidi,
Et inane amici nomen in vanum gero.
Alter favoris æmulus primam mei
Sedem occupavit: alteri genio litat
Servilis aula. At genius agnosci quoque

Debeo

Debeo, Nec ille (sortis excepto joco
Blandæq; frontis jubare) quo tumeat, habet:
Habet tamen, quo metuat, & primas mihi
Cedat, quod ille fœminæ mores gerat,
Ad iniqua semper pronior. Jam spes redit.
Seseq; penitis ingerit mentis fibris:
Jam dignitatis pristinæ amissus gradus
Se mihi reponit, Quando ferventis maris
Ebullit æstus; unda, quæ latuit freti
Sepulta fundo, surgit, & clarum videt
Rediviva Solem. Regias tenor hic agit:
Occumbit unus, alter exsurgit: tamen
Etiam resurgit ille, qui occubuit prius.
Venusta princeps illa; quæ nuper suum
Jubar hanc in aulam detulit, scenam mei
Vertet doloris, Illa jam vinctos tenet
Reginæ amores; illa jam Regem suo
Colore inescat; meque, qui prima advenæ
Officia in aula præstiti, & Regis dedi
Adire vultus, gratiâ & magni colit
Tributo amoris: quæq; post dominam pede
Ancilla servo graditur, ubi vidit meos
Mentis dolores, ingemuit altum, gravi
Perculsa sorte: jamque, quod servum decet
Avidum favoris regij, ductu meo
Penetrale subijt Regis, ubi curas graves,
Mœstasq; nubes pectoris gratâ fuget
Aut arte digiti eburnei, aut vocis sono.
Hac arte mentis regiæ affectus emo.
Concentus oris, musicæ vocis Charis,

Lepor-

Leporq, frontis, pectoris quidam est magus,
Vel clavis animi, ferreos etiam sinus
Ruptura cordis. Illa quid pretio suæ
Emptura vocis, quid venustatis dolo,
Oculique compti gratiâ in votum meum
Opis datura, mente præsagâ auguror.

SCENA VII.

Arete, seu *Virtus*, Regina Synesium, seu *Intellectum* Regem, suos in Archætiam, seu *Rationem Status* amores inclinare suspicatur. Hanc suspicionem eximere nititur Leucothoë, seu *Sinceritas*.

Arete. Leucothoë.

Aret. O Qui sub uno pectore alternis minis,
Contrarioq; prælio ancipitem mihi
Laceratis animam, dissoni affectus mei,
Spei & timoris, frigoris & ignis: date
Hoc unum onusto pectori, ut saltem brevem
Respiret auram. Nempe fugitivis preces
Committo ventis: pacis optatæ sinum
Crudi negatis. Tanta quis stabili ferat
Tormenta corde?

Leu. Premere trepidantes metus,
Prudentis animi est: ratio venientem regat
Fluctum timoris *Aret.* Illa peregrino genas
Mentita stibio Diva, quæ Regis fibras
Blandè occupavit, illa non parva est leges

Mihi

Mihi ſuſpicandi. *Leu.* Compta, & artifice manu
Inducta forma vultui oblectat parum.
Eſt ficta tota, tota mendaci genas
Depicta fuco. Nóſcitur probè: hoc ſat eſt.
Fucata nunquam forma prudentem capit.
Aret. Forma ipſa quamvis corda non vincat tamẽ
Novitas amatur.
Leu. Genius hic vulgi eſt levis;
Non glorioſæ mentis. Et tuus fuit
Eritque ſemper Sponſus In aliam nequit
Suos amores flectere, niſi injurius
Suo Syneſius nomini. *Aret.* Exitio rei
Hanc eſſe quamvis publicæ dicat, tamen
Dum laudat, audit, ſequitur obſequio, & colit;
Latentem amoris prodit occulti facem.
Quoties precatur, capitur affatu; & datis
Petita ſuperat: noſtra faſtidit pij
Documenta amoris: quæque ſuſpexit priùs
Conſilia tumidus deſpicit. Menti hoc gravem
Opinionem mortui affectûs parit.
Leuc. Hucusque dubius hæſit, an ſtabilem vagæ
Concedat aulam.
Aret. Dubius? ah! certum nimis
Accepta produnt munera, & toties tener
In amore vultus. Nulla ſpes ſupereſt, fore,
Ut ſic amatam deſerat. Jam ſe labris
Ingeſſit eſca; placuit; & edentis ſinus
Adhæſit hamo. Munus, heu, dirum nimis!
Fatale munus! quod mihi quietem eripit,
Pacemq; túrbat mentis. Hinc animi ſemel

Tranquillitate perditâ, impello gradum,
Illucque præceps volvor, ubi Siren dolis
In noſtra damna ſævit, & captum jocis
Ad cruda Regem fata per cantus trahit.
Leuc. Ubi venuſtas ludit, & bibulæ melos
Blanditur auri, ſæpe non cautus ſimul
Animus venenum, gemmeo veluti ſcypho,
Aurove potat. *Aret.* Muſicæ ô fallax dolus!
Quæ blandiente virus accentu tegis
Imóque ſenſim pectori infundis malum!
Tu diſſonare conſonos primùm doces,
Juſtoſque amores. Cantus! ô planctûs mihi
Non parva cauſa!
Leuc. Melleum ô quondam melos!
At nunc amaræ fellens vocis ſonus!
Qui vota mentis reprimis.
Aret. In omnem excubans
Partem æmulatio, quæq; pervigilem oculis
Imitaris Argum; ſi penetrante inſpicis
Acie medullas pectorum, tandem mihi
Detege, quod alto corde Syneſius tegit,
Quod nube mentis celat. Hinc ſocia gradum
Moveamus unà. Verené, an falſa ingerat
Suſpicio menti ſomnia, hoc certo lubet
Signo experiri. Sequere, quà greſſum fero.

SCENA VIII.

Poneria, ſeu *Malitia*, & Cacotes, ſeu *Vitium*, quòd Idokerdo, ſeu *Rrchætiæ*, adverſari

versari Policarpum, hoc est, *Publicum Commodum* advertant, metuunt per hunc etiam Regem in contraria consilia deflectendum. Ideoque Hypocrisin & Dolum in suas machinas adhibere statuunt.

Ponetia. seu *Malitia*. Cacotes, seu *Vitium*.

Pon QUi primus ergo Regio lateri assidet
Policarpus, hostis noster, inimicum palàm
Testatur animum? *Cac.* Quodq; suptemũ reor
Apicem malorum, visus est plausus sequi
Vocem loquentis: dicta Consilium probat;
Regina facilis annuit,
Pon. Quid Rex? *Cac.* Licet
Sententiam suspenderit, vereor tamen,
Ut & ille se torrente patiatur rapi.
Pon. Quàm bene malorũ patuit instructus dolus!
Ut occupemus, antequam involvat suo
Reti innocentes. Ergo, qua surgunt propè
Vicina amicæ tecta rapiamus gradum:
Hinc nostra repetam pignora Hypocrisin & Dolum.
Fidâque subter noctis umbrosæ togâ
Periclitantem in Regiam mecum traham.
Hinc spero certam rebus accisis opem.
Hypocrisis unâ & arte, & ingenio suam
Superat parentem. Quanta mihi pectus subit
Hinc spes futuri commodi! *Cac.* Fraudis capax.

Instructa technis; quaque non possit magis
Versuta haberi, est illa. Quod placet, facit;
Et quidquid egit, melleo vocis sono
Verbisq; honestat. *Pon.* Tempus officii monet:
Illam advocemus. *Cac.* Obsequor.
Pon. Cautè tamen
Urgenda res est: si dolus pateat, ruit,
Consilia quidquid nostra fabricârunt.
Cac. Metum
Expunge, corde. Veste peregrinâ benè
Oculos tuentûm fallimus, acutos licet
In acta nostra: quoq; lateamus magis,
Oblita veteris nominis novum induc:
Politica tu vocêre, ego dicar Lepor.

SCENA IX.

Leucothoë, seu *Sinceritas*, detestatur Colacææ adulationem in Regem.

NOn vana lusit umbra Reginam meam,
Suspicio non inanis. Audaces doli
Tenuêre mentem regiam. Ancillæ melos
Per mille ductum chromata in totidem trahit
Animum catenas. Puduit infamis lupæ
Tolerare mendax carmen, & verso gradu
Sedem reliqui. Prô venenosum melos!
Mendaciorum hyperbolæ! immodicos tenor
Encomiorum! laudis egressæ modum
Infame metrum! Siccine (ô crudum nefas!)
Mendacijs involvere & Reges licet?

SCE-

SCENA X.

Leucothoë, seu *Sinceritas*, exprobat Cloacæ hyperbolicas suas adulationes.

Colacæa, seu *Adulatio*. Leucothoë, seu *Sinceritas*.

Col. INfausta sortis alea!
Leu. En mundi probrum,
Infame bustum. *Col.* Prô! inhumanum scelus!
Ibant secundo Vota successu; melos
Fixum tenebat Regis aspectum, & fibras
Blandis ligabat vinculis, cùm se ingerit
Regina medio lusui, & ficto impudens
Amore, vultu, fronte, blanditiis, jocis,
Fictoq; rerum phasmate urgentûm, gravi
Negotiorum pondere, alloquium sui
Regis remoto teste secretum petit.
O impudentis fœminæ insanum nefas!
Sed video tandem, dispari ingenio agimur,
Contrarioq; spiritu. Hunc nempe obtinent
Humana cursum, conjugis quando suæ
Conjux amore capitur. *Leu.* Ergo quod tuo
Non dederit aurem carmini, hoc tantis putas
Dignum querelis misera! te fleri decet,
In te querelas flecte. *Col.* Sed causam indicam.
Leu. Quis ferre prudens possit auditu horridas
Mendaciorum hyperbolas? Quæ tu dabis
Elogia Superis, quando mortalem premis
Tam copiosâ laude? *Col.* Sic magnos decet

Suſpicere Reges. Nomina, & laudes dedi
Aulæ uſitatas. *Leu.* Laudis excedis modum
Col. Nec aſſecutam merita me credo. *Leu.* Tamen
Tantum extuliſti! *Col.* Vera, quæ dixi, puta.
Leu. Ego Veritatis candidæ princeps ſoror,
Nec Veritatis cernere vel umbram tuo
Ex ore potui *Col.* Tuné Reginæ latus
Ancilla ſtipas? *Leu.* Candida Aretinæ quoquè
Obſequia præſto.
Col. Nempe & ingenio, & genio -
- Ageris eodem.
Leu Hæc magna pars laudis meæ eſt.
Col. Nihil addo: ſatis eſt.
Leu. Inde quid ſequitur? *Col.* Tua
Non æſtimari dicta; ſuſpectam mihi
Te ſempet eſſe.
Leu. Juſta ſum. *Col.* Infauſta es magis.
Leu. Sincera ſum, ſum libera. at contrà dolo
Implicita tu centuplice, & mendacijs
Mille involuta. *Col.* Mené mendacem arguis?
Me mille tectam fraudibus?
Leu. Quantum ſcelus?
Cui nempe Divæ loquimur? *Col.* Immenſo tuos
Quæ honore honores ſuperat.
Leu. Infelix meos
Ancilla honores ſuperat? *Col.* Infelix licet,
Miſeraq; videar; ſorte ſum tamen tuâ
Superior. *Leu.* Edic, qualis à nobis palàm
Vis æſtimari? *Col.* Regiæ primum decus,
Et prima virtus: Illa, quæ mentes Ducum

Sub

Sub noſtra cogo jura. Quid poſſim, mea
Per acta diſces. *Leu.* Prô Deo inviſum nefas!
Inimica noſtra eſt. Illa, quæ ſolùm hactenus
Mihi nota famâ, voce ſe prodit ſuâ,
Colacæa, mundi dedecus. Verum eſt nimis,
Quòd mentiantur nomen, & laudem ſibi
Virtutis apret; ſola quòd Regnum intimas
Penetret medullas; ſola quòd vinctos trahat
Animos potentûm. Regia exemplum dedit,
Cujus ſiniſtro dedere ſubivit ſinum.
Nil jam ſtupete, ſi miſer & exul jacer,
Quicunq; Regi ſana conſilia dedit;
Si mea probata rebus in gravibus fides
Calcata teritur. Hæc ubi ingreditur, locus
Sinceritati nullus eſt. Omnis cadit
Quæcunq; ſpes ſupererat. Ex aula mihi
Procul migrandum eſt. Nemo jam mentis ſuæ
Sincera pandat ſenſa. Sibi odium parit,
Qui vera *loquitur.* Fraudibus tantùm patet
Mendacijſque Regia; & proprius malo
Fallendus iſto ſenſus eſt Summum ſcelus
Sinceritas vocatur. Hoc tantùm licet,
Mentiri. In aula nullus eſt ſanctæ locus
Sinceritati: Veritas aulâ exulat.
Ut audiare, finge, adulare, & dolis
Innecte verba; fraudibus vultum indue:
Nunc mentiendum eſt: Veritas aulâ exulat.
Sinceritatis candido vultu nihil,
Nil veritate proficis. Fraudes para:
Nunc mentiendum eſt; Veritas illâ excuſat.

SCENA XI.

Poneria, seu *Malitia*, & Cacotes seu *Vitium*, Dolum instruunt ad texendas fraudes.

Cacotes, seu *Vitium*. Poneria, seu *Malitia*. Dolus.

Cac. HInc nullus, inde nullus: in scenam patet
Securus aditus. Sistite: hinc aliquis meas
Strepitus ad aures lapsus est. Num quis latet?
Pon. Huc in latebras.
Cac. Ede, quisnam illic gradum?
O vana mentis umbra! quid inanes metus
Mihi ipse fingo? Nullus est loco metus.
Adeste rursus. *Pon.* Cessit?
Cac. Haud quaquam, at nihil
Refert. *Pon* Quis illic? *Cac.* Hostis.
Pon. Est hostis. *Cac.* Loco
Firmate gressum. Felium est hostis, canis
Melitæus: umbras inter offusas ego
Vastum molossum credidi: nempe ex ijs,
Qui, subter umbras noctis, insidias parant
In damna vigiles. *Pon.* Ergo vigilantem exere
In omnia oculum, ne quis in nostram ruat
Repentè telam. *Cac.* Pone sollicitos metus:
In jussa promptus excubo. Si quis gradum
Tacitus propinquum fraudibus nostris ferat,
Monebo signo. *Pon.* Serijs mentem admove.

Non

Non tenue nostris rebus est damnum, Dole,
Quòd vestiendæ filiæ nostræ chlamys
Abfuerit illa, dexteræ nuper tuæ
Præda, Pietati rapta. *Dol.* Consilium hoc dies
Non patitur iste, mutuam quando tulit
Amica nostra, Opinio. *Pon.* An reddet brevi?
Dol. Illius usum tempus ad paucum petit;
Mox reddituræ.
Pon. Spondet hoc aliquis? *Dol.* Vetat
Dubium Cacurgus. Adde, quod vestis gravi
Premat lacertos pondere. Incessus levis,
Et expeditus gressus impatiens jugi est.
Cac. Silete.
Pon. An aliquis tacitus adportat gradum?
Cac. Nisi error oculos decipit. Silentium!
Nihil est timoris. *Pon.* Nate, dum tempus fluit,
Perdere caveto. *Dol.* Quidquid à nostris potes
Sperare studiis, exequar, nutu impera;
Obtemperabo. *Pon.* Quantus affectu ruat
Prono Idokerdus, atque Bulææ ardeat
Placere, nosti: cujus ut mentem occuper,
Ingressus aulam, Archætiam sese vocat,
Mendace tectus nomine, & vestis dolo.
Hinc omnis illi fervet obsequiis domus.
Dol. Narrata teneo. Nempe consilio meo
Hæc fraus parata est.
Pon. Regium affectum tenet,
Et arbitrata fœminam ardenti colit
Bulæa amore. Publicæ at cultor rei,
Qui semper unus Regium stipat latus

Policarpus, hostis noster est Quantum potest
Unus nocere! cujus arbitrio oppida
Urbesque parent; quiq, quam in partem lubet,
Et huc, & illuc regiam mentem rotat;
Unusq; Dominus colitur, & regni arbiter.
Hoc nunc agendum, ut commodo nostro suâ
Auctoritate serviat. *Dol.* Grande est opus
Quod mater agitas, quodque vix posse autumem
Sperari ab hoste. *Pon.* Mentis arcanum meæ
Sinum recludam. Thessalis quantum modis,
Et arte possim Colchicâ exemplum dabo:
Te vultu, & ore, & more Policarpi induam,
Tuæque frontis aream illius tegam.
Colore frontis.
Dol. Fine quo fraudem hanc paras?
Pon. Ut tectus ore & fronte Policarpi palàm
Credaris ipse; quodque personâ nequis
Præstare propriâ, sub peregrinâ meis
Servire possis commodis. *Dol.* Quò se tuæ
Miracula artis porrigunt, novi satis.
Quid quid lubebit, impera. Quando jubes.
Evado semper Protheus, vultûs novo
Vestitus habitu, more, & ingenio novo,
Mendace sed cùm fronte Policarpum induam,
Quid fiet illo? *Pon.* Quod voles. Istum mihi
Rei futuræ mente digessi ordinem.
Arcana nostro semita è tecto patet
Policarpi ad usque tecta: cùm merso die
Cœloque clauso furva nox placidem dabit
Orbi

Orbi quietem, semitæ ductrix tibi
Ariadna fiam. Tutus exinde ad thorum
Penetrare poteris, fusa quo membra æmulus
Noster reclinat. Mente si constes tuâ,
Tibique similis, facinus audebis tuo
Calore dignum. Plura non addo. Scies,
Quid alta mentis indoles, stirpis tuæ
Et bullientis suggeret honoris calor.
Dol. Documenta cœpi.
Cac. At aliquis huc gressum citat.
Dol. Sede hac migrandum est.
pon. Perge: jam nodum tenes.
Cac. Ad vota mentis fictus evasit dolus.
Hac arte vetulæ sermo rumpendus fuit.
Ubi semel aurem nacta patientem fuit,
Finem invenire vetula discursûs nequit.
At hic morari dulce delicium animi
Colacæa, mentis ardor & Siren meæ
Non patitur ultra: cujus ubi vocem audio,
Solatiorum turbine excitus suâ
E sede surgit animus, & pectus novo
Amore gestit. Illa quàm blandè loqui,
Tractare amicè novit! & gestu, & modo
Humanitatem spirat, & nutu unico
Alias Deastras aulæ inhumanas probat.
Leucothoa quid non tentat, ut memet meo
Possessi honoris trahere de solio queat?
Alia, ubi vidit obvium, avertit gradum,
Spernensque risit, fortè quod merito suo
Minor est statura nostra. Sed parvis tamen

Est sæpè precium grande. Colacæa unica
Me blandientis oris excepit joco,
Facundiâque ducta per laudes mei
Exuberante volvitur. Tota est Charis,
Amœna tota Gratia. Hinc Princeps, mei
Conscius amoris, Conjugem mihi destinat;
Quod nupet actos Consilij arcani dolos,
Textamq; telam fraudis in apertum extuli.
Hoc nundinatus gratiam facto, supra
Reliquos salutor primus, & primus color.
HÆc est in aulâ semita
Favoris obtinendi;
Quod cæteri peccaverint,
Ad Principem referre.
Erratis, ô Narcissuli,
Cyparissulique fratres,
Qui basiatâ dexterâ,
Ridente vel labello,
Vel poplitis reflexibus,
Inflexibusque colli
Emi putatis gratiam,
Et Principum favores;
Erratis. Hæc est semita
Favoris obtinendi;
Quod cæteri peccaverint,
Ad Principem referte.
Et vos chori scientiæ,
Sapientiæ nepotes
Improvidi! Dum quæritis
Solium tenere honoris,

In servitutem flectitis
Plenum caput Minervâ.
Non ibitis Scientiâ
Honoris ad theatra.
Hæc est in aulâ semita
Honoris obtinendi;
Quod cæteri peccaverint,
Ad Principem referre.
Et vos Avorum glorias,
Fumosque qui crepatis,
Et quæritis per sanguinem.
Per stemma nundinari
Vel gloriæ fastigia,
Vel vertices honoris;
Erratis. Hæc est semita
Honoris obtinendi,
Quod cæteri peccaverint,
Ad Principem referre.

ACTVS II.

SCENA I.

Idokerdus, (vulgò *Intereſſe*) in perſona Archætiæ, quæ vulgò *Ratio Status* dicitur, confidit in Doli machinationibus, ad Policarpum, ſeu *Bonum Publicum* evertendum.

Archætia, ſive *Idokerdus rectius.*

QUámvis timendus hoſtis inventi furor
Potensque dextera ſpargat in cœlum minas;
Tamen pavere prohibet attentus Doli
Sapiensq; fervor. Ille ſpem menti ingerit
Effulminandi, quidquid opponet moras
Meo calori. Fama ſi verum canit,
Intentus operi ſudat: ego ſpecto exitum.

SCENA II.

Cacotes, ſeu *Vitium*, refert Archætiæ, ſeu *recto Idokerdo*, qua humanitate ſit à Bulæa, ſeu *Voluntate* exceptus; quantum ipſa afficiatur Idokerdo.

Cacotes. Archætia, ſeu *rectius Idokerdus.*

VErende Princeps, facilis alloquium tibi
Regina defert. *Ar.* Tempore an certo jubet
Obſequio adeſſe?

Cac.

Cac. Quo lubet; semper tuos
Prompta in favores. Ipsa si singi queat
Humanitas, humanior fingi nequit.
Adesse vix me resciit, statim suos
Subire vultus imperat. Quæ non Charis
Ex ore? quæ non Gratia ex vultu emicat?
Quo gestientis oris indicio tua
Merita recenset? quâ voluptate alloqui
Te concupiscit? Unus in cordis sinu,
In mente es unus, unus in votis Deæ.

Arch. Adverti amores, quando conclavis mihi
Aditum repandit regij. At certum nihil
Sperare fas est. Generis, & gentis meæ
Ignorat illa stemma. Sic aliquod amat,
Quod nescit ipsa, fraude confictum decus.

Cac. Quin Idokerdum quando te noscet, suos
Geminabit ignes. Fœminas genius tuus
Delectat: omnes commodis suis student.

SCENA III.

Poneria, seu *Malitia*, refert Archætiæ, seu *tecto Idokerdo*, Policarpum, seu *Bonum Publicum*, jam occisum esse, hujus personam aptè à Dolo sustineri.

Archætia, seu *tectus Idokerdus*. Cacotes, seu *Vitium*. Poneria, seu *Malitia*.

Arch. DEsiderata tempori hac effert senex
Poneria gradus. Ede, quid portas novi?

Pon.

Pon. Felicitatis omnia! Exutus suos
Dolus colores ore, sermonis sono,
Oculi vibratu, fronte, vestitu, gradu,
Gestu, colore, more, Policarpum refert,
Ut nemo facilè conditum dolo Dolum
Reperire possit. *Arch.* Verus id quânam feret
Fronte Policarpus? *Pon.* Excute ingenui metũ
De sede cordis. Nulla jam nostræ rei
Movebit arma.
Arch. Quam tenet mundi plagam?
Pon. Quam inexpiati sontium manes tenent,
Furiæq; flagro semper anguineo increpant.
Nam cùm sub umbra noctis extentus thoro
Traheret soporem, ferreus resti sopor
Per colla ductus, mortis extremæ ultimis
Transcripsit oris. *Cac.* Facinus hoc ductum aleâ
Periculosa est. *Pon.* Veste Policarpi Dolus,
Gestuq; & ore similis illius tenet
Conclave. *Cac.* Si non exprimat, damnũ est suũ.
Arch. Audax profectò facinus.
Pon. At justa hoc tamen
Ratio exigebat. In tuâ quidvis licet
Causa Idokerde, seu magis Ratio Status
Cupis vocari. Alius catenatus metu
Hæsisset anceps, jure ne læso in suum
Hoc scelere leges traheret ultrices caput.
Plebeia capita vinciant leges: ferox
Audacis animus jura non novit pati.
Si quis veretur jura, vel legem egredi,
Pœnæ timore stringitur. Quisquis metu

Est

Est liber isto, quod lubet, licitum facit,
Audaxque tentat. Quid Sacramento fides
Jurata socio, aut vinculum dextræ datum,
Ictumque fœdus? Sæculi exacti putris
Est ista virtus; quando præsentis boni
Ignarus orbis Persicæ nondum bibit
Mensæ apparatus, Atticas nondum dapes
Gustavit ore, glande Dodonæ famem
Satiare suetus. *Arch.* Certa jam menti redit
Spes eminendi: jamque Eleutheriæ Insulam
Hæc dextra flectit, dextera hæc sceptrum regit,
Quando minister proximus Regi est Dolus,
Primumq; Numen Regiæ. *Pon.* Passim genu
Curvatur uni; colitur, & libitu suo
Gubernat unus. *Cac.* Ecce Colacæa huc gradum
Molitur; illa cordis illicitum mei.

SCENA IV.

Colacæa, sive *Adulatio*, refert Idokerdo seu *Archætiæ*, Leucothoën, sive *Sinceritatem* aula ejectam, seque ejus loco assumptam. Unde hic in spem venit etiam Hypocrisin inducendi.

Archætia, seu *tectus Idokerdus*. Cacotes, seu *Vitium*. Ponetia, seu *Malitia*. Colacæa, sive *Adulatio*.

Arch. QUid hoc amœnæ frontis extersum jubar? Quo

Quo læta tendis? *Col.* Sortis obtentæ tibi
Felicitatem nuncio. Regis favor
Me jussit esse liberam, & primum dedit
Locum occupare, pulsa quem tenuit prius
Leucothoë in aulâ.
Pon. Noster hunc certè Dolus
Dolum paravit. *Arc.* Unde tam grandis tibi
Repensa merces? *Col.* Serva quòd fuerim tua:
Hoc uno honoris culmen inscendi gradu,
Quo te juvante potior, id tibi quoque
Debere fateor. *Arch.* Causa sed quænam fuit,
Eliminandi se de Leucothoën suâ?
Colac. Præsumptuosus mentis inflatæ tumor,
Audacia, & superbia, ac nuper gravis
In me patrata injuria Hanc Regi dolens
Lachrymansque vix sum questa, mox irâ calens
Exesse ab aula, sede, consilio jubet.
Pon Hoc est, quod animus antè portèdit mihi,
Col. Et exulare jussit. *Pon.* Euge nunc lætis fruor!
Exacta ubi est Leucothoa, progressu fluit
Votum secundo. Tuta nunc scenam potest
Subire Hypocrisis, tuta personam suam
Aulæ exhibere. Tela ducatur novas
Facilis per artes: Nemini nostros dolos
Datum est videre. *Ar.* Quære, num culto satis
Instructa amictu, Regium ut limen queat
Adire compta. Publico tandem decet
Illam locare in Sole, per cuius manus
Heroa mente facta designo. Hoc age
Bulen ego adeo. *Pon.* Jussa veloci exequor

Impul-

Impulsa vento: quamq; deposcis, cita
Tibi sisto Divam. Nec tenebrosam est opus
Spectare noctem: tuta jam medio die
Adesse poterit.

SCENA V.

Cacotes, seu *Vitium*, redditur certus, quod à Colacæa, seu *Adulatione* constanter ametur.

Cacotes, seu *Vitium*. Colacæa, seu *Adulatio*.

Cac. ---v-- Fallor? an Nympha es quoque
Regalis aulæ? *Col.* Nomen ex aulâ tamen
Non sumo. *Cac.* Mores sumis.
Col. Effare. *Cac.* At timor
Mihi verba cohibet. *Col.* Liberè loquere. Cui
Putas timendum? *Cac.* Vinculo, quo nos amor
Pridem ligavit. Fortè quæ celsum premis
Pulvinar ostro, sorte sublimis novâ,
Oblita nostri vivis, & nanum abjicis.
Col. Erras, perrenne vinculum nostri nisi
Credas amoris. Non ego inconstans amo:
Hoc nosse te, dilecte, jam pridem scio.
Cac. Scio. Sed honoris splendor antiquos solet
Mutare mores. Dignitas, vulgi tropo,
Fumus vocatur: nempe quod nube improbâ
Confundat oculos. Unde cùm angusto sedes
Sublimis ostro, fumeæ nubis sinu

Ocu-

Oculum impedita, fortè me parvum nequis
Spectare nanum. *Col.* Corpore es nanus gigas
Meritis videris. *Cac.* Veteris in mentem vocas
Nomina favoris. *Col.* Crede, tu semper meis
Hæres medullis, unus illicium meæ
Amorque mentis *Cac.* Fuimus hoc olim, tua
Conditio quando vilior medias stetit
Inter puellas: quando jam celso locat
Te dignitas fastigio, parem tuo
Heroëm honori diliges *Col.* Probro meum
Notas amorem. Semper hic eris mihi
Qui unquā fuisti. *Cac.* Credere hoc tutò licet,
Te mihi favere? *Col.* Quamdiu sanguis meos
Rigabit artus. *Cac.* Nullane memoriam mei
Eripiet hora. *Col.* Sidera in testes voco.
Cac. O chara Gratia? unicum votum mei
Colacæa cordis! *Col.* Gaudij, ô Cacotes, mei
Et amœnitatis vena, contracto licet
Sub artuum compendio, eximiam tamen
Adoro pulchritudinem. *Cac.* O vocis favus!
Col. O forma vultus! *Cac.* O Charis mentis meæ!
Col. Narcisse mi! *Cac.* Spes, gaudiū, & votū meū!
Col. Amor, voluptas, gaudium, votum meum!

SCENA VI.

Astræa per varias quæstiones venit in cognitionem *Vitij*, hoc expellere illa nititur: *Vitium* crumenam objicit, & nonnihil furorem hebetat.

Astræa,

Astræa. Cacotes, seu *Vitium*.

Astr. ITe, ite: teneros inter affectos date
Frœnos voluptæ. Nempe sublimis nota
Hæc illa mentis; nuper ad fasti gradum
Evectæ honoris, ponere infreni lupos
Non posse amori, gratiæ ac inter jocos,
Amœnitatis inter enerves choros
Exigere Soles. Ista non miror tamen.
Quæ nata vili est sanguine, obsequitur sui
Natalis astro. Plebe qui ex imâ trahit
Vitamque spiritumque, quantumvis levet
Supera stra frontem, semper exortum suum
Perfacta prodit. *Cac.* Nosco te talem, improba.
Quâ fronte nostro temet immisces choro?
Astr. Quâ munus obeo debitum.
Cac. Hoc munus tuum est,
Aliena facta carpere, & facilem rei
Turbare cursum? *Ast.* Cura Nymphæo mea
Invigilat aulæ. *Cac.* Quanta versatur rota!
Quam vasta moles! Unica Amaryllis potest
Mille ovibus imperare; sed ut unam regas
Aulæ puellam Regiæ, mille est opus
Adhibere vigiles. *Ast* Vera, quæ dicis, probo.
Sed quod tibi genus? ede; quod nomē tibi est?
Æsopus alter crederis mihi; capax
Astutioris ingenii, & verbis procax;
Quamvis tegaris vilis aspectûs notâ.
Cac. Ego ministro Archætiæ. *Ast.* Hoc equidē scio.
Quam servitutem? fare. *Cac.* Quamcunq; hæc
jubet. Præ-

Præsum cubili, servio ad scyphos; modò
Præfectus aulæ dicor & Ephœbus modò.
Vix palmus esse videor, officijs tamen
Fungor virorum plurium. *Ast.* Nomen tuum
Profare, *Cac.* Non unum hactenus nomen tuli;
Quo cuiq; Domino placuit, hoc passus fui
Nomine vocati. *Ast.* Magna prudentis nota
est
Pectoris, ad omne scire Dominorum caput
Aptare sese, & nomen. *Cac.* Obsequia dedi
Contentioso prima, qui rixas suis
Alebat armis. Ille persimili sibi
Mixtus catervæ (nempe generosis viris,
Interq; lances, Martijs) quidquid pater
Studio paravit, hæres absumpsit brevi.
Quoadusque licuit, servij, & fidus fui,
Mavorsq; dictus: quando sed tandem suis
Est devoratus canibus Actæon novus,
Aliò recessi. *Ast.* Credo, melioris Deæ
Usurus aurâ. *Cac.* Vota si arbitrio mei
Animi stetissent, melior ambiguam ratem
Aura impulisset. Fortè in opulentum incidi,
Sed Euclionem, divitem & avarum senem.
Hinc inter auri pondera, & partas opes
Noctes dieśque timidus, & nunquam satur
Vitam trahebat. Ejus obsequiis sacer,
Phido vocabar: donec aggesto miser
Pauperque in auro victimam senex fami
Sese immolavit. *Ast.* Inde ubi melior tibi
Quæsita sors est? *Cac.* Filius functo patri

Suc-

Succeſſit hæres, ingeni alterius, nihil
Sortitus animæ patris. Huic pauci dies
Fluxêre, fluxit pariter, annoſo pater
Quidquid laboie contulit. Plures ei
Servivi in annos. Ille *munifici* mihi
Nomen creavit Spiritus. Sed qui ſolet
Vini eſſe aduſti ſpiritus. Quando leves
Abire in auras grande momentum rei
Vidi paternæ, quodq; jam vacuos lares
Enmes ſubiret, ultimum dixi vale,
Aſtr. Intemperatam finis hic vitam ſolet,
Evanidiſque luxibus tritam ſequi.
Quò deinde, Domino rurſus exutus, tuam
Operam locuſti? *Cac.* Celebris & famâ inclytus
Cauſſidicus operam petijt, Ego ſortem ratus
Feliciorem, dexteram obſequijs dico.
Ille mihi grandè impoſuit, & dignum ſuo
Honore nomen. *Aſt.* Qualenam? *Cac. Ingeniũ.*
Dieſq; clari nominis. Primis puer [O decus,
Aſſuetus annis ille, quos Phaſis daret
Pœſiſq; cenſus figmati, ſemper ſuo
Litare ſtomacho, ſæpe Juſtitiæ in latus
Flexit bilancem; ſæpe non nocuam gravi
Linguâ æquitatem torſit, ut genio ſuo
Satis litaret. *Aſtr* Lingua facundo potens
Sermone multum, plurimum manus poteſt
Acuta ſcripto, fræna niſi ponat gulæ
Amor æquitatis. Scelera conſpexi, quibus
Mentem impiavit. Sed dedit tandem ſitis
Pœnas avaræ. [*Cac.* Vera narrâſti. Cliens

Morem

Morem execratus impium, impacto fibras
Transadigit ense: dumq; prostratus solo
Largè profuso sanguini immersus natat,
Ego timore trepidus in celerem pedes
Fugam incitavi. Jamq; turbarum satis
Hausisse memet æstimans, tandem ut dies
Tranquilliores viverem, Nymphis meam
Operam dicavi Hic foveor, & *Lepor*, vocor,
Astr. Scelerate! tandem noscetis. Nihil ambigo,
Cacotes, nefande es. Nominum varijs lates
Velatus umbris; alius atq; alius foris,
Idem sed intus semper: ut pœnis caput
Subtrahere possis, nomen immutas: Tua
Quænã hæc proterve audacia, ut vultum meum
Subire tentes? Crimen hoc pœnâ lues.
Cac. Heu me! perimus! Ista Justitia est, Fuga
Salus emenda est. *Ast.* Nulla te nostro fuga
Eripiet ensi. *Cac.* Heu! imminet. *Ast.* Fugias licèt,
Premam fugacem. *Cac.* Fida loculorum fides
Nunc serviat periculis. *Ast.* Nulla à fuga
Spes est salutis. At, quid Astrææ incitum
Ictum retundit? quid lacessitum vetat
Penetrare ferrum? vel quid objectu sui
Enervat iras chalybis, atque aciem atterit?
Cac. Ad sustinenda vulnera furoris tui
Hæc sola SCUTA serviunt. *Ast.* Istud quoque
Rapiam tibi munimen. *Cac.* Auxilium date!
Perimor! trucidor! morior! auxilium date.

SCE-

SCENA VII.

Cacotis, seu *Vitij* clamoribus excita Bulæa seu *Voluntas*, & Archætia seu *tectus Idokerdus*, Astræam aula expellunt. Vitium, seu *Cacotes & Archætia* consilium ineunt de expellenda etiam Sinceritate, quam Leucothoën dicimus.

Archætia, *Ratio Status*, seu *tectus Idokerdus*. Bulæa, seu *Voluntas*. Cacotes, seu *Vitium*. *Astræa*.

Bul. QUis iste clamor Regium larem increpat?
Ar. Quid hoc? meus ne servus? an quid est
Cac. Parum supremo mortis assultu abfui. (mali?
Hîc dum ministram fidus obsequio tuo
Impendo curam, scelere latronum obruor.
Bul. Palmare facinus! At quis in servum meum
Tendare id ausus? *Cac.* Illa, quæ stricto fremit
Astræa ferro, pectus in vulnus meum
Signavit ensi. *Astr.* Fateor. *Cac.* Infontem sine
Causâ trucidas. *Astr.* Hoc nego.
Cac. Quando tibi
Vel minima nostro crimine offensa est data?
Ast. Semper lacessis improbè.
Cac. Ignota es mihi:
Qui te lacesso? *Ast.* Crimen hoc ipsũ queror.
Cac. Quæ jura, quæ lex postulat nullum mihi
Non esse notum? *Arc.* Tam levi causâ meum

Ferite ſervum ? *Aſt.* Neſcio cujus lari.
Servus miniſtret : hoc ſcio, eſt Cacotes; licèt
Parvus ſtaturâ corporis, tamen haud levis.
Ubicunq; Cacotes prodit, in meritas decet
Pœnas vocari. *Arch* Somnias dirum caput,
Perverſe Judex, ſpititus Averno edite.
Cacotis *Lepori* nomen imponis meo.
Bul. Hunc dignitati Regiæ cultum exhibes ?
Aſtr. Hoc eſt meteri Regium aſpectum ; palàm
Taxare ſcelera. *Bul.* Pergis antiquum novo
Cumulare crimen crimine? *Aſt* At cujus ream
Sceleris probaſti ? *Bul.* O improba !
Aſtr. Hoc non eſt meum
Nomen *Bul.* Patrati at ſceleris agnoſcis ream ?
Aſtr. Damnanda non eſt actio, ſi quam bonus
Animus honeſtat. *Bul.* Cede, nec ſedem amplius
Hanc tenta adire. *Aſt.* O ſæculi infecti lues !
Mores nefandi ! quando, quæ meritâ decet
Pœnâ expiari ſceleră, tutelâ ſuâ
Defendit aula *Bul* Scelus inhumanum tuâ
Virtute ſepeli, Archætia *Arc.* At tangor tui
Animi dolore. *Bul.* Juſtus eſt equidem dolor,
Qui pectus urit. Ille, qui vixdum tener
Amor ſubivit pectora, jam adultus meo
In corde ſpirat. Unica in binis calet
Pectoribus anima : ac inde, qui mordet tuas
Dolor medullas, ille diſcruciat meas.
Arch. Quod tam benigni ſideris fatum meam
Duxit carinam gratiæ in portum tuæ ?
Bul. Eximia virtus mentis. *Arch.* Eximiæ tuæ

Boni-

Bonitatis aura.

Bul. Tu parem nescis. *Arch.* Parem
Nescis. *Bul.* Recedo Rursus aspectu frui
Quando licebit? *Arch.* Dulce delicium animi,
Non multa abibunt tempora *Bul.* In quotnã dies
Hic commorari destinas? *Ar.* Quotquot lubet.
Bul. Hic te perennem cupio. *Ar* Quod mandas, habes:
Ero hic perennis. *Bul.* Ludis? an verum refers?
Arch. Ero hic perennis *Bul* Interim acceptâ viam
Spe plena carpo. Nulla mœroris mihi
Nubes serenum mentis eripiet tui
Quamdiû licebit munere aspectûs frui.
Ar. Bulæa, vive! *Bul.* Abscedo, sed maneo tamen
Meliore parte. *Arc.* Te licet maneam, sequor.
Bul. Vale voluptas unica. *Arch.* Abeuntem meus
Comitatur animus. *Bul.* Aliud an quidquam velim?
Arch. Aliude speré? *Bul.* Corpore abscedo (vale!)
Non mente. *Cac.* Quanta affectuum pugna.
Arch. Est mea.
Cac. Adverti: at ægrè credidi Sed si semel
Larvam resolvas, teq; sincerâ tui
In fronte monstres, scilicet totum fluet
Amore pectus. *Arch.* Vota successu bono
Isthic feruntur. Non pari cursu finit
Astræa fluere, spiritus duri nimis
Et insolentis Nympha, quæ nostrum manu
Rigidoq; servum acinace est ausa aggredi.
Excogitandus fraudis est aptæ modus,

Ut impotentis ausui obstemus manus.
Cac. Morte eruamus ultimum terræ probrum.
Ubi illa vivit, nullus est nobis locus
Sat tutus unquam. Ferreâ aggressa est manu
Me nil merentem. Et quamlibet pectus semel
Crumenæ hic umbo texerit, semper tamen
Non sustinebit impetum. Capiti meo
Semper vereri debeo. *Arch.* Solvi decet
Animum pavore. Regis affatum pete,
Dolens renarra facinus. Hoc nosti dolo
Leucothoam abire regio jussam lare,
Cac Iret beato nostra Neptuno ratis,
Hæc si remora à Regiâ, exilio suos
Piaret ausus. Candidi ô ! cœlo dies
Venite tandem, ut Regio Astræam lare
Videam exulantem ! Pareo imperio tuo,
Celeroq; gressus. *Arch.* Illud observa quoq;
Primo Ministro ut ordinem, & totam rei
Seriem reveles. Ille progressum rei
Felicitabit. *Cac.* Ista sint curæ meæ.
Agenda nosco. Mole sim nanus licèt,
Non nascor hodie. Sunt meæ technæ mihi,
Meæq; fraudes pectori. Aut Cacotem hodie
Orbi probabo memet, aut dicar nihil.

SCENA VIII.

Arete, seu *Virtus* manifestat Archætiæ, seu *tecto Idokerdo*, se sensim à Rege despici.

ipsam-

ipsamque nimis potentem apud Regem evadere.

Archætia, seu *tectus Idokerdus*. Aretes, seu *Virtus*.

Arch. REgina gressu huc fertur.
Aret. En illa impia
Arch. Siccine salutor? *Aret.* Vultus invisus mihi!
Exosa pestis! *Arch* Nullus effugio est locus.
Aret. Quid misera faciam? *Arch.* Visa sum. Cultu
Lunare genua. Poplitem flecto tuo (decet
Regina honori. *Aret.* At unde?
Arch. Consuetum dedi
Cultum Sorori Regis. *Aret.* Excedis nimis
Tributo honoris. *Arc* Parte vix minimâ mei
Attingo cordis debitum, quo me scio
Regi obligatam, gratiâ qui me suâ (facit,
Fovet, & amore. *Aret.* Merita quod poscunt,
Arch. Fovet immerentem. Qualis ac Phœbus so-
Æquè jacentûm vallium umbrosos sinus, (let
Ac elevata montium altorum juga
Imbre radiorum inspergere, affectus suos
Rex talis in me inclinat, abjectam licèt.
Aret. Sed dignitatis opprimit lucem meæ.
Arc. Deserta misera! *Are.* Sorte non faustâ thori
Consors. *Arch.* Ad illum, Regio semper mihi
Pronum favore accedo. *Aret.* Crudelem mihi
Arch. Me suscipit. *Aret.* Sed me abigit.
Arch. In casus meos

Solamen adfert facilis. *Aret.* In meos novum
Adfert dolorem *Arch.* Pacis optatæ mihi
Portum recludit. *Aret.* Pacis optatæ mihi
Portum recusat. *Arch.* Me erigit.
Aret Me deprimit.
Arch. Hinc spero, *Aret.* A tinde timeo. *Arc.* Rega-[lem manum?
Aret. Non. Sed tuam potentiam.
Arch. Quâ te erigam?
Arch. Quâ labar. *Aret.* Alibi mente versatur nihil
Intenta verbis? Ergo sic ludus tibi
Jocusque fiam? Juro! contemptum gravem,
Graviore pendam.

SCENA IX.

Queritur Arete, seu *Virtus*, Eudæmoni, seu *Bono Genio*, Archætiæ fraudibus occupatum esse Synesij, seu *Intellectus* animum, per hanc exulare Leucothoën, seu *Sinceritatem.* Consilium & auxilium à Bono Genio, seu *Eudæmone* petit: sed ex eo intelligit, quantum mutatus sit Policarpus, seu *Publicum Commodum.*

Eudæmon, seu *Bonus Genius.* Arete, seu *Virtus.*

- - - - - Quàm insolens gestu & gradu
Proripuit hinc se! *Aret.* Talis ut regni exeat
Sinu, vovendum est, qualis hac scenâ gradum
Super-

Superba rapuit. Cerno nunc demum suâ
Fraude exulasse nuper addictam mihi
Leucothoëm; & exulantis in sedem, locum,
Munusq́, (non ut serviat, sed ut magis
Noceat) venire vile mancipium soli,
Sirena blandam fronte, sed sævam manu;
Quæ, quo jocatur blandiùs, graviùs ferit.
Eud. Dolosa Siren! cujus incantant suo
Canore moduli Regiæ mentis fibras,
Animumq́; in avia rapit aversum melos.
Aret. Ad te recurro, suavis Eudæmon, meis
Spes una damnis. Arte Pœoniâ piam
Regi ministra dexteram, & fidum in gravi
Periculorum mole consilium exhibe.
Consilia tantis sola medicamen valent
Tua ferre damnis.
Eud. Quidquid in præsens potest
Ars nostra, fide Domina, confectum dabo.
Sed spes micaret amplior, si se meis
Summus Minister Regiæ votis quoque
Accommodaret. *Aret.* Ergo dissentit sibi,
Mentemq́; mutat? Ille, qui vagam prius
Aulæ improbabat hospitem, inconstans mea
In damna factus? *Eud.* Ah! nimis verũ probant
Eventa rerum. *Aret.* Siccine abscedit suâ
Mutatus à sententiâ, cujus fuit
Penè auctor ipse? *Eud.* Pristinus cessit calor,
Lentumq́; mentem frigus adstrictam tenet.
Assuetus antè liberè Regi loqui,
Jam cedit ultrò, & impetus Regis probat.

Aret. At unde tanti vena derivat mali?

Eud. Vitio potentûm. Nulla jam viri fides
Quæritur in aulâ. Consili solùm super
Est umbra, non consilia: sed si quæ tamen
Consilia versent; displicent, qui non probant
Placitura Regi. Si quis attendat rei
Pondus, placere negligens, actum est: suâ
Statione cedat. Aula placituros amat.

Aret. O dura fata temporum! infausti dies!

Eud. Hac arte primus ille, qui Regi assidet
Laudat volentem quidlibet, sancta improbat,
Probat siniſtra: dissidet linguâ suo
A pectore ipse: falsa consilio ingerit,
Et vera sepelit: quæ placent loquitur, tacet
Utilia. Regis gratiam hoc precio levem
Emit, & favores *Aret.* Ille, qui tantum valet,
In innocentem tela si stringat, nihil
Me perditam mirabor. Auxilium mihi
Inane posco, Nulla spes usquam micat,
Ubi Policarpus ipse mutatus mea
In damna sudat.

SCENA X.

Caturgus, seu *Genius malus* indignatur Eudæmonem, seu *Genium bonum* amanter haberi ab Areta, seu *Virtute*; ab eo sibi ruinam parari præsagit: solatur se tamen, quod se protegi à ficto Policarpo advertat.

Cacur.

Cacurgus, seu *Malus Genius*.

- - - Hostis Eudæmon meus
Reginæ ad aures solus arcano moras
Sermone ducit? Causa jam satis patet,
Cur sors recedat melior, & pejor mihi
Incumbat. Ex quo se maritali simul
Fœdere jugârunt, nostra consilia improbat
Rex Idokerdus: quodq; metuendum mihi est,
Hic nodus arcti fœderis semper magis
Stringetur. Istâ fraude præcipitem mihi
Parat ruinam. Mutui certum quidem
Nexum notabam sanguinis, tantum tamen
Nunquam futurum credidi. Affectum suum
Ut prona in illum conferat, multa imperant,
Feramus animæ, nostra si minus valent
Merita impetrare: causa non latet. Meas
Si *quando vitreo* judici obtendo genas,
Respondet aptè: nulla mihi puro coma
Concertat auro: nullus è frontis sinu
Nivibus vel ostro prælia indicit color:
Non oris illa gratia, aut morum tenor,
Vigorq; amœnus corporis, qualem suo
Ambit calori: multa jam senium mihi
Induxit ætas, multa mihi ruga abstulit
Illicium amoris. Mente sed tacitâ premam,
Quæ verba in ore pruriunt. Totam mali
Jam teneo causam. Veniet & nostris quoq;
Medela damnis. aliqua adhuc bonæ spei
Scintilla fulget: ipsa jam placida erexit

Fortuna frontem, meque meliore aspicit
Amœna vultu. Ipse æmulo nuper meo
Unicus amicus, unicus semper mihi
Policarpus hostis, mente præsagâ notat
Illius astus, cujus à dolis timet
Favore Regis excuti; mentem & modum,
Animumque vertit, meque constanti tegit
Favoris umbrâ: scilicet, suum ut æmulum
Hostemq; nostrũ proterat. Hic aulæ est tenor:
Ingenia technis acuit, artifices dolos
Ingerit; amicos nescit, ubi nullum emicat
Propriæ saginæ commodum; stantes premit,
Levat jacentes. Ille plus reliquis sapit
Qui colla reliquis calcat, ut sese levet.

SCENA XI.

Synesius, seu *Intellectus* Rex persuasionibus Doli Policarpum, seu *Puplicum Commodum* mentientis, inductus decernit Astrææ exilium, & reditum in aulam Cacurgo, seu *Malo Genio*.

Synesius, seù *Intellectus*. Dolus *sub mentito habitu Policarpi.*

Syn. ASTræa tam palmare tentavit nefas?
Dol Tentavit, ô Rex; dumque tam sacro tuam
Maculavit aulam crimine, in legum foro
Se dignitatis Regiæ fecit ream.
Syn. Quæ tentat ultra scelera? quis vultus reæ?

Quæ

Quæ verba? crimen perspicit? factum dolet?
Dol. Quin perpetratum sceleris accessu scelus
Malesana cumulat, quando defendit malum.
Syn. Quæ causa sceleris? *Dol.* Genius innatus mali
Et contumacis spiritus. *Syn.* Nunquam mihi
Sic ante visa est contumax. *Dol.* Latet diu
Natura, quando occasio sceleris deest.
Hæc una culpa prodit ingenium satis.
Syn. Est corrigenda. *Dol.* Sola palmare hoc potest
Mors expiare crimen. *Syn.* Excedis modum.
Dol. Tranquilitatis publicæ hoc ratio jubet,
Ut scelera reprimas; genitum jura hoc petunt,
*Fides*que læsa postulat: fævam rogat
Violata pietas Numinum tuâ manu
Tonare pœnam, Desino loqui, tua
Ubi perorat dignitas. Anima perit.
Si quando cultus debitus Regi perit,
Exempla semper grandium in vulgus fluunt,
Et quod scelestum fuerat, in legem migrat.
Si crimen istud debita pœnâ caret,
Hac ipsa in aula vertieis tui salus
Periclitatur. *Syn* Aliquid exacti prius
Virtus meretur temporis pœnæ minus
Reæ irrogari. Ne tamen cristam erigat
Impune crimen, munere excedat suo,
Reliquaque vitæ spacia privata exigat.
Dol. Sed quæ vacantis interim officij locum
Nympha obtinebit?
Syn. Ne vacet munus, tuæ
Remitto curæ, *Dol.* Politica excelsi ingeni

Prudensq; Nympha, Regiæ tuæ hospitis
Vetusta genitrix, spiritus dignos habet.
Syn. Si tibi videtur digna, succedat loco.
Dol. Imperia pronus capio *Syn.* Nunc ergo meis
Leucothoa tectis exulat, & aulâ procul
Astræa migrat? Tempus ô quantæ vices
Breve occupârunt! Sortis infelix status!
Nam quod malignum sidus, & diris rigens
Cometa flammis Regiæ ingenuam meæ
Tranquillitatem turbat? *Dol.* O Princeps polis
Æquande, pauca liceat effari: meæ
Arcana mentis exeram. *Syn.* Effare: audiam
Dol. Equidem fatebor, Principem cœlo datum
Ut flectat orbem, ponderi vires pares
Prudentiamq; debitam cœlo simul
Trahere benigno: prima sed tamen nota
Prudentis animi est, inter adversas sibi
Opiniones, optimam ut mente eligas.
Sententiarum prælio & variâ vice
Opinionum veritas lucem videt.
Hinc nata sunt consilia. Jam multæ polo
Fluxêre luces, quod tuo, nullâ reus
Culpâ, Cacurgus jussus excludi lare
Rebus vetatur curiæ arcanis suum
Miscere sensum. Video quæ procul hinc minæ
Veniant malorum. Singulis Regem decet
Aurem exhibere. *Syn.* At nostra quod reo minùs
Patuerit auris, ipse feceris: tua
Consilia damnas.
Dol. Fateor, at prudens quoque

Con-

Consilia mutat. *Syn.* Causa quæ tandem jubet
Mutare mentem? *Dol.* Video non magnum tuæ
Patere campum gloriæ, & in arctum trahi
Momenta rerum, quando consilio omnia
Unius aguntur. Veritas nunquam patet,
Nisi exigantur cuncta ponderibus suis:
Momenta rerum gravia versari decet,
Agiq; per sententias. Ratio statum
Hæc una servat publicum. Nullum decet
Excludi ab aure Regiâ. *Syn.* Exosum mihi
Illius est commercium, *Dol.* Morbo datam
Sæpe medicinam nauseat gustus: tamen
Salus ab illâ surgit. *Syn.* At quisquis propè
Venena tractat, morte non distat procul.
Dol. Sed cauta nullum dextra discrimen subit,
Quamvis venena tractet. *Syn.* Audiri, parum
Prodesse potetit, quando, quod suadet, nocet.
Dol Sed neq; nocere poterit auditus, Potes
Sensa experiri. Displicent? nemo tuam
In illa mentem coget. *Syn.* Evincis. sequor,
Quodcunq; ratio publici suadet boni.
Veniat, & animi sensa recludat sui,
Audire cunctos expedit. *Dol.* Quantum tibi
Dulce Policarpi pallium debet Dolus!
Quod impetrari posse dubitabant, tuâ
Jam fraude teneo. Quamdiu vitæ mihi
Spirabit aura, nullos ex istis tuos
Humeris colores rapiet. Exuviis Dolus
Policarpi honestus, quidquid arridet, bono
Corono fine.

SCE-

SCENA XII.

Poneria, seu *Malitia*, ab Hypocrisi auxilium tecto Idokerdo contra *Virtutem*, seu Areten, & Eudæmonem seu *Genium bonum*, implorat: quod ista promittit.

Poneria, seu *Malitia*. Hypocrisis:

COlumen ô stirpis meæ,
Dilecta Hypocrisis, quidquid est nostro super
Spei Idokerdo, pendet auxilio tuo,
Tuâque mente. *Hyp.* Parce jam verbis: scio
Quid ista causa poscat. Non est novum,
Quod tento facinus. *Pon* Loqueris expertæ.
Hyp. Chlamys
Ficta Bonitatis, quâ tegor, probos capit
Pietatis umbra, quando vel sculptis caput
Inclino Divis, vel verecundis Dei
Succedo templis. Inde, qui meo prius
Reti involutus, qualis allectrix avis
Caveæ inquilina cæteras cantu vocat,
Viscoque fallit, talis exemplo suo
Alijs trahendis servit. Hinc multus meum
In rete populus irruit. *Pon* Nosco tuæ
Mentis vigorem; fraudis hinc summam tuæ
Committo curæ.
Hyp. Quidquid adlibeat, jube:
Agam imperata. *Pon.* Liberè bello manus
Inflammat Arete; liberè Eudæmon sua

Con-

Contorquet arma, nosq; conjunctis petunt
In fata viribus. Una, si voles, potes
Obsistere armis, una funesto dare
Utrumq; letho. *Hyp.* Si volo? Jubet hoc fides
Data Idokerdo, quodque jam pridem mihi
Odium exacerbat viscera.
Pon. At nostræ tamen
Ne factionis esse videaris, cave.
Hyp. Nunc me dolosam credo, quando ipsi tibi
Sum visa simplex. Artis elementum meæ
Hoc est primum censeo, si quem dolis
Libet implicare; fingere & apertum sinum,
Et amica verba. Nemo diffidens labris
Admordet escam fraudis. Ego nullum meo
Reti obtinerem, socia si scirer tua.

SCENA XIII.

Cacotes, seu Vitium, evocat Poneriam seu *Malitiam*, fictam Politicam ad Policarpum. Intelligit subobscurè ex Hypocrisi, quæ sub pallio Bonitatis egerit: rogat illud etiam sibi servari, ut pro opportunitate uti possit.

Cacotes, seu *Vitium*. Poneria, seu *Malitia*. Hypocrisis.

Cac. POst evolutas temporis longi moras
Tandem reperta es.
Quæreris primi undique

Jussu

Jussu Ministri. *Pon* Quid jubet?
Cac Certo mihi
Non constat. Illud arguo: magnæ rei
Momenta volvi, *Pon*. Pareo jussis. *Cac*. Ave
Veneranda Hypocrisis, Rursus an video tuos
Humeros vetustæ chlamydis ornari notâ?
Hyp. Cui vestis ista serviit, brevi morâ
Scenam peregit. *Cac*. Cùm voles tuis satis
Feciisse votis, tempore utendum puta:
Dilata fugiunt sæpe. Sed cuinam tuus
Servijr amictus? *Hyp* Istud à mutâ rogas.
Cac. Cuî fronte similis? quis color vultûs? comæ
Quanta est honestas? qualis humerorum tenor?
Quænam statura corporis? quamnam tenet
Domum inquilinus? aliquid ut discam, doce.
Hyp, Nimis es molestus.
Cac. Contumax nimis es mihi.
Arguere liceat. *Hyp*. Argues nunquam tamen.
Cac. An ille non est . . . ?
Hyp. Ore Sigalion preme.
Cac. Quid? *Hyp*. Preme labris silentium.
Cac. Certè meâ
Opinione vinco. *Hyp*. Ne prodas, cave.
Cac Nolo ligari. grande tormentum foret,
Prodere nequire noctuas, si quas sciam
Latere tecto, *Hyp*. Proditæ immunis rei
Ego sum. *Cac*. Nec isto vincior. Nugas modò
Mittamus animis. Iste ne desit meo
Obsequio amictus, quando res usum petet,
Nullius usui applica. *Hyp*. Ut voles, potes

Jube-

Juberc, ſemper obſequar. Non eſt novum
Quod iſta Cacotis corpori inſerpat chlamys.

SCENA XIV.

Intervenit Cacurgus ſeu *Malus Genius*, ignotus Cacoti ſeu *Vitio*, & Hypocriſi. Quare hi duo ſermonem mutant. Hypocriſis Bonitatem ſimulans, hortatur Cacoten ad æternorum curam, quam interpellat Cacurgus. *Agnoſcitur demum Cacurgus; cum Cacote & Hypocriſi contra Regem & Regnum conjurat.*

Cacotes. Hypocriſis. Cacurgus.

Caco. NEſcio, quis inde proximum huc urget gradum.
Vertenda nobis ſcena verborũ eſt. *Caco* Age.
Hyp Dilecta ſoboles, quàm procul recta poli
Gradum revolvis ſemita?
Cacur. Quos hæc ſonos
Murmurat in aurem vetula?
Hyp. Callis, quem teris
Non eſt ad aſtra; nate: mutandus tibi eſt
In melius animus.
Cacur. Domina, neq; tempus, neq;
Locus iſte concionis eſt *Hyp.* Dominæ, abſtine
Vocare titulo, Vilior ſors eſt mea,

Quàm

Quàm vel sitire possit, aut ferre hoc onus
Tituli insolentis. Ambitum pejus cane
Detestoristum. Quamdiu vitam traham,
Hoc me benignus spiritu absolvat polus.

Cacur. Quid vetula blateras?

Hyp. Charitas quod me jubet:
Corrigo terrentem semitæ errantis viam.

Cacur. Vanum laborem suscipis. *Hyp.* Negotium
Agitur salutis: hocne tu vani putas
Operam laboris? *Cacur.* Iste postremus labor
Est Regiarū. *Hyp.* Misera! quid monstri audio?
Quid nate loqueris? animus attonitus stupet,
Rigentq; crines.

Cacur. Opera, non verba hic volo.

Hyp. Benigniore fronte, quæ dicam, excipe
Amice frater. Nulla me vitæ trahit
Cura perituræ: zelus hoc agit meus,
Ut sempiternæ gloriæ, pulchrum lucrum,
Transcribat animas. quando sed cerno vias
Fervere scelerum, & devias mentes polo
In averna ruere, magna mihi mentem subit
Mundi erigendi cura. *Cacur.* Nisi gradum velis
Hinc incitare verbere, excede oevus.

Caco. Huic prælia ri desine, ô Mater, nisi
Redire nimbo onusta probrorum velis.
Namq; expeditæ semper est linguæ in probra
Procax Cacurgus.

Hyp. Quid? Cacurgus est? *Cacot.* Trucis
Frontis character loquitur, & vultûs nota
Inamœna prodit. *Hyp.* Ipsę; nisi fallor dolo,

Cacur-

Cacurgus est. *Cacot*, Est.
Hyp. Parce, si minùs tuo
Delatum honori est. Mentis ô consors meæ,
Meiq; genii genie ! ad obsequium magis
Me compulisses, ante si visus mihi
Unquam fuisset oris aspectus tui.
Cacur. Amica tunè nostra
Hyp. Quin primæ reor
Admissionis. *Cacur.* Oris ac frontis tenor,
Modesta vultûs forma Pietatem sapit.
Hyp. Hanc nempe larvam vultui induco foris,
Hypocrisis intus lateo.
Cacur. Quàm fœlstos mihi
Amica vultus explicat ! Pridem tui
Desiderata copia est : sed nunc magis
Optata fulget. Fœdere æterni sibi
Synesius Areten junxit Hymenæi ; mihi
Areten perosam semper, & sacræ Stygi
Pridem dicandam. Hanc corde non sano fovet;
Hanc lambit, hanc adorat, hanc servi in modum
Tolerat jubentem, honorat, obsequitur, timet.
Illa violentâ torquet imperium manu,
Rotatq; Regem, quà placet. Quid hinc mihi
Felicitatis ? Unde funestæ imminet
Probrum ruinæ. *Hyp*, Noscis antiquum, tuo
Quo ligor amori, vinculum. Si quid tuis
Conferre Hypocrisis commodi rebus potest,
Paratam habebis : *Caco.* Nec mihi in partè rei
Venire dabitur ? Nempe jam nulli usui
Cacotes superstum. Tollite obsequii mei
Artisq;

Artisq; dextram, vestra quid tandem manus
Vincere valebit.
Cacur. Quis meæ hîc auri obstrepit?
Cacot. Quis? nube densâ cœcitas oculos premit?
Me junctum Hypocrisi cernis, & nondum tuis
Agnoscor oculis? sede judicium suâ
Si staret, ipse comitis aspectus meæ
Cacotem esse memet proderet.
Cacur. Cacoten! *Cac.* Potes
Credere *Cacur.* Sed erro mente.
Cacot. Quâ causâ? *Cacur.* Scio
Cacoten proceræ molis, at modicam tui
Video staturam corporis. *Cacot.* Quamvis tibi
Pigmæus esse videar, aspectu tamen
Me, grandiorem crede. *Hyp.* Jam nanum mea
Te finge fraude. *Cacot.* Cogo naturæ indolem.
Cacur. Es ero Cacotes! Fausta societas sacri
Triumphiratus! *Om.* Fausta societas trium,
Cacotis, Cacurgi, Hypocrisis,
Cacur. Ineamus simul
Perenne fœdus mortis & vitæ Nihil,
Si sanciatur fœdus, extimeo. *Hyp.* Nihil,
Si sanciatur fœdus, horresco. *Cacot.* Nihil,
Si sanciatur fœdus, addubito. *Om* Minus
Arete superbas eriget posthac comas.
Cacur. Sic opto *Hyp.* Jubeo. *Cacot.* Fiat.
Om. In fœdus manus
Jungamus unà. *Cacur.* Consilî vires ego:
Cac. Ego labores dexteræ in fraudes feram:
Hyp. Ego usitatis artibus vestræ decus

Exsu-

Exsuscitabo gloriæ. *Cacur.* Inveniam dolos.
Cac. Excogitatos opere complebo. *Hyp.* Tegam
Chlamydis amictu. *Omn* Tota se in Regem si-
Regnumq; vis & robur ingenij exeret. (mul

ACTVS III.

SCENA I.

Poneria, seu *Malitia*, gratias agit Bulææ, seu *Voluntati*, quòd Archætiam, seu *tectum Idokerdum*, invisere dignetur.

Poneria. seu *Malitia*. Bulæa, seu *Voluntas*.

Pon. EXuberantem gratiam, cujus favor
Tibi me ligavit servulam, augmẽto novi
Cumulas favoris, quando progeniem meam
Dignaris aditu. Magna majorem excipit
Gratia favorem. *Bul* Nempe meritorum trahor
Illius uno pondere. *Pon.* En gressum huc movet.

SCENA II.

Adest tectus Idokerdus Archatiæ habitu, detegit se esse Idokerdum: mutui inter hunc & Bulæam, seu *Voluntatem*, amores explicantur.

Archætia, seu *tectus Idokerdus*. Bulæa, seu *Voluntas*. Poneria, seu *Malitia*. Cacotes, seu *Vitium*.

Idok.

Idok. AUgusta Princeps, poplite inflexo tuos
Vereor honores.
Bul. Unica affectûs mei
Assurge gemma. *Idok* Grandis excessis tuæ
Humanitatis, Domina, perfundit meos
Rubore vultus, seq; non solitus favor
Ipsum triumphat. *Bul.* Vita non vita est mihi,
Dum vivo sine te. *Idok.* Vita tum primum mihi
Per membra serpit, quando te video, mei
Cordis medullam.
Bul. Quidquid obtendas, meos
Non trahit amores: una tu mentem rapis
Idok. Quodcũq; pectori ingeras, nunquam *meos*
Emes amores: una tu menti places.
Bul. An vera loqueris, gaudij vena ô mei,
Mea ô voluptas? *Idok.* Si neges verbis fidem;
Tibi crede, quando lumine internam potes
Penetrare scenam cordis? & apertos sinus,
Meosq; amores perspicis *Bul* Novum genus
Hoc est amandi, *Idok* Grande prodigium soli
Non ante visos pectorum affectus parit.
Bul. Votis amores nutrio, & nihil tamen
Proficio votis. Mente, quod fingo bonum,
Frui prohibeor. Diligo, quamvis nihil
Sperare liceat. *Idok.* Diligo, & spero simul.
Amor timore crescit. In pectus timor
Languore penetrat, eliquat fibras amor;
Unumq; rapiunt pectus & flammæ, & gelu.
Bul. Constantis in te cordis augmento fides
Majore semper crescit. Ex vitâ spei

Amor

Amor putatur vivere : erratis ; meus
Amore vivit spiritus, toto tamen
Extincta spes est corde. *Ido.* Flammantis sinus
Incensus ardor liberas auras timet.
Ardeo, tamen nihil audeo. Et timeo, & amo,
Patiensq; sileo. Ferveo, & stringor gelu.
Bul. Tu metuis ? *Ido.* Et tu corde spem ponis ?
Bul. Mei
Despero amorem. *Ido,* Vereor offensam tui.
Bul. Heu me ! quod isto pectore offensæ genus
Pores vereri ? cujus in sinu tui
Affectus ardet. *Cac.* Principis sed quis tibi
Sensus videtur ? *Pon.* Æstuat suis quoque
Incensa flammis. *Cac.* Fomiti pulchrè emicat
Maritus ignis *Bul.* Fare ; quid siles ? *Ido.* Loqui
Vetor timore Si tamen nomen meum
Nihil priori gratiæ officeret, neque
Sortis fluentem sisteret cursum, meum
Nomen retegerem. *Bul.* Liberè, exacto metu,
Effare nomen Oris externi charis
Vultusq; honesti gratiæ semper mihi
Animo sedebunt. *Idok.* Aliud hic intus latet,
Quàm quod videtur. Fœminâ ex habitu putas
Sed fallo veste, Archætia à notis vocor :
Sed nempe ficti nominis larvâ tegor,
Ne noscar ulli. *Bul.* Fare, quod nomen geris ?
Idok. Ego sum Idokerdus *Bul.* Idokerdus ? O mei
Cordis voluptas ? *Idok.* Ille, quem pridem tui
Audita species oris, & famâ indice
Descripta forma rapuit, & victum stitit

Ad

Ad juſſa ſervum. *Bul.* Fallor! an video mei
Pectoris amores? Illa, quæ pridem tui
Inebriatâ nominis famâ, tibi
Meos amores voveram, jam te mei
Video Idokerde mutuo affectu trahi.
Regina at ecce Regium huc effert gradum.

SCENA III.

Intervenit Arete, ſeu *Virtus*, Regina; avocat ad ſecretum alloquium Bulæam, ſeu *Voluntatem*, indignatur Cacotes, ſeu *Vitium*: hunc dimittit Idokerdus, ſub perſona Archætiæ; & ſolus de irredienda muneribus Bulæa, ſeu *Voluntate*, deque regno occupando deliberat.

Arete, ſeu *Virtus*. Poneria, ſeu *Malitia*. Idokerdus adhuc ſub veſte Archætiæ. Bulea, ſeu *Voluntas*. Cacotes, ſeu *Vitium*.

Aret. AUguſta Princeps. *Bul.* Domina.
Aret. Quam ſortis bonæ
Nos jungit aſtrum! quando me graviſſ premût
Momenta rerum, conſilii tu in partem veni,
Bul. At quando?
Aret. Præſens hora te, Princeps, petit,
Bul. Servire promptam cernis. O Archætia
Concede veniam, latere ſi modicum tuo
Coacta cedo. *Idok.* Quando, qui jubet, poteſt

Jubet

Jubere, pareſt obſequi. *Bul.* Brevis mora
Nos jungeriterum.
Cac. Quæ ratio agendi? modus
Quis iſte morum? Principum quod hoc probū?
Inculta Princeps, moris humani rudis!
Effronsq; fœmina! inſolens! ſemper meis
Inimica rebus! Sidere infauſto fata!
Quodcunque tentem, ſemper in curſu obviat.
Idok J, perge Cacotes; peragè, quod iuſſi prius.
Cac. Pareo jubentis nutui. *Idok* Primum mihi
Devincienda munerum illicio aureo
Bulæa Princeps. Grandia his armis cadunt
Subacta corda. Duplici expenſæ mihi
Fœnore redibunt, faſcibus ſi ſe meis,
Ut ſpero, reddat ſubditam Regni decus,
Et jura ſceptri, & purpuræ auguſtæ notæ
Debentur illi: capta ſed mentem dolis
Sua jura fratri ceſſit. Ego rurſum vetus
Jus excitabo, mortuum qvamvis putes,
Clauſumque tumulo. Quando vis lites alit,
Quæcunque ratio ſervit, & vires habet.
Hæc eſt amoris cauſa prætexti unica:
Illam putor diligere, ſed me diligo.

QUod illa regnum dirigit.
Hoc diligo Idokerdus:
Gemmas, opesque, divitis
Pretioſa dona ponti.
In quam ferantur proniùs,
Metâ carent amores.

Quid tot caducam angoribus,
Doloribusque formam
Venamur & suspirijs
Vultûs amœnitatem,
Frontisque speciem quærimus,
Orisque purpurissimum?
Opes, opes concedite:
Has diligo, has adoro.
Has luce quæro, has somnio,
Cùm nox sopore mergit.
Harum fames me quoslibet
Urgebit in labores.
Tunc est amandum, cùm redit
Vectigal ex amore.

SCENA IV.

Cacurgus, seu *Malus Genius*, refert gratias Idokerdo adhuc Archætiam simulanti, quod ejus ope in aulam sit introductus: memorat quæ pro eo ad occupandum Regis affectum sit operatus. Ea non omnino probat Idokerdus, quod ipse Regem non amet.

Idokerdus adhuc sub Archætiæ habitu.
Cacurgus.

SEd en Cacurgus advenit, solus mihi
Fidele pectus. Gratiæ antiquæ statum
Tibi restitutum gratulor.

Cac.

Cac. Donum hoc tuum est. (tuo?

Idok. Nam quod ego studium commodo impendi

Cac. Per te secundæ sortis aspectu beor,
Per te siniſtra sidera immutant vices,
Ceduntq; fauſtis Arduum aſcenſum mihi
Veteris honoris una complanas. Tuus
Regi Syneſio acceſſus arriſit: tuâ
Inducta fraude ſerva, & acceptum melos
Oriſq; amœni chroma me gratum facit.

Idok Me ſervijſſe gaudeo meritis tuis.

Cac. Si vetera rurſus decora, & antiquos traho
Per te favores, patere, ut impendam tuis,
Quidquid valebo, commodis. Hinc vix decus
Indeptus aulæ priſtinum, & Regis latus;
Aurem occupavi: moxq; cùm vidi tuâ
Formâ rotari corda,... *Idok.* Quid rerum refers?

Cac. Calcaria fibris addidi, quas jam prius
Natura ſtimulis urſit. Hinc pronus meo
Conſilio adactus combibit pulchri faces
Vivas amoris. *Idok.* Conſili ô triſtes vices!
Quid inchoaſti? *Cac.* Quidquid è bono tuo
Rebar futurum. *Idok.* Falleris.

Cac. Quinam obſecro,
Si pulchritudo fœmine hoc uno eminet,
Sibiq; precij grande momentum putat,
Quòd diligatur pluribus? *Idok.* Tales ego
Non pendo amores. *Cac.* Gloriam forſan levem
Hanc eſſe credis, regij affectus tibi
Quod ſe reclinent? *Idok.* Sortis infauſtæ ſinu
Ut ſublevarer, non ut opprimerer, opem

Misera invocavi. Perdidi regnum meum,
Sceptrique vires, quodque adhuc tenuis mihi
Supereſt honoris, hoc quoque ut perdam, facis.
Cac. Hac arte potius gloriam & honores trahes,
Si tibi faventes Regis affectus habes.
Sic nempe vires aureas, opum potes
Contrahere robur; noſtra quod primo loco
Ætas reponit gloriæ. *Idok.* Si me æſtimas
Adeò jacentis ſpiritus, mentem gravi
Errore fallis. Nullus illiciti mihi
Amoris ignis corda penetravit, neque
Penetrabit unquam. *Cac.* Scilicet credam! ſcio
Reſponſa prima. Trita Nympharum hæc *via*
Prudentiorum eſt. Mitte nunc ritum aulicum,
Et compta verba: liberè loqui licet:
Cùm ſcena ſolis ſervit, & locus arbitro
Facat remoto. Gratia Regis vales,
Una ante regni pondus, & ſceptri decus.
Quæcunq; Orontis præda, vel ſpolium Tagi,
Preciumq; gemmæ regium exornant caput;
Quicunque ſortis prodigæ auratus nitor
Gravat lacunar, nutibus paret tuis.
Totum influenti pande fortunæ ſinum:
Utere favore: fortè ſi effugiat ſemel,
Nunqnam redibit: quodq; dimittis bonum,
Olim dolebis perditum. *Idok.* Non vis opum,
Non ſplendor aulæ regiæ tantum ſuis
Valent catenis, liberam ut mentem ligent
Amore vetito, Caſtus Hymenæus poteſt
Ingerere ſolus vinculum; ſed non amor

Impel-

Impellere ultra. *Cac.* Dubito. Violento omnia
Parent amori. *Idok.* Jure connubij thoro
Est jam ligatus.
Cac. Hoc parum est. Mentem exere?
Respondè amori mutuo: reliquum meæ
Remitte curæ. Solvere exosi ut queam
Vincula Hymenæi, mille mihi patent viæ.
Idok. Non ego favorem sortis alieni velim
Precio cruoris emere: tam indignum pudet
Adhibere medium: sceleris audíti horeo
Vel nomen ipsum.
Cac. Quanta religio hodie
Te Archetia tenet! menè peregrinum æstimas,
Quem fugiat æstus pectoris, & ira impotens,
Quâ fusa per cadavera ad solium furis,
Quâ strage volvis prælia, & paecm domi
Cladibus inundas, rebus ut finem tuis
Pares cupitum. *Idok.* Scinde sermonem: sat est:
Animos amori Regio nunquam dabo,
At tu, favoris signa si poscis tui
In me exhibere, Regium pectus mei
Ab amore remove.
Cac. Ludis? an verum putem,
Quod postulasti? *Idok.* Nũ ambigis? mẽtis meæ
Penetrale cernis. *Cac.* Teneo, quod retices.
Idok. Sat est. (bibit
Vale: recedo. *Cac.* Perge Jam medicum e-
Stomachus liquorem; torquebat malum,
Prodibit ultro Quidquid urgendæ rei
Prodesse poterit consili, dixi palàm.

Sed sæpe amata forma amatori negat
Vicissim amorem, perq, contemptum fugit
Prætextu honoris: Ille sed frontis rigor
Ficta est repulsa: flectitur quando rogas.
Primum licet negaverit, tandem annuet.

SCENA V.

Cacotes, seu *Vitium*, deportat munera ad Bulæam, seu *Voluntatem*: ostendit ea Colacæa seu *Adulationi*. Hæc queritur se Aretæ, seu *Virtuti*, Dominæ suæ ingratam esse, velle proinde officio cedere. Dissuadet id Cacotes.

Cacotes, seu *Vitium*. Colacæa, seu *Adulatio*.

Cac. NUnc alia aguntur. Hactenus verbis stetit
Testatus amor: at facta nunc subeunt. Sonus
Hic gratus eloquentiæ est. Rapiunt minus
Et verba linguæ byssinæ, aut melle oblitæ,
Et purpuratæ litteræ, & acuto cadens
Epigramma versu, dulce & odarum melos.
Hic unus aptè concinit amorem stylus.
Col. Cacotes, quid agitur?
Cac. Arte suscepi novâ
Nostræ placere Regiæ.
Colac. Quanam? *Cac.* Fero
Amabiles epistolas, *Colac.* Cujus manu?

Cac.

Cac. A principe meo ad Principem.
Col. At ubi sunt? *Cac.* Viden.
Col. Nil litterarum hic. *Cacot.* Aspice,
Col. Hic gemmæ nitent,
Aurumq; ridet. *Cac.* Hæ characterum notæ
Etiam leguntur rudibus: hæ missæ obtinent
Aditum benignũ litteræ: hæ penetrant magis,
Quàm Rhetorũ facundia. Has, quisquis voles
Animos movere, suggere
Col. Et quisquis petit
Regum favorem. supplices istâ notâ
Scribat libellos; quidquid optavit, feret.
Cac. Quid arbitramur hyssinis verbis capi
Regum favores? Aliud hic labor petit.
Col Consentienti loqueris. Exemplo id meæ
Regina firmat. Illa nec vocis melos
Audit canoræ; nec probat mores meos,
Et *displicere* monstrat obtutu modum.
Hactenus amicæ frontis aspectum negat,
Arcetq; latere, & prohibet alloquio suo;
Nihil meorum tolerat actorum. Mihi
Servire pariter dispicet. *Cac.* Tanti cave
Erroris omen; nostra ne damnes malo
Consilia fine. *Col.* Quid jubes illic agam,
Ubi nulla fulcit gratia? *Cac.* Hoc saltem cave,
Ne quis sinistræ mentis hanc sedem occupet.
Tibi nota soli est flamma, quam nostrum fovet
In funus Arete pectore: hinc cauto potes
Notare motus lumine. In nostram nimis
Felicitatem servit obsequium tuum.

Hinc ne recede. Jura ut obtineas tua,
Nihil est iniquum.
Col Cedo rationi. *Cac.* Loqui
Agiq; cuncta patere: sed solers tamen
Attende nostris commodis. *Col* Verbo tuo
Persuasa pergo. *Cac.* Perge: ego, ut amoris sa-
Legatione fungar, has auri notas (cra
Deporto, facilè quisq; quas capit, licet
Mutus, tacente in ore Sigalion premam.

SCENA VI.

Synesius, seu *Intellectus*, Rex, dilectam suam Archætiam præstolatur.

Synesius.

EGo ille clarâ siderum natus die,
Propago cœli, cujus in vultum venit
Mentita species hominis, & pennæ levi
Animi volantis insidens vastas poli
Transcendo sedes; quiq; diffusi ætheris
Immensa spacia metior, claudor brevi
Oris venusti carcere. O Archætia,
Venusta Nympha! Regij affectûs scopus,
Et meta amoris! Cernis, ut felix tui
In amore vivo, meq; submergo in tuos
Animi nitores, teq; surreptus mihi.
Alijsque, semper meditor?

SCENA VII.

Eudæmon, seu *Bonus Genius*, Minister Regis

Regis aperit huic machinas & molimina iniqua Archætiæ; sed non credenti.

Eudæmon, seu Bonus Genius. Synesius, seu Intellectus.

Eud. - - - - Augusti caput
Regni verendum. *Syn.* Quid rogas?
Eud. Quæ me hactenus
Tenuêre semper vota; fortunam tuis
Sceptris secundam. Servitus istud mea
Tibi obligata; dignitas, quâ me supra
Plebem extulisti, quando consilijs tuis
Jussisti adesse, poscit, ut rebus prope
Extrema jam spectantibus rumpam sacras
Leges silendi.
Syn. Quid novi adportas? *Eud.* Tuum
Jam perduelles impedunt flammæ caput.
Syn. Quæ monstra narras?
Eud. Vertices necdum tui
Inimica sentis tela? *Syn.* Sed ubinã? *Eud.* Tuæ
Inter penates Regiæ.
Syn. A quonam? *Eud.* A tuis.
Animi impotentis vulgus attollit caput
Pejus chelydro, seq; conjunctâ palàm
Cohorte densat, frontis ut celsæ jubar
Diadema rapiat; sceptra sacrilego impetu
Dextrâ refigat, teq; mancipium feræ
Sistat Tyrannæ. *Syn.* Quam notas tanti caput
Ducemq; sceleris? *Eud.* Non vides adhuc tuo
Capiti minantem? *Syn.* Non video.

Eud. Sortis tibi
Nimium siniſtræ falſitas Archætiam [tuo
Dedit videndam. O impia! *Syn* Hanc fingis
Animo tyrannam: credis in jugulum meum
Juraſſe ſervos, ſemper intentos mihi,
Ducesq; amorum, qui venuſtatem obviam
Primi obtulerunt, meq; prodigio novæ
Rapuêre formæ. Nempe qui nobis placent,
Hi ſint rebelles. *Eud.* Quæ placent ægro, nega.
Sæpe nocitura poſtulat. *Syn.* Me ægrum putas?
Eud. Langues ad uſq; funera; & quanto magis
Occulta ſe per viſcera infundit malum,
Fugitq; medicam dexteram, hoc majus trahit
Lethi periculum. *Syn.* Ludis, ac nocte edita
Somnia renarras *Eud.* Vera quæ video, tibi
Pando fidelis ſervus. Inſerpens amor
Viſceribus imis, mentis extrema eſt lues,
Sua quæ venena fundit, & primùm occupat
Vivaciores corporis partes, Status
Tui, inde adurit ſanguinem, & totum inficit
Populorum amorem. Video jam certas notas
Patere vitij: publica ebullit cruor
Lamenta populi; murmur indignis ſonat
Paſſim querelis. *Syn* Virga cenſuræ notat
Impunè noſtra facta? Quod ſcelus eſt pati,
Malum eruendum eſt. Media non deſunt, quib⁹
Temerè ruentis plebis ardorem premas.
Eud Iſta medicina pejor eſt morbo; ac nimis
Violenta plagam exaſperat. Lenem decet
Exulcerato vulneri adhiberi manum.

Medi-

Medicina tuta cuilibet morbo est: mali
Occasionem tollere. In mores probos
Impacta linguæ spicula obtundunt minas,
Aliena tunc se lingua sub frænos dabit,
Si primus illæ belluæ injicias lupos.
Syn. Rex subditorum imperia populorum feram?
Eud. Arx tuta regni est, civium constans amor.
Syn. Dum sceptra metuant, oderint cives licet.

SCENA VIII.

Intervenit Caturgus, seu *malus Genius*, narrat Regi, qui cum Archætia, seu *Ratione Status* egerit. Hinc Eudæmon Synesij amores liberè increpat; ideoq; suggestionibus Cacurgi aula exesse jubetur. Cacurgus hanc libertatem à Regina in Eudæmonem manasse suggerit.

Cacurgus, seu *Malus Genius*. Synesius, seu *Intellectus*. Eudæmon, seu *Bonus Genius*.

Cac. Jussa expedivi.
Syn. Quid novi adportas? *Cac.* Nihil,
Quod esse certum existimem: at multũ spei
Syn. Quid retulit illa?
Cac Quod solet mulier sagax,
Cum quid rogatur. Finxit indignans minas
In fronte & oculis, seq; surripuit gradu;
Modestiæq; nube confictâ brevem
Texit repulsam; ut gratior menti accidat

Semel negatus, quando se reddet favor.
End. Aretæ ergo formam cœlitem, & vultus notas,
Serenitatem frontis, oculorum faces,
Non antepones gratiæ, quæ te fugit,
Tuosq; mores odit? *Cac.* Ignoras dolos
Genij muliebris: odia confingit foris,
Minasq; vultu; incendia affectu coquit:
Simularq; displicére, quod summè vovet,
End. Sit facta vultûs irâ, sit fictus dolus,
Tuoq; demum affectui victas manus
Inimica amica porrigat: poteris tamen
Perjurus Aretæ & perfidus, pactam fidem
Rescindere?
Syn. At cui? quæ fides unquam data est?
Ridenda profers. Veteris ætatis fides
Rude documentū est. Sæculū hoc nescit fidem.
Et si qua fortè restat, hanc vulgus colit,
Non aula Principum.
End. O capax scelerum dies!
Audes negare, propriam Regi fidem?
Cac. Affectus omnis exulat, ubi Archætia
Mentem occupavit.
End. O nefas! *Cac.* Cave id nefas
Vocare, quod Rex approbat. *End.* Etiam valent
Errare Reges. *Cac.* Quod libet, Reges valent.
End Sed non licet, quidquid libet.
Cac, Dictum est satis.
End. Sed dicta nondum percipis. *Cac.* Capio satis.
Perversa mentis sensa, & oppositum meo
Animum labori.

End.

Eud. Domine *Syn.* Quid frustra es? sile.
Eud. Aurem benignus exhibe.
Syn. Sile. *Eud.* O Dij!
Syn. Quousq; tandem? contumax, necdum siles?
Abscede. te nec aure, nec dignor meo
Tolerare vultu. *Cac.* Qualis audacis tenor?
Quæ norma agendi?
Syn. Quàm sibi abjectum exprimit
In mente Regem? Servus imperia mihi
Legesq; ponet. *Cac.* At nimis pravum tuas
Trahit in abusum gratias. Nihil tamen
Tentasse tanta stupeo; cui tantum licet,
Syn. At unde tantus cordis audacis calor?
Cac. Egressus æqui limites Reginæ amor.
Auctoritate hunc fulcit, ut regni sibi
Arbitria solus arroget. *Syn.* Monstrum refers,
Cac. Patiêre, ut Echo resona, quod totâ palàm
Narratur aulâ, proferam: minimum tamen
Dixisse reputa. O si penetrarent tuas
Sensus in aures! Illa Reginæ data
A te potestas, hujus arbitrio stetit,
Hic imperavit: unde plebs unum colit,
Unum verentur aulici. Solùm deest
Ut arrogatis juribus nomen quoque
Regale jungas, ipse Rex totâ palàm
Coletur urbe. *Syn.* Quidquid hic audet suo
Tentare fastu, facilè moderabor: solo
Facilè superbas frondium affligam comas,
Quæ dignitatem Regiam obfuscant. Caput
Regis coronat melius excisum manu

Vindice papaver, quàm superbificis micans
Diadema gemmis, vel peregrino jubar
Auro diescens,

SCENA IX.

Arete, seu *Virtus*, dolenter queritur, quòd Synesius, seu *Intellectus*, suum in Archætiam, seu *Rationem Status*, amorem converterit. Eo occasione sermonis Cacurgus eam suspectam reddit amoris in Eudæmonem.

Cacurgus, seu *Genius Malus*. Synesius, seu *Intellectus*. Arete, seu *Virtus*.

Cac. - - - Ecce, se in scenam gradu
Regina portat. *Syn.* Sola, mœstitiæ gravi
Turbata nube? Quis tibi veterem eripit
Regina frontem mœror? aut animi exedit
Dolor medullas?
Aret. Plurima dolorem ingerunt
Mi Sponse, mi Rex. Erro: jam non es meus.
In aliam amores flectis. *Cac.* Attentè hic age;
Meditata nostra sede ne suâ ruant. (malè
Syn. At unde mœror? *Aret.* Nostra quid simulas
Nescire damna? *Syn.* Haud assequor.
Aret. Sponte assequi (petis?
Non vis dolores. *Syn.* Quid rogas? quid me
Aret. Veteres amores.
Syn. Certa jam nostri dedi

Docu-

Documenta amoris. *Aret.* Scilicet quondã tibi
Arete est amata.
Syn. Quem tibi quondam dedi (Deus !
Regina amorem, foveo, constantem. *Aret.* O
Mi Rex, amas, fatebor: at me non amas.
Syn. Suspicio mentem turbat.
Aret. Ah ! video nimis
Novelli amoris signa. Non dubius tenes
Animo recente, sede Leucothoën suâ
Jussam exulare, tutior ut Archætiæ
Regia pateret. Hiccine est amor mei ?
Astræa justi libripens, cujus manu
Arete tenebat sceptra, dejecta est suæ
Honore sedis. At quis est auctor rei ?
Sic nẽpe amamur? Deinde, quæ munus tenent
Heroidum exulantium ? O tristes vices !
Pudet referre: Politica infamis malis,
Colacæa semper impudens, servæ impiæ
Charitis amatæ. Signa quæ porro tui
Dedisti amoris ? Hiccine est amor mei ;
Hinc ut Ministri fida non posses boni
Consilia capere Eudæmonis,
(*Cac.* Prope hinc abest,
Auditq; voces.) *Aret.* Ire semotum tuo
Jussisti ab ore. *Cac.* Nempe, quam dixi prius,
Adest malorum linea : huc pondus gravat ;
Eudæmonisq; amore se tanto implicat
Regnum tumultu. *Syn.* Veritas dictis subest.
Hanc sustinere audaciam, atq; animi impotens
Tolerare monstrum nequeo. *Aret.* Sic sponse
ô tuam Infide

Infide ſponſam deſeris? nec te mea
Lametna tangunt? Quò vetus ceſſit fides
Dilecte Sponſe? te quis affectus rapit
A noſtri amore devium? Infelix nimis
Et vilis Arete! nobile precium tui
Nihil æſtimatur. Vilis, exoſa es tuo
Sponſo, nec auris precibus affuſis datur.

SCENA X.

Sorti Aretæ, ſeu *Virtutis*, Reginæ ſimulatè condolet Hypocriſis ſub habitu Pietatis, quæ ſe omnem ejus ſtatum divinitùs intellexiſſe perſuadet: non eſſe novos amores cauſam mutati Syneſij, ſed aliquid magicum latere; ſe id precibus à Deo intellecturam.

Hypocriſis. Arete, ſeu *Virtus*.

Hyp. INfauſta Princeps! aſtra ſe inclinent tuo
Animo levamen.
Aret. Quæ gravi ærumnæ Dea
Solamen addis? *Hyp.* Diva ego Pietas vocor,
Exoſa mundi publicam lucem, traho
Vitam inter umbras nemoris, & ſylvas colo.
His ego quietos agere ſtatuebam dies
Procul tumultu, gravia ne mundi mala
Spectare miſera cogerer: tandem tamen
Proprios amores vicit in alios amor,
Caſus bonorum, Quanta te crucient mala

Jam

Jam mente teneo.

Aret. Siccine effussum statim
Per regna, quidquid aulâ patrârit, volat ?

Hyp. Imò silentur omnia. *Aret.* Et tuas tamen
Penetravit aures fama per nemorum invios
Tractus silentûm? *Hyp.* Cœlitûm munus fuit,
Rescisse cuncta. Sidere allapsus Deus
Mihi scenam aperuit. Video disruptis tui
Sponsi luctatis efferum ardorem, faces
Infidi amoris video. *Aret.* Fraude Archætiæ
Hoc est patratum crimen.

Hyp. O Princeps, agis
Errore mentem. Non ego robur putem
Hoc esse pulchritudini, quæ olim dapes
Dabit chelydris, jura cùm tumuli obruent
Terrâ sepultam, Mentis æthereæ aliquid
Sortitus est Synesius, abjectam super
Humum elevatus; quidquid effuso patet
Mundi theatro, permeat; magicis nisi
Irretiatur fraudibus, fucum æmulæ
Tuiq; vultûs facilè distinguet jubar.

Aret. Quomodo? ubi? quando? quæ Eumenis
Styge eruta
In nostra damna exarsit? *Hyp.* Id nondum scio:
At si profusis precibus, excubiis, flagris,
Et denegatis dapibus assuevit pius
Movere Olympus, spero non longâ mora
Videre cuncta. Candidam præsens Deus
Solatur animam. Fide: fidenti pius
Assistit æther. *Aret.* Nixa subsidio tuo,

Preci-

Precibusque fisa, spero mœroris meî
Adesse finem Cœlico velut mihi
Recreatus animus nuncio certam spei
Respirat auram. Sancta si pietas mei
Tuas medullas tangit (hoc æquum reor)
Mecum hic morare. Quando vel vultûs tui
Serenitatem cerno, vel sanctâ datur
Frui loquelâ, pectoris motus cadit.
Et aura amœnæ pacis in mentem redit.
Hyp. Quæ videor esse? tantus ut mihi affluat
Cumulus honoris? *Aret.* Merita si spectem tua,
Majora longè debeo: in corpus breve
Si grandis animæ contrahit celsus vigor.
Hyp. Sub hac fluentis corporis massâ soli
Vermiculus alitur.
Aret. Quò magis premis, magis
Se pulchra virtus erigit. *Hyp.* Mentem pudor
Ruborq; frontem pingit, ut nequeam tuis
Responsa verbis ferre. *Ar.* Vel verbo unico,
Vel anuue oculo; præsentem meis
Concede votis, tota tempestas cadet
Mœroris animo. Sola tu optatam potes
Serenitatem pectori afflicto dare.
Hyp. Sentire contrà crimen est. Meritum grave
Si est obsequentis (*Ar* Nuntium faustū audio!)
Hyp. Adibo sacros interim Superis lares;
Illuc piarum mentium densos choros
Citabo ad aras, ut tuis reddant Deum
Votis faventem, & servidæ jungant preci
Repetita flagris verbera, Offensi Dei

Iram

Iram profuſo ſanguine extingui decet.
Aret. Quando licebit rurſus aſpectu frui?
Hyp. Mora brevis: iterum reddar obſequiis tuis.
Aret. Sperare juſſa ſpero. Spe reditus tui
Tormenta cordis digerant. Gemitus procul,
Procul dolores, quâq; laceratis ſinum
Suſpiria procul; finis inſtantis mali
Crudæq; tempeſtatis affulget mihi.
Charum benigno ab æthere allucet jubar.
Hyp. Plagis teneris. Tende, quò tendis. Latet
Rerum futurus ordo Quàm ſimplex huic
Bonitatis umbræ credit. Effuſo mihi
Splen penè riſu rumpitur. Veteris fides
Ætatis iſta eſt. Miſera, non novit ſatis
Mores fluentis ſæculi. O quantum poteſt
Pietatis iſta larva! quàm multum valet,
Exiſtimari! Fraudibus quiſquis poteſt
Inducere larvam, quidquid aggreditur, tenet
Felice fine. Tende, quò tendis. Latet
Rerum futurus ordo. Commotus mihi
Splen penè riſu rumpitur. Nullus mihi
Exulcerare corda jam mœror poteſt.
Jactata prima tela fixerunt ſcopum.
Quis ille lentum portat in ſcenam gradum!

SCENA XI.

Occurit Hypocriſi Dolus ſub Policarpi, ſeu *Boni Publici* pallio ignotus, quam tantiſper traducit. Manifeſtat ſe demum,

demum; & mutuo se ad meditatam fraudem peragendam animant.

Dolus, Hypocrisis.

Dol. ADest Hypocrisis. Videor ignotus: meos
Non ante vult? detegã, quàm per dolos
Traducta sensum prodat. O Pietas, quid hic
Inter tumultus aulicos? Aliud locus
Sibi poscit iste, quàm coronatis preces
Demurmurare granulis. *Hyp.* Bonum est, bene
Semper operari. *Dol.* Tempori aptari decet,
Quodcunq; agendum est. Hora jã mentẽ jubet
Populi applicare cõmodis. *Hyp.* Regnum breve
Quodcunq; mundi Cœlitis regni nihil
Studijs adimere debet. Huc mentis decet
Conjicere prima studia. Junguntur benè,
Justum, piumq;. *Dol.* Diva, quàm partes tuas
Agis eleganter! *Hyp.* Unico hoc cœlis velim
Placere studio, quamque personam gero,
Bene sustinere. Quemlibet sanctæ decet
Monere vitæ. *Dol.* Falleris: partes tuas
Simulando bellè sustines. *Hyp.* Ego simulem?
Dol. Aptè & decorè.
Hyp. Heu! quid ais? In somno levem?
Umbram otiosi verbuli timeo; & solo
Me devorandam crederem, si unum labris
Se vanitatis proderet signum: Sile.
Simulare Pietas nescio. *Dol.* Ignotam mihi
Te credis esse?
Hyp. Hinc spero, si noscis bene,

Melio-

Meliora de me senties. *Dol.* Hypocrisis es.
Hyp. Edixit. heu me! Sidera in testes voco
Calumniarum. Parcite auctori tamen
Mendaciorum, Cœlites *Dol.* Quamvis tegat
Te larva, non tamen latet. *Hyp.* Larvis mea
Species tegatur? falleris: procul, procul
Hæc vanitatis studia. *Dol.* Quam vestem geris?
Nonne Pietatis? *Hyp.* Ipsa sum Pietas: mea
Dum vestis est. Pietatis est, *Dol.* Pietas potes
Videri amictu, quem tuus frater Dolus
Pietatis humeris rapuit. *Hyp* At nullus mihi est
A patre frater? nec dolum novi. *Dol.* Tuâ
Quid matre factum est?
Hyp. Obijt extremum diem
Sublata fatis. *Dol.* Vivit, & præsens adest,
Mendacioque splendido se Politicam
Vult nominari. *Hyp* Quid refers?
Dol. Vero tamen
Nomine. Ponetia est. *Hyp.* Sinum veri, tenet.
At unde nosti?
Dol. Quæ tuæ comites? *Hyp.* Meæ?
Quænam? *Dol.* Putas latere, quæ sociæ tuo
Hæsêre lateri? *Hyp.* Quæ meum stipent latus?
Dol Colacæa. Cacotes.
Hyp. Teneor. en fraudes patent.
Dol. Et plura novi. Cujus at lateri comes
Principis adhæres? nomine est Archætia,
Re est Idokerdus: Ille, cui tacitâ calet
Reginæ amoris pectus accensum face
Hyp. Heu! explicatus publicâ in luce est dolus.

Dol.

Dol. Sed mente trepidos excute timores: satis
Te verberavi, nolo te soror amplius
Fraude implicare. Sum Dolus, frater tuus,
Sum, sum: quid hæres? Vultus alienus tegit
Vestisq; fraudes. Chlamyde peregrinâ inclytus,
Aliaq; tectus fronte Policarpum induo
Jubente matre: cujus ingenio & manu
Mutatus istum frontis obtutum gero.
Exinde fratrem nosce: quæ tecto geris
Secreta corde, quæ architectatur parens
Arcana, novi. Crede, sum frater tuus.

Hyp. Laxatur animus; quem repentinus pavor
Egerat in arctum. Namq; cùm rerum ordinem
Seriemq; narras, fidemq; non solita emicat,
Fraudes retectas credidi. At refer Dole,
Adhucné vivit? an infero in cœnam Jovi
Policarpus ivit? *Dol.* Fune præclusi gulam,
Tacitâq; pressum morte transmisi ad Stygem.
Exinde vultum mentior, dolis probè
Subserviende chlamyde: quà gressum fero,
Policarpus esse credor, & passim color
Policarpus. Ingens nomen adscivit meis
Auctoritatem fraudibus. Quæ mi pedes
Prolixiore vestis allambit sinu
Gravis, & modesta, Principis nostri dolos
Tegit Idokerdi. *Hyp.* Sanguine ex uno sumus,
Frater Sororq; : stirpis ingenium tibi,
Mihiq; par est, fingere. Hæc, quâ me vides,
Mentita frons est. Quisquis aspectu indolem
Definit, ille poplite inflexo, ratus

Devo-

Devotionem, adorat. Hoc nomen mihi
Auctoritatem generat, & quod vix sibi
Hypocrisis ipsa credat, aut stupeat Dolus,
Quæcunq; meditor, assequor. Sed non vacat
Referre plura; tempus hoc facta exigit.
Dol. Meditata agamus.
Hyp. Utrius in technas magis
Sit prompta dextra, & animus, hic dies dabit.
Dol. Ego ambiende chlamyde consilia tego,
Populiq; venor gratiam. *Hyp.* Ego gestu, & piæ
Tenore frontis. *Dol* Nomine ego grandi levem
Inesco turbam *Hyp.* Nomine ego pio gravem
Aulam subintro. *Dol.* Me fides vulgi colit.
Hyp. Me sequitur aulæ. Regij affatûs mihi
Non impedita copia est *Hyp.* Uni suos
Regina sensus pectoris fidit mihi.
Dol. Ligare Regem fraude, ne parum hoc puta.
Hyp. Majoris operæ crede virtutem dolo
Ligare *Dol.* Satis est, dexteram tempus vocat.

SCENA XII.

Eudæmoni, seu Bono Genio, fictè condolent dissimulato habitu Dolus, & Hypocrisis. Ille iniquitatem aulæ persequitur.

Dolus. Hypocrisis. Eudæmon, seu *Bonus Genius*.

Dol SEd en venenum Regiæ, nostro lues
Inimica Regi. Verba sub labris preme.
Imò

Imò loquendum eſt: audit. Hoc omnis ba ſin
Policarpe regni exiſtima: nutu Dei,
Superûmque lege flectere imperium ſoli.
Malè regna conſtant, quando non regit manum
Sceptrumque pietas. *End.* Iſta conſilia exili
Sunt cauſa noſtri. Sancta qui ſuadet, refert
Odia potentûm. Sæpè ſuggeſſi; in Deo
Fundanda regna; ſceptra pietatis manu
Firmanda; primam Principis curam, poli
Debere leges eſſe: tunc nullo impetu
Labare regna poſſe, cùm ſemper Deo
Intentus animus parte ſe nullâ trahi
Ad iniqua patitur. Nempè conſilij *boni*
Fuit probroſus exitus. Juſſus procul
Exeſſe tecto Regio, infelix meam
Deploro ſortem.
Hyp. Curſus hic mundi eſt. Brevis
Solet eſſe Regum gratia, & fallax favor
Sortis ſecundæ: ſi elevat vulgus ſupra,
Vaſtæ ruinæ præparat. *End.* Sortem probat
Fortuna noſtra vitream. *Dol.* Lapſu tuo
Cavere diſcam. Sta tamen firmo, ut ſoles
Intrepidus animo; quodque cõmune eſt, cape
Hunc fructum ab aula, poſſe fortunam pati
Cùm, quem ſecundis extulit, gravibus premit.
Ego mente grande verſo conſilium, tuo
Quod eſſe gremio conditum, Pieras, velim,
Huc in receſſum Regiæ mecum ſubi:
Arcana regni ſenſa ſecretâ decet
Conferre ſede. *Hyp.* Quò jubes frater, ſequor,
Ar

At tu virilem spiritum in magnis malis
Proba ferendo. *Eud.* Et aula pietatis virum
Tantæ educavit? Quanta fortunæ seges,
Si spectet aula Numen, & sese pijs
Conformet astris; quasq; dictabit solo
Leges, ab alto sumat. At nullus spei
Locus est superstes: quando, quod suades bene,
Vel aditum ad aures Principum nullũ invenit,
Vel, si invenit, lentis voluntatem incitat
Stimulis ad actum. Quisquis excelsæ studet
Arti imperanti, commodis servam suis
Vult religionem: siq; consiliis piàm
Quandoq; frontem appingat; hoc dolo facit,
Ut honestet acta Principum, & furta, & neces,
Martisq; iniqui turbines æquos probet.
Sub fronte pulchrâ semper abscondit sui
Cupiditatem commodi, & amorem lucri.

SCENA XIII.

Astræa, & Eudemon, seu *Bonus Genius*, queruntur invicem, postquam Archætia, seu *Ratio Status* ad aulam venit, omnia lucri & commodorum propriorum gratiã agi.

Astræa. Eudæmon.

Ast. QUàm vera narras!
Eud. Nemo, qui Superos sapit,
Non vulneratur corde. *Ast.* Postquã Archætia

Penetravit hanc in regiam, quantum prior
Exhausta facies imperi, & regni vigor
Concidit adempta gloria! Leges jacent,
Fas omne premitur, jura calcantur, gemit
Contempta honestas; concilia aguntur lucris,
Cupiditate commodi sententiæ
Definiuntur: omnia lucrandi hic amor
Prohibet, jubetque.
Eud. Merita non habent locum,
Ubi jura sunt venalia.
Astr. Extremum mali est;
Quod in recessus intimos aulæ, in fora,
Lares q; Cacotes, liberè impuni gradu
Se jactet; & quà graditur, assensu pari
Populi colatur; Regis affectum trahat,
Aulæq; amores. Nullus hunc ausit levi
Læsisse verbulo. Ipsa tentâram gravi
Cohibere flagro audaciam; ac odium tuli,
Et Regis & Sororis. *Eud.* At quid tu stupes
Aut te jacere, aut Regio tecto exigi
Non sine cachinno plebis, ubi pridem impijs
Leucothoa pulsa laribus hoc regno procul
Jussa exulare est? Nil mea stupeo fide
Jacere; & Areten, Cœlitum formam, Deam
Primam Deatum, amoribus dignam omnium
Fastidiosè despici. Hanc regno luem
Invexit illa Furia, quæ se Archætian
Amat vocari, at interim proprij mera
Est commodi cupiditas. *Astr.* Proprijs studet
Dum quisque rebus, publici fingit boni

Neces-

Necessitates. Commodum cuîq; est suum
Regula, & agendi norma: cantantur joci,
Ut involentur æra: finguntur sono
Ridente verba, rebus alienis suæ
Ut augeantur: ore simulatur fides.
Pietasq; vultu; corde cudunţur doli,
Et tela, & arma funeris. Nulla est fides,
Ubi commodorum ratio propriorum valet,
End. Nihil propinqui sanguinis leges valent,
Veterumq; jura affectuum. Quando caret
Pupillus ære, quisque tutelam fugit:
At cùm tumescit arca, cùm multo sonant
Horrea flagello, quisquè tutelam petit.
Lucris aguntur omnia, affectu nihil,
Ubi commodorum ratio propriorum valet.
Astr. Proditur amicus hostibus: cadit in pares
Veneranda pietas: casta verborum fides,
Firmata cœlo teste, violatur: charis
In ore ridet, corde flammatur furor,
Et in propinqui funera armantur manus:
Fidelitatis exulant leges procul,
Ubi commodorum ratio propriorum valet.
End. Aurum æstimatur, cætera teruntur; jacet
Oppressa honestas, merita regali procul
Arcentur aulâ. Janua ad honores gravi
Pulsatur auro, panditur precio, patet
Lucris: & aulæ munia, & primæ notæ
Venduntur auro. Egena si virtus gradum
Inferre tentet, pellitur. Plenæ manus
Facilè subintrant tecta, pauperibus fores

Clauduntur aulæ. Merita nil prosunt, ubi
Se commodorum ratio propriorum ingerit

ACTVS IV.

SCENA I.

Bulæa, seu *Voluntati*, declarat Poneria, seu *Malitia*, se non esse, ut putabatur, matrem Idokerdi, sed esse servam : interim Idokerdi potentiam extollit; unde in hujus amorem magis accenditur Bulæa.

Bulæa, seu *Voluntas*, Poneria, seu *Malitia*.

Bul. QUid ais? parentem ponis, & tuam negas
Sobolem Idokerdum?
Pon. Stirpe mentitâ meum /
Se finxit esse filium, nunquam tamen
Fuit, vel esse potuit. Ancillam puta,
Quam rere matrem : me facit servam mea
Conditio Regis illius, cujus genu
Magni verentur Principes; cui accidunt
Sceptra & coronæ; cujus ad nutus sonat
Mavorte terra; cujus imperijs mare
Classe tabulatur; cujus armatam timent,
Amant inermem dexteram mundi plagæ;
Cui jura subsunt pacis, & belli vices.
Bul. Jam glorioſi nominis splendor meæ

Insu-

Infusus auri, sit licet vero minor;
Cor vellicavit, perq; secretas vias
Rimatus aditum, cordis in medio tenet
Amoris aulam. *Pon.* Merita sic poscunt sua,
Unus ut ametur. Ipse sic quondam parens
Summus Deorum, præmio ut amoris sui
Danaes amorem ferret, exutus Jovem
Vultu Idokerdum sumpsit, & nimbo aureo
Vestitus, alto à Virgine exceptus sinu est.
Bul. Intelligo, quem diligam: ah nosco probè,
Amoq; nimium. *Pon.* Nimius affectus nequit
Amantis esse, quando, quod amatur bonum,
Meretur omnem pectoris amorem. Licet;
Suadetq; ratio, suadet externi nitens
Oris venustas; quæq;, nisi carpas, fluit
Ætatis aura, postulat amores. Ama.
Bul. Absiste verbis: aura facundis cadens
Violenta labris pectore latentem nimis
Inflammat ignem; jamq; defecto labat
Vigore corpus. Siste, & ardentes sinu
Flammas amoris tempera aspectu mei
Grato Idokerdi. *Pon.* Prōpta ad obsequiū volo,
Bul. O Idokerde! si astra te metam mei
Dedêre cordis, cur tibi jungi veter?
Quæcunq; Virgo incendio nostro parem
Flammam experitur; audet, insano ruit
Amens calore; id unicum spectat, cui
Affixit animum; seq; diserutiat suis
Afflicta votis. Lenta si veniat malo
Medicina nostro, certa mors animam rapit.

Si sola pectus igne succendit tui
Allata fama nominis; si me procul
Dissitus amore vulneras, quid non calor
Vicinus ausit? Dulcis ô flammæ furor,
Quàm me iniquitas! Pectus in tenues abit
Cineres solutum.

SCENA II.

Dum mutuos sibi amores manifestant Idokerdus, seu *Privatum Commodum*, aut *Interesse*, ut vocant, & Bulæa, seu *Voluntas*, res eò delabitur, ut sibi invicem amores spondeant. Bulæa tamen prætendit, debere se prius consensum fratris impetrare.

Idokerdus, seu *Interesse* Bulæa, seu *Voluntas*, Ponceria, seu *Malitia*.

Idok. - - - Cœlites! quæ se meis
Offundit oculis forma? *Bul.* Sinceri vides
Effigiem amoris. *Idok.* Gratiæ ingenuam tuæ
Humanitatem video. *Bul.* Si quisquam mei
Tormenta cordis nescit, atq; omni putat
Carere amorem vulnere; dolores meos
Et acerba cordis vulnera aspiciat, quibus
Ab amore crucior. *Idok.* Diva, sic partes meas
Præoccupare placuit? aut tepidum magis
Arguere amorem? Nobili officio doces,
Quod me decuerat agere. Nascentem diem

Imi-

Imitata, noctem mentis abstergis sinu.
Somnus premebat inscium, tu me excitas.
Sic ad micantes Solis orientis faces
Oculis sepultis excuti somnus solet.
Bul. Simulas amorem. Fingere ingenuus amor
Neq; vult, neque valet. *Idol.* Diva, nil fingo: tuæ
Teneor amore gratiæ. *Bul.* Solis mihi
Si pulchra tribuis nomina, & amœnas vices,
Hoc non amare est, *Idol.* Sceleris ego tãti reus?
Bul. Sol pura lux est: tu sequi noctem eligis.
Idol. Erras: venustas frontis extersæ faces
Adoro. *Bul.* At umbras inter occultus petit
Amor hic latere.
Idol. Cæcus est amor, hinc amat
Cesari in umbris. *Bul.* Nudus est etiã: hinc fugit
Versari in umbris.
Idol. Flamma, quæ tegitur, magis
Violenta pugnat. *Bul.* Sed suas perdit quoque
Oppressa vires. *Idol.* Opprimi sed non potest:
An nec patere debet. *Bul.* Id quisquam vetet?
Idol. Vetat fluentis temporis velox fuga.
Bul. Semper aperire innoxiam flammam licet,
Quando ad decentes ardor aspirat faces
Candidi Hymenæi. Turbidæ flammæ tegi
Gaudent vapore fumeo: at puri nitor
Ignis sub auras emicat, & astris suos
Loquitur calores. *Idol.* Diva nil memet tui
Fateri amantem vereor: at dum me tegit
Cultus alienus, nequeo me, quis sim, palam
Aperire, Formam tectus externam indui,

Ut obtinerem gratiæ munus tuæ.
At conjugalis jura si credas thori
A me requiri, Regiæ sortis decus
Aliud jubebit. *Bul.* Regiæ sortis decus
Quidnam jubebit! *Idok.* Rursus ut snbeam meæ
Aulæ penates. *Bul.* Ergo meditaris tuos
Subtrahere vultus? *Idok*, Semper ut possim tibi
Adesse præsens. *Bul.* Esse non præsens potes,
Nisi hinc recedas? *Idok.* Tēporis modicâ morâ
Si te relinquam, jura regalis thori
Præsens reposcam.
Bul. Heu! deseris si me semel,
Memoria nostri pectore excedet procul.
Idok. Mei ipse cordis corde memoriam exnam;
Bul. Tuumnè me cor esse confidam, procul
Dum me recedis? *Idok.* Semper es præsens
Etiesq; semper, spiritus dum per meos (mihi,
Artus me abit. Illa majestas tuæ
Augusta frontis, illud exersi jubar
Regale vultus, pectoris medio sedet,
Vicesq; cordis supplet. *Bul.* Hic nēpe est modus
Hyperboleq; amantium *Idok.* An poscis mei
Certius amoris pignus? *Bul.* Ut certâ fide
Promissa firmes. *Idok.* Juro constantem fidem.
Pon. Et sancta dulcis vincula Hymenæi sacro
Stringenda nodo amoris? *Bul.* Hoc votū unicū
Mei est amoris. Antè consensus tamen
Est exprimendus fratris. *Pon.* Hunc tēpus dabit.
Vos conjugalem stringite interea sidem
Lærente nodo. *Bul.* Patriæ hoc leges vetant,

Hoc

Hoc jura prohibent; æquitas horret, pudor,
Refugit, honestas abnuit. *Pon.* Vulgus leve
Severa legum jura, non Reges ligant.
Idok. Quidquid placuerit Regibus, id etiam licet.
Bul. Quod æquitas probârit, hoc solum licet.
Ido. Quodcunq; poscit animus, hoc æquum facit.
Bul. Quod impetrari valeat, hoc licitum est peti.
Idok. Velle, imperare est.
Bul. Velle non valeo. *Idok.* Tamen
In utramq; partem libera es; nunquam tibi
Difficile velle est. *Pon.* Velle si tantum velis;
Habes, quod optas.
Bul. Velle jam non est meum. (occupat?
Idok. Quis pectus error? nebula quæ mentem
Amoris hortamenta te sequi decet.
Bul. Honoris hortamenta me sequi decet.

SCENA III.

Intervenit Hypocrisis: quæstionem inter Idokerdum, seu *Interesse*, & Bulæam, seu *Voluntatem*, definit, non esse necessarium fratris consensum ad Sponsalia.

Hypocrisis. Bulæa, seu *Voluntas*. Ponera, seu *Malitia*. Idokerdus, seu *Interesse*.

Hyp. QUæ rixa pacem turbat?
Bul. An bellum silet,
Nec arma fervent. *Hyp.* Arma verborum tamen
Micuisse

Micuisse vidi. *Pon.* Quæstio ingenio fuit
Exercitando posita. *Hyp.* Quod menti datur
Exercitandæ tempus, impensum est bene.
Pon. Dubium movebat Regiæ stirpis decus,
Correpta amore Virgo. *Hyp.* Quid rursus mihi,
Quos odit auris, ingeris amores? tace.
Pon. Castos amores ingero. *Hyp.* Hic solitus color
Est vanitatis. *Pon.* Antequam sensum efferas,
Audire libeat. *Hyp.* Audio: at castam cave
Aurem inquinare. *Pon.* Quæstio ingenij fuit:
An, si qua virgo, Regiâ stirpe edita
Juvenem, parentum sanguine & genere parem
Adamârit, absq; fratris assensu queat
In conjugalis jura consensum thori
Juveni obligare? *Hyp.* Quæstio hæc aliud sonat,
Quàm, quos putabat suspicax nimium metus
Vanos amores Fœdera Hymenæi probat
Deus ipse; & absque fratris assensu licet
Hæc pacta inire. *Bul.* Si improbet?
Hyp. Probet, improbet:
A contrahentûm simplici assensu suum
Habent valorem: fratris his penitus nihil
Dissensus obstat. *Bul.* Debet at fratri soror
Reverentis animi signa. *Hyp.* Sed leges volunt
Hæc esse pacta libera: & cœlum probat,
Et jura legum Nuptias. *Bul.* Nec ego improbo.
Hyp. Quid ergo metuis? Quod facit sanctum Deus,
Negligere fratrum gratiâ nunquam licet.
Bul. Ratione stringis. *Idok.* Purior quando micat
Meridiano veritas Phœbo, nefas

Gran-

Grande est reniti *Hyp.* Consonat legum tenor.
Idok. Addicit æqui ratio. *Pon.* Mos longo jubet
Probatus usu. *Bul.* Ratio me vincit, sequor
Consilia vestra.

SCENA IV.

Per Cacurgum, seu *Malum Genium*, advocatur Bulæa, seu *Voluntas* ad Reginam.

Ijdem, quibus accedit Cacurgus, seu *Malus Genius*.

Cac. --- Domina. *Bul.* Quid dominam rogas?
Cac. Regina Dominæ poscit allo quid frui.
Bul. Ubi? *Cac.* Recessu regij quâ se intimo
Abdunt penates. *Bul.* Quò vocat, gressum urgeo
Hospes verende, liceat ad modicam moram,
Quò vocor abire: tempus adveniet, tuo
Quo me licebit rursus affatu frui. (brevem.
Idok. Et quando? *Bul.* In horâ sustine ò Princeps
Amor morari longius non me sinet.
Idok. Sed quæstionis nodus est anceps adhuc.
Nihil reponis? *Bul.* Impera: assensum dabo;
Horaq;, qua jubebis, erectis fidem
Signabo pactis. *Idok.* Interim vivo tuus.

SCENA V.

Idokerdus, seu *Interesse*, manifestat Hypocrisi, se jam Synesij, seu *Intellectus*, &

Bulææ, seu *Voluntatis* affectus occupasse; Areten verò, seu *Virtutem*, sibi constanter obsistere. In hanc torquendas fraudes suadet Hypocrisis, & eas texendi negotium suscipit.

Hypocrisis. Idokerdus, seu *Interesse*.

Hyp. QUid Idokerde existimas? non me tuis
Aptam probasti rebus & votis? *Ido.* supra
Mea vota, Hypocrisis, cecidit obsequium tuũ.
Jam video, quantâ fulcias nostros dolos
Auctoritate: nomini quod sit tuo (Probè
Dictisq; pondus. *Hyp.* Tempori adveni. *Idok.*
Et quæstionis sensa penetrasti, ad mei
Animi palatum. *Hyp.* Fronte qui micuit tuâ
Oculisq; fervor, visq; verborum, & calor,
Quo sustinere visus es partes tuas,
Indicia non ambigua fecerunt mihi,
Aliquid latere, quod tuâ interfit *Ido.* Quid hinc
Eruere poteras? Quando doctarum calent
Exorta bella litium, quemq; addecet,
Opinioni stare constantem suæ.
Hyp. At quando solitum fervor excedit modũ,
Seseque fronti infundit, ac ori inserit,
Plus quàm deceret; statq; non moto gradu
Sententiæ animo; finis hic alius latet,
Quàm qui videtur. *Idok.* Nempe sic fingis tibi?
Hyp. Non vanè. *Idok.* At unde id arguis?
Hyp. Nostræ stylus

Æn-

Ætatis iste est. Multa pacato fluit
Sermone & ore quæstio. quando at rei,
Sola edocetur veritas: quando at lucri,
Vel commodorum ratio propriorum subest,
Tunc incaleſcit animus, & frontis color
Manifestat iram. *Idok.* Prodis ingenium sagax.
Hyp. Si quid sagacis ingeni fuerit mihi,
Servire id omne commodis tuis velim.
Idok. Indubia signa semper affectûs tui
Habuisse fateor; quæq; spes supereſt mihi,
In te resîdit. Hactenus nutu meo
Syneſius agitur; mentis affectum obligat
Bulæa Princeps: sola se votis meis
Opponit Arete. *Hyp.* Solâ contextis dolis
Arete opprimatur,
Idok. Unicum hoc voveo. *Hyp.* Sine
Mihi hunc laborem, rebus eventum dabo
Desideratum, Sola se vidit mihi,
Et tot procellis acta, tot luctûs gravis
Agitata ventis, credula externis notis
Mendacis oris, esse Pietatem putat.
Seseq; fidei tota committit meæ.
Facilè illigatur fraudibus, quisquis suam
Hosti salutem credit. *Idok.* Hac ergo viâ
Stringantur arma, pereat inimicum caput,
Infamis Arete, vile cûi nostrum est caput.
Hyp. Stringantur arma; pereat; Acheronti ultima
Victima trahatur. Arma si prosint parum,
Res involutis facile peragetur dolis.

SCENA VI.

Intervenit Arete, seu *Virtus* : mutant discursum. Hypocrisis simulatè castigat vanitatem Idokerdi, seu *Interesse*, sibi sub personâ Archætiæ latentis ignoti : indignatur simulatè Archætia, sed præsentiam Aretæ fictè reveretur.

Idokerdus *tectus*. Hypocrisis. Arete, seu *Virtus*.

Iook. SUspende labris verba : se nostræ ingerit
Augusta scenæ.
Aret. Quæ novæ facies rei?
Pietas, & hostis nostra? quid rerum simul?
Hyp. Aliter canendum est, tu meum sequere tonũ.
Aret Non antè me tractantium alloquio inferam,
Quàm, quid loquantur, audiam.
Hyp. Quis hic modus? (placet.
Quæ forma vestis? *Idok.* Talis ætati huic
Hyp. Sed talem honestas improbat. *Ido.* Cordis
Es delicati, quodq; tibi facili grave (nimis
Delictum ab umbrâ fingit. *Hyp.* At tu animi
Licentiosi es, quodq; flagitium grave (nimis
Vix credit umbram criminis.
Idok. Sed quod nefas [propè
In veste damnas? *Hyp.* Non vides? medium
Per nuditatem corpus ex veste emicat.

Ido.

Ido. Præsentis hic est sæculi ritus: tua
Censura non hunc corriget. *Hyp.* Quales palàm
Prostare merces assolent, talis pudor
Venalis hic est.
Ido. Hoc mihi improperas? *Hyp.* Tuos
Castigo abusus. *Ido.* Alia, quæ obtendas habes?
Hyp. Et multa. *Ido.* Fare. *Hyp.* Parco, dum linguæ
Pudor modestæ. *Ido.* Veritas fari vetat. (vetat
Hyp. Scelerata, noxia, improba!
Ido. Audax, impia, [mihi
Temeraria! *Hyp.* Lues impudens! *Ido.* Hos tu
Titulos acervas? *Aret.* Et tuo merito.
Ido. Quis hic?
Magnanima Princeps, vereor augustum jubar.
Aret. Quid ista pompa vestium? quæ se exhibet
Auro sonante vanitas? Nondum vides,
Quæ pestis illo sedeat in luxu, & velut
Extractum Averno toxicum incestet diem?
Ido. Regia, tacendi lege, majestas tenet
Loqui volentem, quæ probro aspersi mihi
Tituli merentur.

SCENA VII.

Hypocrisis, existimata Pietas, persuadet Aretæ, seu *Virtuti*, annulum nuptialem, quem à Synesio, seu *Intellectu*, accepit, incantatum esse Magico carmine; & inde esse omne suum malum:

quem

quem proinde ab ea sub prætextu expiationis faciendæ accipit.

Areta, seu *Virtus*. Hypocrisis.

Aret. uu-u-- Gratiam hanc reputo, pedem
Quod hinc reducas. Nam Medusæus rigor
Vultus, caputque viperis horrens mihi
Purum venenum spirat, & adhalat necem.
Hæc fida Pietas, illa furialis lea,
Hæc illa Erynnis, cujus anguineus furor
Felicitatis pristinæ evertit statum.
Hæc illa Mœneas, cujus assultu dolor,
Mœror, timorq? innoxium pectus vorant.

Hyp. Regina, si vim frontis illius rosis,
Labijq; minio, aut luminum ardenti faci.
Inesse tantam existimas, erras: latet
Occulta major pestis, & fomes mali. (nes rea?

Ar. Quo vel ego in astra scelere, vel in homi-
Quòd tam potentes hostium in nostrum caput
Jurent procellæ? ô Cœlites! *Hyp.* Non est satis
Esse innocentem. livor ut dentem atterat.
Quin ipsa virtus odia conciliat: nivi
Si par sit animus innocens, magnum est scelus
Esse innocentem.

Aret. Quis tamen rigido Scythes
Sub axe natus? aut quis humano Geta
Pastus cruore voluit, aut potuit meam
Odisse sortem? *Hyp.* Pejor & Scythâ, & Getâ Er
Spiritus Averni, *Aret.* O astra! *Hyp.* Per ma-
Excitus odas, venit in parũ diem gicas Styge
Aulam,

Aulamque Regis. Ille tranquillum impulit
Tuæ quietis ordinem, & Stygiâ face (mune
Sponsi medullas ussit. *Aret.* Heu! quæ me pre-
Infausta tela! Ludis? an verum refers?
Hyp. Sic deprecanti lachrymis fusis mihi
Deus est locutus: Ille Avernali specu
Genius vocatus, quem geris digito, tuo
Est alligatus annulo, fidei tibi
Quem conjugalis sponsus in testem dedit,
Aret. Tam grandis hostis tantulo in spacio latet?
Hyp. Sic jussit ille fraudis infaustæ artifex,
Magister artis Colchicæ, cujus dolo
Genius ab orco venit: ut qui vos sacro
Nodo ligavit annulus, & uno duos
Animos amore junxit, idem iterum duos
Se jungat animos, perque discordes agat
Duo corda rixas. *Aret.* Ergo non potuit satis
Mortalis ira odisse, nisi ab orco quoque
In damna nostra, robur extremum, reos
Genios vocaret? *Hyp.* Non tamen cœlo potest
Obniti Avernus. Ipse miseratus tuos
Luctus olympus, vulneris locum mihi
Prodidit; ut aptâ in tempore medelâ malum
Anteoccupetur. *Aret.* Pene jam refugam suo
Animam vigori reddis. At quænam malo
Medicina par est? *Hyp.* Genius ut rursus tamen
Abeat in orcum, paxq; revocetur prior;
Est expiandus annulus sacrâ prece,
Sanctiq; fumo thuris, & inunctis notis. (meas
Aret. Quis ista dignè peraget? *Hyp.* Hæc inter

Sit

Sit prima cura; Thessali à cantûs dolo
Gemmam annularem solvere, & genium fues
Cogere sub umbras. Si placet, fidei meæ
Committe gemmam, temporis pauci morâ,
Quod res reposcit ista, confectum dabo.
Aret. Mora nulla: fidei, quidquid est meum, tuæ
Concredo. Quando dabitur effectu frui?
Hyp. Opinione citius. *Aret.* An credam? *Hyp.* Fi-
Obstringo, paucas meta post horas tui (dem
Erit doloris. *Aret.* Plurimum affectus tuus
De me meretur. Plena fidentis spei,
Solatijque plena decedo loco.
Hyp. Ego meorum vivo votorum satur.
Jactata votis alea secundis cadit!
Habeo, quod unum deerat urgendis dolis,
O gemma! parva mole; meditatæ rei
Immensa precio! Viva jam pectus subit
Spes opprimendi clade suprema ream
Areten; & ostrum lateris, & capitis jubar,
Sceptrumque dexteræ, & solij in Archæsian
Jus transferendi. Gemma! tu sola es mihi
Ante omne precium Gangis, & censum Tagi.

SCENA VIII.

Cacurgus, seu *Malus Genius*, gratulatur Hypocrisi, quod habeat Reginæ aurem, cum qua eam discurrentem observavit: sed docetur artem decipiendi esse, se fingere sanctiorem.

Cacur-

Cacurgus, seu *Malus Genius*.
Hypocrisis,

Cac. O Te beatam! Res tuæ magno emicant
Ad alta passu. *Hyp.* Fabulas iterum oc-
Cac. Vidi, ipse vidi: tota pendebat tuis (cinis.
Regina verbis; visaque est blandis tibi
Adludere oculis. Ista, sic credo, tuæ [hic favor
Non minima pars est sortis. *Hyp.* Angustæ
Humanitati est debitus, quod me suis
Dignetur ilia gratijs. *Cac.* Video probè,
Quo res agantur ordine, & rerum vices
Cursu ferantur. Qui potest paucos dies
Attemperare nube pietatis modum;
Gestum, & tenorem fingere modestum Angeli,
Et sanctitatis lege moderari gradum,
Oculos severo stringere imperio, manu
Numerare utrâque granula, & fictâ prece
Movere labra; facilè popularem sibi
Captabit auram, cujus auxilio, velut
Vento secundo navis, ad famæ ac opum
Portum feratur. Hujus ignarus doli.
Artisvè, vili semper abjectus solo
Humilisq; jaceo. *Hyp.* Quidquid ambitio sitit,
Quidquid voluntas ambit, hoc quærat dolo:
Hæc una ratio est efficax, una hæc mihi
Ad cuncta servit. *Cac.* Quot sub austeræ tegunt
Se Sanctitatis pallio, ut nacti viam
Ad purpuratum Principum evadant decus!
Sic gaudet humili pallio ambitio tegi.

Hyp.

Hyp. Quot genua flectunt, seq; prosternunt solo,
Ut aucupentur gloriam, & technis sua
In retia trahant credulos. *Cac.* Quot se face
Ardere fingunt Cœlitum, & tortis labra
Cruciant catastis, colla violento situ
Depressa flectunt; ecstasi abreptos putes:
Sed si vel oram vestis attingas . . . Sile
Rex, multa volvens pectore huc infert pedem.
Hyp. Ego hinc recedo: tu tuam obsequiis fidem
Testare Regi: fraudis hoc series jubet.

SCENA IX.

Rex invisurus Archætian, seu *Interesse*, sub persona *Rationis Status*, Cacurgum præmittit.

Synesius, seu *Intellectus*, Cacurgus.

Syn. CAccurge. *Cac.* Princeps.
Syn. Age, vide, num Archætia
Sit in recessu regio; cuinam rei
Affigat animi studia, num sit otium
Regem audiendi, nostra, quod par est, lubet
Deferre tantæ Principi obsequia. *Cac.* Ad tua,
Ocyos eunte spiritu, imperia volo.
Syn. Fictam Cacurgus esse credebat, datam
Nuper repulsam: credidi: sed res tamen
Ambigua pendet: ipse fortunam meam
Tentabo, mentis candidæ arcanos sinus
Lubet experiri; ne vel incassum spei

Me

Me lactet umbra, vel diu incertum metus
Affligat animum.

SCENA X.

Dolus, fictus Policarpus, seu *Publicum Commodum*, refert Regi jam congregatum esse consilium: ipse se prætextu majorum negotiorum excusat.

Dolus, Synesius, seu *Intellectus*,

Dol. - - - Dive Rex, quotquot tuo
Consilio adesse jusseres, adsunt tua
Ad imperata, publicæ ut bono rei,
Aulæq; statui consulant: placeat tuâ
Fulcire nos præsentiâ; ut pace, ordine,
Sanoq; sensu placida consilia fluant.
Syn. Curas minores major obtundit. Licèt
Adesse Regem deceat, at hodie tamen
Negotiorum major id moles vetat.

SCENA XI.

Rex ab Archætia, seu *Interesse* sub Persona *Rationis Status*, ad conclave deducitur: interim committit Dolo, ficto Policarpo, seu *Publico Commodo*, ut consilio præsit.

Synesius,

Synesius, seu *Intellectus*. Dolus. Cacurgus, seu *Malus Genius*. Idokerdus, sub persona *Archatiæ*.

Cac. EN illa, Princeps, obvium huc effert gradum. (cole.

Idok. Verende Princeps! *Syn.* Diva, quam semper

Idok. Si ergo nostra obsequia majestas tua
Ante occupare gratijs voluit? *Syn.* Tibi,
Uni Monarchæ cordium, soli tibi
Debentur ista: at quisquis obsequijs honor
Tibi tribuitur, est tuo merito minor.
Servire memet patere conclave ad tuum,
Quod tam serenæ frontis irradiat dies.

Idok. Prohibes, jubesq;. Gratia ut blandè jubet,
Sic & potenter gratiæ excessus vetat.
Venire, quanta est gratia! sed hoc nomine
Venire, Rex ut servias, magnus tuæ
Excessus iste gratiæ est. Absit: meæ
Subjectionis titulus hoc nomen fugit.

Idok. Quocunque placeat nomine, hoc veniam.
Istius etiam palma sit pugnæ; cui (Tus
In acriore prælio nuper manus
Victas retendi, tendo nunc etiam tuæ
Humanitatis gratiæ inflexum caput.
At tu Minister fide, quem parirer premit
Pars magna nostri ponderis, Patrum jube
Coire cœtum, publicum sana in bonum
Conferre sensa: sustine Regis vices:
Propone, libra, constitue, quidquid bono

Pro-

Prodesse judicaveris: dictis tuis
Auctoritate pondus accedet meâ.
Dol. Agam imperata. Discite Ministri, quibus
Ambitio pectus urit, & celso arduæ
Auctoritatis stare gaudetis loco,
Artem eminendi discite: Monarchas jocis
Amoribusq; involvite; aut scenâ, chely,
Cantu occupate, per voluptatum choros
Distrahite; quidquid gratiæ luxus potest
Excogitare, objicite: sic capti jocis,
Dulcique gustu gaudij discent suas
Odisse curas; serijs mentem abstrahent,
Nomineque solùm Principes, in vos onus
Regni reponent: prona vos genibus colet
Affusa turba civium; vestras honor
Sequetur umbras: Vestra mens erit gravis
Regula Senatus: Principum affluxus domos
Vestras replebit, quodq; consuevit sequi,
Opulenta vestros munera in sinus fluent.
Hoc ego Synesij Regis implicitum dolo
Guberno pectus. Regis is nomen gerit,
Sed ipsa res; auctoritas Regis, mea est.

SCENA XII.

Queritur Astræa, cùm jam hora sui ab aula recessus adveniat, se quidem apud potentiores gratiam quæsivisse, sed repulsam. Suadet Pandimus, seu *Ingenium*, ut ad pauperes divertat.

Pandi-

Pandimus; seu *Ingenium*, Astræa.

Pand. TEstor micantes siderum ardentũ faces,
Violenta, quæ te proterit sortis manus;
Eadem huic acerbam pectori plagam imprimit.

Astr. Inimica semper jura Fortunæ! Themis,
Hæc hora ineluctabilis fati est tui;
Hâc exeundum Regia est, Et quò gradum
Miseranda vertam? Nemo non laudat Themin,
At nemo comitem lateris admittit sui,
Nemo inquilinam patitur ejusdem laris
Secum vel horam degere. O rigido tonans
Fortuna fato! *Pand.* Cujus auxilium tuæ
Sorti invocasti? *Astr.* Qui vel insigni eminent
Auctoritatis nomine, vel auro affluunt,
Opibusq; abundant.

Pand. Fare, quid ad horum impulit (canant,
Opem invocandam? *Astr.* Nescio, an palpo
An vera narrent: larga magnificum his dedit
Natura genium, quiq; se reliquos supra
Virtute tollit: credidi hinc etiam pios,
Quos fortè nostræ tangeret sortis rigor.

Pand. Non hîc latebat piscis, ardenti fame
Cujus calebas. Ille magnorum choros
Quem dignitates fulciunt, quorum latus
Opulentia ipsa cingit, alienâ quidem
Te sede blando frontis obtutu vident,
Sed à suorum liminum accessu vetant;
Rati indecorum, nobilis tecto viri
Themida hospitari. *Astr.* Quò meos ergo feram
Miseranda luctus, ferre si auxilium negat,

Præ-

Præstare, cui natura, quo possit, dedit ?
Pand. Abscede tectis Principum : frustra lares
Subire tentas divitum. Nullus tibi
Hic est recessus : tuta quo tegas, larem
Melius Menalcas aliquis, aut Irus dabit.

SCENA XIII.

Abeunti in exilium Astrææ illudunt per Sarcasmos Cacotes, seu *Vitium*, & Colacæa, seu *Adulatio*, gratulatur sibi Pandimus, seu *Ingenium*, quod sit revocatus.

Cacotes, seu *Vitium*. Colacæa, seu *Adulatio*. Pandimus, seu *Ingenium*, Astræa.

Cac. ASTræa, quò sic mœsta ? quò luctu gravis
Col. Ubi sunt rigentis chalybis audaces minæ ?
Ubi dextra flammans ? ubi supercilij gravis
Superba nubes ? Ergo Bellonæ efferum
Ponis tumorem, teq; compressis minis
Benigniore frontis obtutu induis ?
Astr. Quamvis nec ensem criminum ultorē manus
Armata gestet, nec supercilio vetus
Insideat ira, pectus aut cinctum truci
Umbone rigeat ; sum tamen, quam me vides,
Astræa, & illa Astræa, sub cujus pede
Toties, nefandę crimînum incentor, tua
Jacuit tyrannis. *Colac.* Sortis adversæ vices
Huc impulêre improvidā *Cac.* Fateor, prior
Conditio sæpe vile, & indignum jugum

Pati coëgit, quando felicis manu
Cæsaris patroni: at quando jam felix viros
Inter potentes censeor, nil me tua
Percellit ira, & rideo vanas minas
Vi destitutas. *Astr.* Fuimus! ô rerum vices!
Fuimus timori crimini, & nostræ manus
Ferrum reveritus orbis, ad legum modum
Juris; normam vixit, & solio stetit
Virtus fidesq; At fuimus; & nostri cadit
Cultusq, honorq; Quid super miseræ mihi est,
Nisi ut recedam Regiâ, & tantis caput
Traham ex procellis. Ite magnorum lares,
Aulæ potentûm, magna vitiorum atria,
Theatra scelerum; digna quæ fugiat Themis
Pand. Tandem molestos impia amovit gradus,
Abiensq; dubio pectora absolvit metu.
Calac. Eat, unde nunquam redeat. At in aulam tuã
Pandime reditum gratulor *Pand.* Tandẽ patet
Quâ fraude fuerim pulsus augustâ domo.
Et jussus exulare. Policarpus mei
Pars prima luctûs, primus incentor mali
Ipse Policarpus vidit errorem suum
Meq; revocavit. *Cac.* At quis? Eudæmon adest,
Thraso superbus ille, quem Regis favor
Unum colebat, subditi vulgi timor
Unum pavebat; ille jam sese minor,
Humilisq; sortis fata retroactæ gemit.

SCENA XIV.

Dum Eudæmon, seu *Bonus Genius*, suam quo-

que que fortunam deplorat, à Colacæa, seu *Adulatione*, Cacote, seu *Vitio*, & Pandimo, seu *Ingenio*, deridetur.

Eudæmon, seu *Bonus Genius*. Colacæa, seu *Adulatio*. Cacotes, seu *Vitium*. Pandimus, seu *Ingenium*.

Eud. MIserande sortis lusus Eudæmon! tua
Quò se revolvit gloria, & primæ status
Felicitatis? Regiæ quid me juvat,
Stetisse celso culmine, & vulgus supra
Caput extullisse? Exempla fallacis spei
Damus sequenti seculo. *Colac.* Gustus spei
Non est inanis, quando, quæ Regi placent,
Sequitur Minister.
Eud. Lingua, quæ nescit dolum,
Simulare nescit. *Pand.* Lingua, quæ nescit dolū,
Non servit Aulæ. Tuq; post primæ optimos
Ætatis annos Regiæ obsequijs datos.
Arcana nondum Regiæ nosti? *Cac.* O pudor!
Colac. O digne plebis risibus. *Pand.* Sensus parum,
Parumq; mentis est tibi *Cac.* O vacuum caput,
Et inane pectus! *Eud.* Siccine Eudæmon jocus,
Plepeculæq, vile jam probrum sumus!
O fata sortis aspera! ô crudæ vices!
Hic genius aulæ est. Qui semel Regis sinu
Traxit fluentem gratiam, & totis bibit
Labris favores, sorte si versâ sinu
Principis amantis excidat, plebis jocus

Luditur, & ipsis vile ludibrium jacet,
Quibus ante jura potuit & leges dare,
O vitree sortis splendor, & falax favor.
Ridentis aulæ! Credulum quisquis dedit
Animum potentûm gratiæ, & sortem suam
Fundat favore Principum; in fumo suam
Felicitatem collocat, cujus vapor
Quò se levat sublimius, semper magis
Tenuatur aurâ, donec in nihilum fluat.

SCENA XV.

Hypocrisis occurrit mœrenti *Eudæmoni*, seu *Bono Genio*, cui donat annulum, quem ab Areta, seu *Virtute*, per fraudem extraxerat, cui cœlitus eam virtutem inditam esse ait, ut gestatus amorem conciliet eorum, quibuscum agitur. Quo ille munitus Regem fidentius adire statuit.

Hypocrisis, Eudæmon, seu *Bonus Genius*.

Hyp. QUàm vana spes mortalium est! quæque
Eũtis instar rivuli, nec se suo (effluit
Fonti reponit. *Eud.* Omnibus tamẽ ma-
Est fluxa Regum gratia, ac aulæ favor. (gis
Qui nuper altâ sortis excelsæ rotâ
Populo invidendus sederam in præceps datus,
Vix umbra vilis squalido inserpo solo.

Hyp.

Hyp. Fortuna, quæ te vulnerat, noſtram quoque
Affligit animam; ſiq; fas eſſet, meum
Pro te cruorem ſpargerem: at nondum tamen
Neceſſitas hoc poſcit. Hinc, quod eſt mihi
Et auro, & orbe charius, gemmam tibi
Mali in levamen offero. *Eud.* O magnum tui
Portentum amoris! Diva, quæ tuas movet
Pietas medullas? *Hyp.* Quâ ſoleo miſeris opem
Præſtare ſemper. Legis hoc fixi mihi,
Quemcumque miſerum videro, levamen dare.
Non hic nitorem attende, ſit quamvis ſuo
Precio æſtimandus? ſed magis gemmæ inſitam
Vim contuere. Mox, ubi in noſtras manus
Volente cœlo venit, & voto, & prece,
Pioq; ritu, & thuris accenſi ſacro
Eſt conſecrata odore; quo tantæ genus
Virtutis hauſit inditæ; ut ſi quis manus
Dextræ annulari geſtet in digito; illico
Eum ſequatur gratia, ac hominum favor.
Tolle, & ſecundis gratiam auſpicijs lege.
Eud. Quæ eſt iſta pietas? iſte in immeritum favor?
Hyp. Hæ ſunt Tonantis gratiæ, quas per meam
In te refundit dexteram. *Eud.* Quantum tuus
Me liberalis dexteræ ſtringit favor.
Debere tanto plura me fateor tibi,
Quod in immerentem congeras tantum boni.
Hyp. Reddantur illi gratiæ, à cujus manu
Venêre dona. Numini acceptum refer,
Quod Numen offert. *Eud.* Ibo ſpe plenus mei
Sub Regis ora, quemque ſurreptum gemo,

Virtute gemmæ redditum affectum legam.
Hyp. Confide: quamdiù dextræ inhærebit tuæ,
Miranda cernes. *Eud.* Spem tuus candor facit.
Hyp. Ignara Pietas fallere est, nec te doli
Involvet arte. Perge, nec dubita: ocyùs
Miranda cernes: quæ tamen damno tuo
Vidisse doleas. Stulta spes cœcum trahit.
Quà te in favores Principis gradi æstimas,
Hâc in ruinam pergis: occasus tuus,
Quæ vis sit illa, teste documentum dabit.

SCENA XVI.

Dum Dolus, seu *fictus* Policarpus, aut *Publicum Commodum*, Regem adit, ut sensum Ministrorum, quem de nimia familiaritate Reginæ cum Eudæmone habent, Regi exponat; aperit ei Hypocrisis jam traditum à se Eudæmoni, seu *Bono Genio*, annulum: hunc servire posse ad promovendâ molimina.

Hypocrisis. Dolus.

Hyp. QUo te vovebam tempore, optatus venis.
Quò cura gressum concitat?
Dol. Regem peto.
Hyp. Et hoc volebam. *Dol.* Fraude versatus meâ
Senatus omnis sentit, & queritur, nimis
Auctoritate Regij sociam thori

Are-

A reten valere, Munus id meum exigit,
Ut sensa Patrum detegam Regi. Decet
Frænare fastum fœminæ, & Sceptrum manu
Regis teneri. Fœminæ imperium grave est.
Hyp. Quàm vota Zephyris aureæ sortis volant!
Me sancta nunquam deserunt cœli omina,
Ignara non sum, resq; perspecta est tibi,
Quæ Regis animum cura, quæ mentem rotet
Suspicio; plura taceo. jam technis meis
Testis Hymenæi Regij gemma in manu
Est execrandi Eudæmonis: Regi fidem
Suus ipse faciet oculos. At postis sonat.
Excedo sede. Fraudibus nixus meis
Prosequere reliqua, & texe, quem cœpi, dolum.
Dol. Omnes per artes ibo, per fraudum vias
Nondum repertas hactenus donec cadant,
Quicunq; nostri nominis famam opprimunt.

SCENA XVII.

Dolus exponit Regi petitum Senatûs de moderanda Reginæ auctoritate; eaque occasione, quod ab Hypocrisi acceperat, suspicionem ingerit nimiæ ejus cum Eudæmone familiaritatis.

Synesius, seu *Intellectus*, Dolus, seu *fictus* Policarpus. Cacurgus, seu *Vitium*.

Syn. LAuda innocentem Virginis castæ indolem.
Ut compta vultu, mente sic compta est quoq;

Unaq; venustas alteram gratam facit.
Policarpe, quæ te cura sollicitat? *Dol.* Tibi
Ut sensa Patrum grandia, & justum explicem
Animi dolorem. *Syn.* Sede consilij, & loco
Nondum Senatus missus est? *Dol.* Sedent adhuc
Tuumq, per me oraculum expectant Patres,
Syn. Quid ergo rerum? *Dol.* Sacra majestas tua
Periclitatur: nominis fama in jocum
Populis abibit: inde te spretum gemes,
Nisi antevertas, Sceptra quo fastu regat,
Licentiâq; Regii consors thori,
Et dignitati deroget quantum tuæ;
Est ponderatum a Patribus: at semper sacrum
Sanctumq; nomen, Summa Majestas, fuit,
Nec dividendum. Auctoritas Regis cadit,
Si non sit unus, si pari sceptrum gerat
Auctoritate socius. Accedunt quoq;
Propensa mentis, studia, queis nimium suum
Eudæmonem complectitur. Vulgus leve
Et suspicacis indolis. Quis hinc honor.
Quæ fama Regi? *Cac.* Jam vaco culpæ notâ,
Quoties in aures ista, sed frustra, argui?
Dol. Nec præteribo, quod gravius animum afficit.
Ad Regis aures me tuus primum favor
Jubet esse, Regni primus arcana arbitror,
Dubioq; in omni primus à Rege audior.
Sed dignitatis primus hic gradus mihi
Fidelitatis candidæ legem injicit.
Qua cogit, alto corde quæ vellem premi,
Prodere in apertum. *Syn.* Liberè sensum tuum

Poli-

Policarpe profert, *Dol.* Esse non equidem nor,
Nisi verba vulgi semper in pejus suo
Garritu euntis: quando Majestas tamen
Honorq́; Regis tangitur, & umbram quoq́;
Decet æstimari. Fama jam passim volat,
(Conficta credo) fama sed tamen volat,
Creviſſe amores mutuos, ut jam notæ
Fines honesti transeant. Quin (sed fidem
Hoc non meretur) annulus, quem de tuâ
Testem mariti amoris accepit manu,
[Non usque credo, nimius hic amoris foret
Parentis index) dicitur passim tamen
Hærere digito Eudæmonis. Testem sui
An velit amoris esse, num meriti magis
Probè æstimati Regium signum, latet.
Syn. Ad tam nefanda perfidæ mentis calor,
Tam indigna Rege labitur? *Dol.* Nondum fidē
Animo imperare valeo; non deest tamen,
Qui teste cœlo juret, illius manu
Digitoq́; visam pronubam gemam. *Syn.* Rei
Statum experiri certius lubet. Celer
Cacurge propera; nostra sceleratum jube
Ante ora adesse.
Cac. Propero, quò Princeps jubes.
Dol. Hic in propinquo ad Regias fores agit.
Syn. Etiam sceleſtus audet accessu suo
Aulam inquinare? *Dol.* Gratia audacem facit,
Quâ pollet, Aretes.

SCENA XVIII.

Deprehendit Rex in Eudæmonis, seu *Boni Genij*, digito annulum, exardescit in iras; mandat eum carceri mancipari.

Synesius, seu *Intellectus*, Dolus. Eudæmon, seu *Bonus Genius*, Cacurgus, seu *Genius Malus*.

Eud. - - - - Ecce me pronum tua
Rex ante genua. Debeo hunc cultum tuæ
Benignitati, quando me coram jubes
Spectare amœnum Regiæ frontis diem,
Et basiare dexteram. *Syn.* Video. ò nefas!
Video pudendi criminis certas notas.
Tandem latebris veritas prodit suis.
Video, ipse video: quid traho ambiguas moras?
Policarpe. *Dol.* Princeps.
Syn. Perfidum, infandum caput,
Et dignitatis Regiæ læsæ reum
Ad opaca carceris antra tumulari jube.
Sed ante ponat proditi Hymenæi notam.
Dol. Tua jussa Princeps veneror.
Eud. Et quid hoc rei est?
Turbatus ira contrahit frontem; minas
Toto ore spirat; exit; & me, quem suos
Adesse jussit ante conspectus, furens,
Fremensque solum deserit. *Dol.* Princeps jubet,
Depone dexterâ annulum, & gemmam meis

Com-

Cõmitte manibus. *Eud.* Quis genius oreõ erit
Hæc imperanda Regiæ menti indidit?
Materia nempe idonea invidiæ fuit
Hæc gemma visa. *Dol.* Non satis. Princeps tuum
Profundi ad antra carceris damnat caput,
Eud. Ego ad profundæ squalidam noctis specum
Damnor? ego? cujus sceleris, aut noxæ reus?
Dol. Ne quære plura: Regis imperium jubet,
Te contineri carcere, & ferro manus
Pedesq; stringi. Muneris id esto tui,
Cacurge, Regis jussa curare, ut suo
Ritu exigantur. *Cac.* Nulla retinebit mora.
Eud. Nec ego repugno: ut innocens, sic obsequens
Imperia Regis veneror. *Cac.* Est justi tenax,
Et æquitatis arbiter Princeps nihil
Verere. mentem nulla si culpa arguit.
Sic innocentes arte capiuntur Doli.

SCENA XIX.

Hypocrisis & Dolus gratulantur sibi de irretito Eudæmone, seu *Bono Genio.*

Hypocrisis. Dolus.

Hyp. QUid una possim, fraude didicisti meâ.
Dol. Vento secundo fertur in portum ratis.
Hyp. Doces scientem. Quidquid est actum, audii
His ex latebris. Ne tibi totum tamen
Excogitatæ fraudis ingenium attrahe.
Pars magna nostra est. *Dol.* Justa prætendis.

Tuæ artis est mysterium: quin tu artifex
Es prima fraudum: quando laudatur Dolus,
Laudaris ipsa. quidquid est artis meæ,
Tua parturivit. Nempe sic fraudes tegis,
Ut veritatis semper eniteat color,
Mendacioq; imaginem veri induas.
Hyp. Te cuncti adorant, semitas cuncti tuas
Calcare cupiũt. Quidquid est, merus est Dolus.
Dol. Solus is, & unus arte fallendi abstinet.
Qui fallere nequit. *Hyp.* Ille prudentis notam
Fert, & sagacis; qui magis fallit. Dolus.
Ætate in ista solus est virtus: scelus
Vitiumq; reliqua. *Dol.* Quisquis hoc ævo fidem
Quæris, remotis quære sub cœli plagis,
Non inter aulas Principum. Merus est dolus
Quodcunq; cernis. Ambigis? damno tuo.
Verum esse disces: quidquid est, merus est dolus.

ACTVS V.

SCENA I.

Arete, seu *Virtus*, exprobrat Bulææ, seu *Voluntati*, familiaritatem, quam habet nimiam cum Archætia, seu *tecto Idokerdo*. Hæc verò Aretæ ingratitudinem exprobrat; cui etiam minatur eripere regnum.

Arete

Arete, seu *Virtus*. Bulæa, seu *Voluntas*.

Aret. Et quidem frequentis ille congressûs amor
Comerciumq; Archætiæ, & blãdo nimis
Sermone, gestu, lusibus ducti dies (facit ?
Placere nequeunt. *Bul.* Causa quæ illicitos
Aret. Non repetam ab alto plura: sit id onum satis:
Hic nodus Aretæ displicet. *Bul.* Ratio parùm
Hæc stringit animum. Causa si major subest,
Fortè acquiescam, meq; convictam dabo.
Aret. Tam vilis ergo jam tibi est Arete, mihi ut
Fastidias placere? *Bul.* Diversis placent
Diversa: quisq; ducitur genio suo;
Nec una cunctos esca delectat. Cui
Quid sapiat, angi, mentis est sanæ parùm.
Aret. Recto palatum devium à gustu, nequit
Distinguere æquũ. *Bul.* Transilis recti orbitam.
Regina! *Aret.* Solum hoc nomen officium tibi
Reverentiamq; suggerat. *Bul.* Pariter tui
Te moneat istud debiti. Non te latet,
Hoc, quo superbis, Insulæ imperium, mei
Fuisse juris, meq; dominatam Deo
Sic imperante. Sceptra blanditijs tuis
Illecta posui (ô tristis insani nimis
Memoria facti!) transtuli in fratris manus
Jus omne regni, & purpuræ. Quod tu regas,
Ingrata, nostræ gratiæ debes, *Aret.* Ita est:
Tibi supremum contulit regnum DEUS;
Sed jussit idem regere consilio tui
Hæc regna fratris. Jure quòd cedis tuo,

Hoc glorioſum facinus eſt, dignum cani
Sero nepoti, perq; faſtorum tonos
Memorari in ævum. *Bul.* Mentis meæ fuit.
Aret. Id exigebat æqua conſilij bilanx.
Bul. Qui jura tribuit, liberam fecit Deus:
Ut quod liberet, abſq; conſilio mei
Fratris valerem. *Aret.* Quis neget? Poteras tuo
Regere arbitratu: ratio ſed qualis foret
Illa imperandi? cæcavis, animi impetus,
Libido mentis impotens, amens furor.
Si frater abſit, belluis diſtas nihil.
Bul. Ingrata! ſic me vellis? hæc merces mihi
Tot gratiarum redditur? Juſte ô dolor
Erumpe tandem. Sceptra quòd frater tenet,
Solioq; Regis conſidet; quod tu thori
Conſors eodem jure Eleutheriæ imperas:
Quod tibi, tuoq; conjugi popul genu
Acceline flectunt; munus id meum eſt; mihi
Ingrata debes. *Aret.* O tuæ ſortis ſtatus
Nimium dolendus! Video, quo fonte hoc malũ
Errantis animi veniat. Ubi languet caput,
Et reliqua languent membra. Curandus prius
Inſanus æſtus Regis & amoris febris,
Archætian quâ deperit. *Bul.* Cede hinc mei
Tyranna cordis! cruda Tiſiphone, meis
Inimica ſemper commodis! Quo tu ſedes
Tumesq; ſolio, facilè ſubvertam, & meum
Diadema repetam. Cede, ne inviſus ſonus
Obtundat aurem, & gaudium mentis necet.
Redit voluptas pectori: abſcedit color

Inanis

Inanis umbræ honoris: absterſus ſopor
Oculis fugatur, quæq; luſerunt metu
Animum ſiniſtro ſomnia, & nox, & dolor
Quicunquè mentem torſit, in nihilum redit,
Umbrisquè pulſis gaudia reportat dies.
Non ille frontis Regiæ auguſtus color,
Non ſceptra, non corona, non humeris fluens
Adusque talos purpura, aut ſolium eminens
Illudet oculis amplius. Ceſſit chaos
Noctis, redit Sol ille, quem ſemper colo,
Dulcemq; cordi gaudij adportat diem.

SCENA II. COMICA.

Cacotes, ſeu *Vitium*, gaudio exultat, quòd Eudæmon, ſeu *Bonus Genius* Regis juſſu ſit ad Carcerem condemnatus.

Cacotes, ſeu *Vitium*.

JO triumphe! cecidit Eudæmon! cui
Sua forma nimium placuit, & frontis decor
Quo ſe ligare corda credebat; cui
Anguſta Regia, & orbis anguſtus fuit,
Cecidit. nec ultra ſurget. At caſus habet
Multum leporis cauſa. Sed ſilentium!
Dicere vetamur. Alta ſpectabat nimis.
Faſtidioſi non fuit ſtomachi; bonæ
Inhiabat eſcæ. O quercino exciſum caput
Truncо, vel alno proditum; Quis te furor,
Quis mentis æſtus tanta... ſed ſilentium;

Dicere

Dicere vetamur. Fama communis tamen
Obstante nullo gloriæ augustam viam
Iniisse cantat, Hinc suæ mentis sinum,
Prudentiamque sæpe jactabat tumens,
Ventoque plenus. Obvius si fors mihi
Veniebat, aut superbus in cœlum caput
Tollebat, aut arquatus hircino eminus
Spectabat oculo, territam propè ut mihi
Excuteret animam. Nempe sic plures solent,
Quos sortis alto culmine locavit favor,
Frontem asperare nube, & ex oculis meras
Vibrare flammas, voce tonitrua jacere:
Creduntq; torvitatis accessu suum
Augeri honorem. Elatus Eudæmon supra
Dominum tumebat: forte jam seipso est minor,
Et detumere didicit. At silentium!
Dicere vetamur. Annulus quiddam novæ
Opinionis peperit... O quantum premo
Luctantis oris verba, nec tamen opprimo,
Mori mihi est, tacere. Sed silentium!
Dicere vetamur. Lingua mihi procax nimis,
Prægrande & os est, nec facile claudi potest,
Si verba solvo, remibus pœnas dabo.
Quid agam? retundi non posttest licentia.
Procacis oris: ergo, quod solum est super,
Cantu occupetur, vetita ne verba efferat.

Quisquis ambit eminere,
Principumque Consus esse,
Multa mente continere,
Multa debet promere.

Non

Non tamen sat est, tenere
Multa mente. Qui secundâ
Ingeni elevatur alâ,
Livor illum deprimit.
Scire multa, multa tela
Exacerbat invidorum:
Scisse pauca, sæpe honorem
Celsiorem contulit.
Stant in arduis honores,
Stant in edito favores;
Est tamen, qui pervenire
Huc laborat impetu.
Quando credit se tenere
Pertinace dextrâ honorem;
Lubricat pes, & ruinâ
Non opinâ involvitur.

SCENA III.

Virtus, sive *Arete*, in ambulacro, ex quo aspectus est in subjectum mare, seipsam solatur spe, quam ab Hypocrisi acceperat, recipiendi annulum jam excantatum, & pristinos amores à Synesio, seu *Intellectu-*

Arete, seu *Virtus*.

ITe, ite crudæ mentis Harpyiæ, metus,
Luctus, doloréq; : vultures animi diu
Sedevorantis : Ite carnifices hydræ

Exul-

Exulcerati pectoris, & ædes mei
Vacuate cordis; alius ingressu has suo
Amatus hospes occupat: pleno venit
Spes certa velo, seq; violento, at simul
Amante in imos impetu infundit sinus.
Ite, ite sævæ cordis ardentis pyræ,
Mortis ministri, mœrot, & tristis pavor,
Gemitus, laborq; ; & quidquid ingenuam mei
Serenitatem nube convolvit sinûs.
Animus doloris incapax vivit novo
Expergefactus spiritu, & dulci fluit
Spei ac amoris nectare. Hinc curæ procul.
Jam vis recedit Colchiea, & rursum suæ
Integritati redditus gemmæ vigor
Veteres amores revocat, ac primam fidem
Infundit animo Regis. O dulces spei
Meæ liquores! dulcis ò veteris sapor
Gustusq; amoris! O potens virtus, poli
Delapsa sede, tota quæ nostræ spei
Precibus laboras, tota quæ lachrymis tuis
Male auspicatum spiritum gemmâ eluis!
Per te revivo, studia pietatis tuæ
Animum reponunt pristinũ in amoris sinum.
Ite hinc dolorum nubila, angorum rubi;
Ite, ite gemitus cordis, & suspiria:
Jam melior aura spirat, & portum propè
Felicitatis monstrat. Hinc gemitus procul.

SCENA IV.

Cacurgus, seu *Malus Genius*, nomine Regis

Regis sub specie munerum defert ad Areten, seu *Virtutem*, duas argenteas pelves opertas, in quarum altera est cor Eudæmonis, seu *Boni Genij*, pugione transfixum; in altera pugio, & poculum veneni. Lætatur illa primum, quòd amori restitutum Regem existimaret: ubi verò detexit, horror, & dolor. Jubetur eligere, vel pugionem, vel venenum: hoc illa eligit, & intrepida bibit.

Arete, seu *Virtus*. Cacurgus, seu *Genius Malus*. Cacotes, seu *Vitium*, Pandimus, seu *Ingenium*.

Cacur. LEgatus adsum Conjugis amantis tui,
Meiq; Regis.
Aret. Ergo jam nostri memor?
Ergo Areta Regi rursus in mentem venit?
Cacot. Si quando, nunc frequentius memor est tui.
Cacur. Pignusq; amoris veteris, à cujus fide
Nunquam recessit (*Aret.* Dubito)
Cacur. Quamq; istâ magis
Testatur hora. (*Aret.* Et vivit antiqui unica
Scintilla amoris?) *Cacur.* Tesseram etiam suæ
Deporto mentis. *Aret.* Ergo peregrinus calor
Extinctus omnis? ergo se reddit mihi
Synesius? O sincera Pietatis fides;
Veraxq; candor; Ecce, meritorum patet.

Vir-

Virtus tuorum, quasq; fudisti, precum.
Cessêre cantus Colchici è gemmâ doli,
Nodiq; Averni Spiritus; stetit tuis
Promissa dictis veritas. Mentis novæ
Faces amantis, munera! ô pignus nov
Fidei ab amante! chara jam expletæ spei,
Et in liquescens gaudium abeuntis quies!
Pand. Sincera facies muneris nondum patet.
Aret. Quid hoc? volentem tangere invadit tremor.
Horretque dextra? Nempe reverentis timor
Est iste mentis. Quo tibi obsequio tua
Devincta Sponsa est, poscit, ut quidquid tuo
Venit ab amore, venerer officio pari.
Eheu! quid istud? *Pand.* Horret? & nondũ mali
Scena patet omnis.
Aret. Hocnè funestum mihi
Donum Synesius? *Cac.* Charius quo non queas
Desiderare: *Aret.* Corde quid medio notat
Defixus ensis? *Cacur.* Illud est cor, quod tuos
Rapuit amores; cujus affectu diu
Calebat animus; cujus ardores, tua
Erant voluptas.
Aret. Loqueris ænigma. *Cacur.* At satis
Hoc explicatum est, assequi ut facilè queas.
Cor illud est Eudæmonis amantis tui.
Aret. Feralis ô spectaculi invisus rigor!
Ludis Cacurge? an vera metuenti refers?
Cacur. Imperia Regis exequor, quâ me fide
Ille expedire voluit. *Aret.* Et pignus mihi

Rega-

Regalis aliud mittere affectus nequit?
Cacur. Id esse summum credidit. Nam cor tibi
Tantum æstimati nominis, cujus sterit
Tibi semper animo flamma, pro dono in manus
Consignat, Arete. Certa jam vives tui
De Sponsi amore; quando quod votum tuũ
Vel est, vel esse potuit, in manus dedit,
Debes amori plurimum, qui te suâ
In mente semper voluit, & quærit tuo
Servire genio. Quin metum mente exue,
Tuum ne amantem forma rivalis trahat,
Tu cordis ejus domina es: in tuâ est manu;
Exosculare, stringe, complexu fove.
Aret. Ergo & supremas illud ærumnas gravat,
Quod impudica videar, & sacras thori
Violasse leges! Quod queri poteram, prior
In me refundit. Ille juratos sacri
Hymenæi amores exuit, formam hospitis
Aliam procatus: Ille perjurus fidem
Datam fefellit; quodq́, sceleratum est magis,
Quod perpetravit ipse, non nocuæ Aretæ
Per impiam calumniam imponit scelus.
Hæc machinarum Archætiæ infesta est rota.
Quocunque sese intruſit, hac juris sacri
Lege inquietat ordinem, evertit, terit;
Et digna famâ merita compensat nece:
Hæc est fidelis obsequi, Eudæmon, tui
Reposita merces! O cor innocuæ indolis!
Cor fraudis expers! quodque non alio, impij
Manu, peristi scelere, quàm quòd publicæ

Feli-

Felicitati creditum illimi dares
Concilia fluxu, nescia aut fuci, aut doli:
Tu cujus omnis ambitus apertus patet,
Ut tegere jam nil possis arcano sinu;
Tu prode cœlo, prode tu terris mei
Arcana cordis nullius culpæ rei.

Cacur. Non ista nunc Eudæmonẽ tangunt. Jacis
Lamenta ventis: ille, quem testem vocas,
Nimis remotâ degit avulsus plagâ,
Venire ad aurem ut triste non possit melos.

Aret. Verum est: cruenta, barbara, immitis manus
Hunc interemptum spiritu & vitâ exuit.

Cac. Sed mitte luctus: brevior absentis mora est.
Quàm tibi dolores suadeant. *Cacot.* Poteris,
Opinione citiùs, afiatu frui (tuâ
Sinceri amantis. *Cacur.* Regiam mentem tui
Pietas subivit. Ille, quâ flammâ ardeas,
Quæ pectus urant vota, queîs tuum tibi
Eudæmonem desideras, pridem videt.
Hinc & levamen mittit, & modum docet;
Quo, quem peremptum funere supremo doles,
Reperire possis. Geminus en callis patet,

Aperit alteram pelvim, in qua est pugio, & poculum veneno mixtum.

Uterq; rectâ, ducer ad amatum viâ.
Vel hanc, vel illam delige: arbitrio tuo
Stat hæc, & illa. Quæ placet amanti magis,
Humanitate Regis offertur. Tibi
Fors neutra displicebit. Est brevis utraq;
Utraque expedita, nec ambitu longo atterit.

Aret.

Aret. Quæcunq; nullâ criminis labe obsitum,
Et innocentem spiritum ad mortem citat,
Via expedita est, quando, quem vitâ exuit,
Solvit dolore. Squalida quid Arete trahat
Ultra innocentem Spiritum? Si Archætia
Temulenta fastu, luce regnorum ebria
Jam purpurata tygris in solio sedet;
Aulæq; pulsa jura Leucothoë, impiâ
Fidus minister cœde damnatus; quis est,
Qui veritatem promere intrepidè audeat?
Si mille Cacotes criminum incentor manu
Regis patrona tegitur; atq; aula procul,
Proculq; tectis Principum exegit Themin,
Quid Areta misera spiritum afflictum traham?
Assurge fortis vividæ mentis calor,
Et te procellis eripe instantis mali!
Fortuna ne te cogat infausta erutæ
Aulæ ruinam cernere; occlusos sopor
Æternus oculos claudat. Antidotum mihi
Contra hostis iras toxici hic scyphus dabit.
Pand. Quam læta, & irretorta, & intrepida bibit!
Nec ambit illa vivere, nec horret mori.
Aret. Egi imperata Regis. Hæc illi refer:
Etiam jubenti bibere lethalem scyphum,
Me paruisse. Si incitæ mentis rigor,
Quo me innocentem perimit, extremos sonos
Venire ad aurem patitur; & cujus diu
Viventis odit ora, morientis tamen
Admittit ultima verba; dic: constans tibi,
Intrepida vultu, corde non pavido, manu

Auda-

Audace & alacri sumpsit, atq; avida bibit
Siti venenum : Voluit imperijs tuis
Parere, non invita moriendo. Hic tamen
Unus abeuntem spiritum affligit dolor,
Quòd illigatum deseram infami lupæ,
Amoribusq; Archætiæ. Si nil meus
Affectus urget, nec placet. quondam suæ
Meminisse amantis conjugis, id oro, sui
Statûs meminerit; Synesium decet,
Pronus sequatur. *Cacur.* Singula expediam,
Si memoris animi faverit tenax sinus : (mihi
Si fallat; istud unicum expediam : Arete
Hausto veneno limites inter necis
Vitæq; pugnat: Regis hoc animo sat est,
Aret. Sic est : id num Regis est votum, nece
Aretem perire; ne voluptati suæ
Qui ponat obicem, quiq; retineat impetum
Abeuntis in præruptа fit quisquam super.
Sed jam propinquæ mortis accessu, gravi
Pugnâ laborat animus, atq; ipsam furor
Arcem latentis cordis aggreditur: adhuc
Luctantur unà, mortis hinc rigidum gelu,
Hinc modica vitæ flamma. Sed vincit gelu,
Extincta vitæ flamma me in cineres agit.

SCENA V.

Adest Hypocrisis morienti Reginæ, simulatè condolet : ubi demum expiravit, gaudio exultat.

Hypo-

Hypocrisis. Arete, seu *Virtus*.

Hyp QUæ scena tristis? Areta, quod malum premit?

Aret. Sic spem coronat exitus: sic me tua
Promissa consolantur: en finis mei
Doloris instat, & simul vitæ exitus.

Hyp Miseranda! quæ me fata tam sævam jubent
Spectare sortem? *Aret*. Spiritus Averni suas
Partes peregit: antequam Hymenæi notâ
Tuis abactus precibus Acherontis specum
Redux subiret. quidquid in damnum meum
Potuit furoris, quidquid invidiæ suo
Potuit veneno, prodidit. *Hyp*. Licet rei
Causam, modũq; scire? *Aret*. Rex jussit mori:
Hausti venenum cætera exequitur *Hyp*. Tigris
Quæ Caspia istud ausit? ò nimium ferox
Crudelitatis barbaræ exemplum! ò nimis
Infausta Princeps! *Aret*. Sæpe sic insons, reus
Agitur iniquis æmulæ invidiæ dolis,
Donec furori victima inimico cadat.

Hyp. O fata! cur me vivere jubetis? Tuo
Cui ego superstes funeri servor? Lubens,
Ut te redimere liceat, effusum dabo
Venis cruorem! *Aret*. Membra supremo labant
Impulsa letho. *Hyp*. Sidera, quod orbi malum
Tandem paratis, sic nece Augustam eripi
Areten jubetis? *Aret*. Spiritus solita negat
Officia membris: cordis elanguet calor.

Hyp. O impiatum sæculi nostri statum!

Ferroq; fusum, aut marmore excisum. Innocen
Virtus neci subjicitur, exultat scelus.
Aret. Oculos suprema nubila involvunt : dies
Abscedit omnis : aura . . *Hyp.* Jam vixit : gelu
Jam mortis omne stringitur corpus. Bene est,
Jam vota nostra culmine optatæ sedent
Felicitatis.

SCENA VI.

Idokerdus, seu *Intereſſe*, sub persona Archætiæ, seu *Rationis Status*, non multum gaudet Reginæ morte, quod prævideat se ad connubium petitum iri; unde se manifestare cogetur; ex quo demum suæ machinæ ruent.

Idokerdus, sub persona *Rationis Status* Hypocrisis:

Idok. - - - Parcius mentis sinum
Concede lætis. *Hyp.* Gaudium in pectus nimis
Exuberante flumine irrumpens mihi
Me tollit ipsam. Vota jam currunt suâ
Secunda fraude! Funus est Arete. Nihil
Pòst impedire nostra consilia potest.
Idok. Utinam illa porrò viveret! Grandis meis
Est funus istud plaga meditatis.
Hyp Quid hoc?
Ido. Quis sim patebit. *Hyp.* Unde? quæ tectos dolos
Cansâ explicare coget? *Idok.* Hymenæo suo

Prin-

Princeps ſolutus, alterum Hymenæum petit
Celebrare mecum.

Hyp Mira quæ narras? *Idok* Ita
Mihi per Cacurgum nunciat. Quid nunc agam?
Equidem petenti juſta, ſi talis forem
Qualem arbitratur, non dare aſſenſum, gravi
Mentem furore Regiam impleret: dare
Sed poſtulanti noſtra conditio vetat.
Quid ergo agendum? Conſili hocunum eſt ſu-
Ut me furoris Regii eripiam minis, (per,
Detegere memet. Hoc quoque eſt nimiū grave.
Nam ſic doloſæ vertitur fraudis rota,
Omnisq; textæ concidit technæ labor.
Hyp. Sanè paratus iret in fumum dolus.
Cùm tela aperta fraudis eſt, nullum malum
Suum Idokerdus ducere ad finem poteſt.

SCENA VII.

Archætia, tectus Idokerdus, ſeu *Intereſſe*, vocatur ad convivium Regis, quod ſolenni gaudio ōb peremptam Areten, ſeu *Virtutem*, celebraturus eſt. Interim Hypocriſi commīttit curam promovendi dolos.

Pandimus, ſeu *Ingenium*. Idokerdus, ſeu *Intereſſe*. Hypocriſis.

Pan. VErenda Princeps, Regiæ ad mēſæ dapes
Syncſius optat hoſpitis amicum ſuæ

Adesse lumen. Areta jam fatis data
Sibi apparari funebrem pompam petit;
Hanc exhibebit festus hic epulis dies;
Ut quo sequatur funus affectu, palam
Testetur orbi. *Idok*. Regii affectûs favor,
Quo se clienti inclinat Augustum jubar,
A me meretur debito obsequio coli
Amanda Hypocrisis, interim invigilia meis
Studiosa rebus: nostra ad obsequia Dolum
Adesse manda: quære, quid agendum æstimet
Poneria, meis semper in rebus pium
Tutumque asylum. Convocet totas sui
Vires cerebri, & ingeni excutiat sinus,
Ut obviandi inveniat extremis malis
Viam, modumq; *Hyp*. Quod jubes, factum dabo
Idok. Ego timoris inter & fluctus spei
Accedo Regem. *Pand*. Funeris necdum bene
Riguêre membra, jam alterâ Hymenæi face
Synesius ardet. Mortui tumulis jacent
Suis sepulti, nostra nec curant; agant
Quodcunque vivi, mortuos tangit nihil.
Licetq; tangat, id nihil vivos movet,
Quicunque sapiunt, vivere hoc ritu solent.

SCENA VIII.

Bulæa, seu *Voluntas*, acceptâ Reginæ morte indagat ex Colacæa, seu *Adulatione*, verumne sit Regem ambire Hymenæum cum Archætia, seu *Ratione Status*, quâm non igno-

ignorat esse tectum Idokerdum, in spemque venit, si ea se detegat se è Rege insponsam postulandam.

Bulæa, seu *Voluntas*. Colacæa, seu *Adulatio*.

Bul. AN esse credam vera, quæ rumor meas
Pertulit ad aures, Regis imperio Aretem
Letho peremptam?
Col. Res nova, at vera est tamen,
Spectata multis: Regis imperio occidit.
Bul. Quæ causa tanto Regis humani fibras
Accendit igne, conjugis mortem suæ
Ut imperaret? *Col.* Causa non prodit: tamen
Quæcunque fuerit causa, non fuerit levis,
Quæ tam benignum Principem, mitem, pium,
Facilemq; flecti; providum, ingenio gravem.
Prudentiaque limpidâ & mente arduâ
Tam singularem moverit, mortis ream
Ut judicaret. *Bul.* Nempe jam rigido nimis
Superba cilio, & arrogans visa est nimis,
Nec sustineri facilis. At de Archætia
Quis sermo in aula? Vera num populi canit,
An falsa rumor? Regiæ mentis sinum
Alio calere ab igne, & Hymenæo alteri
Jam postulari Archætian. *Col.* Sensus quidem
Est iste Regis, fine cariturus tamen.
Nam, quod patere credo jam Princeps tibi,
Sub hoc amictu Archætiæ, occulto latet
Dolo Idokerdus. *Bul.* Si tamen doli inscius

Rex conjugalis postulet sociam thori,
Quid illa? quæ consilia disposuit? *Col.* Erit
Ponenda larva. *Bul.* Fausta, quæ larvam abstra-
Fortuna nobis. Namquè delusus dolo (het
Princeps amores vertet, & forsan meos
Poscet Hymenæos; nostra conditio alium
Connubialis fœderis nodum vetat,
Nolente Rege. Vade, quid subsit rei,
Quæ vera sint, quæ falsa, discerne, & mihi
Refer fidelis nuncia. *Cola.* Obsequium paro,
Sed quid timores, tanta quid prosit tuis
Cautela factis? quæ lubent, tutò potes.
Exempta plebe Nympha, vulgoq; altior,
Suo, quid alias deceat, exemplo docet.
Bul. Bulæa, pande temet, & clausos sinu
Revela amores. Forte miseratus tuas
Rex ipse flammas corde, concipiet paris
Amoris ignes. Ille si prodat suos
Animi calores, prodere & tuos potes,
Venia est amoris alter alterius amor.

SCENA IX.

Poneria, seu *Malitia*, dat Hypocrisi poculum soporiferum, quod jubet Regi exhiberi.

Poneria, seu *Malitiæ*. Hypocrisis.

Pon. QUod eliquatum vitreâ ampulla hac vides,

Est

Est succus Ignorantiæ. Hoc aulæ solent
Sopire populos. Regio hoc misce mero,
Regi ebibendum hoc exhibe: Accedat suâ
Colacæa voce, misceat laudes modis,
Encomijsq; chromata: liquoris gravi
Oppressus haustu, vocis illectus sono,
Et suavitate captus, acclinis cadet
Rex in soporem, deinde Lethargus grave
Caput occupabit. Istud interea sat est;
Dū plura tempus suggerat. *Hyp.* Jussa exequor.
Pon. Adverte & istud; opera si forsan mea
Desideretur, quære Bulææ ad fores.
Hyp. Et hoc juvabit scire.

SCENA X.

Hypocrisis ostendit Dolo mixtum ignorantiæ succo poculum Regi dandum, quod facturum se Dolus pollicetur.

Dolus. Hypocrisis.

Dol. - - - Quo tendis gradum
Hypocrisis? *Hyp.* Ipsum mente volvebam Dolū.
Dol. Quod ista vitri phiala medicamen tenet?
Hyp. Est eliquatæ succus ignorantiæ.
Dol. Cujus paratus poculis? *Hyp.* Regis. Tua
Sit ista cura. *Dol.* Nemo Ganymædis vices
Me sustinebit melius. At cautè tamen (rei
Res promovenda est. *Hyp.* Nullus huic potest

Metus subesse. Nullus est succo sapor.
Dum bibitur, oculos cœcat, ut videant minus
Noxam latentem: quoq; plus bibitur, minus
Bibisse credant. *Dol.* Ratio, quod dicis probat.
Nam quisquis ignorantiâ mentem occupat
Nec se, nec alia novit. *Hyp.* At multi tamen
Se multa credunt nosse, sed norûnt nihil.
Dol. Est qui Poëtam vellicat, quamquam sibi
Sit Musa sterilis, quæq; vix anno metrum
Abominandum Apollini, & Musis struat.
Plus vult videri sapere, qui sapit nihil.
Hyp. Est architecti censor, & acerba crisi
Qui damnat ædes Principum, aut stantem foro
Molem colossi; cui tamen decempeda,
Angulus, amussis, regula, anfractus, basis,
Sunt terra spectra nominum, & larvæ horridæ.
Plus vult videri sapere, qui sapit nihil.
Dol. Est qui feroces ore ventoso minas.
Martemq; spirat; prælia, & pugnas manu
Suâ peractas jactat, & dextrâ tamen
Sui ipse lateris stringere mucronem timet.
Plus vult videre sapere, qui sapit nihil.
Hyp. Sed quid moramur? tempus ad fraudem vocat,

SCENA XI.

Cacurgus, seu *Malus Genius*, sibi gratulatur de sublatis Eydæmone, seu *Bono Genio*, & Areta, seu *Virtute*, amorisque ex aula æmulis. Unde sperat elevatâ ad

Regiam

Regiam dignitatem Archætiâ, seu *Ratione Status*, eminere.

Cacurgus. seu *Genius Malus.*

BEne est, beatè est! Vota supremo sedent
Fellcitatis apice! Rivalis mei
Cor ipse vidi: (fausta sic omnes mihi
Fortuna tollat æmulos!] vidi impij
Cor ense fossum, quodque mihi votum fuit,
Vidi peremptum; Regiam Sponsam quoquè
Vidi veneno mortuam. Sed quod magis
Genium Cacurgi recreat, in Archætian
Vertêre amores Regis, ut sociam sui
Connubiali fœdere assumat thori.
Jam spes Cacurgo surgit, & plenos sinus
Fortuna meliot involat. Si Archætia
Sceptrum secundum teneat, ad Regem locus
Primus Cacurgi est. Jam meis votis sat est.
Sublatos omnis hostis, aut cæsus solum
Momordit ore, aut Regiâ ejectus gemit.
Sic fuit agendum: sic suos aut vi decet,
Aut fraude tollere æmulos. Errat, suum
Qui promovere commodum quando potest,
Occasionem negligit. Si quis viâ
Submoveat obicem, quisq; prudentè æstimat:
Quid ergo nostro commodo obstantem vetet
Hostem amovere? Cursus hic aulæ est, dies
Exempla profert singulus. Nemo suum,
Quem premere potuit, æmulum, excelso loco
Sedere patitur. Consule annales Patrum,

Memoresq; fastos Principum: Quis quis viam
Obsedit hostis alta meditanti, viâ
Excussus, obicem proprio casu abstulit.
Sic acta res est nostra : jam restat nihil.

SCENA XII.

Cacotes, seu *Vitium*, ad Poneriam missus nunciat omnia esse confusa.

Cacotes, seu *Vitium*.

REs involuta tota Labyrintho est: labor
Nunc intus urget pessimus. Dominum meũ
Rex esse credit, fœminam, & jungi sibi
Connubialis fœdere Hymenæi petit.
Res ista curas miscet, atquè unâ omnium
Confundit animos Ille, ne pateat dolus,
Et compeditus fraude capiatur suâ.
Impendit omnes ingenî vires. Ego
Et huc & illuc mente sollicitâ feror.
Colacæa, quâ non pulchrior Nympha est, suæ
Non parcit operæ, res ut eventu bono
Hæc terminetur, nec minus sensus suos
Dolus & Hypocrisis conferunt: nullum tamen
Confusus animus nube consilium invenit.
Credo, & Poneriæ opera in auxilium rei
Petitur cadenti: paginam hanc vento ocyor
Illi exhibere jubeor.

SCE-

SCENA XIII.

Cacotes, seu *Vitium*, Poneriæ seu *Malitiæ*, litteras tradit: significat Regem interim Colacææ, seu *Adulationis*, cantu detineri. Illa lectis litteris properat.

Poneria, seu *Malitia*. Cacotes, seu *Vitium*.

Pon. - - - Ad vocis tuæ
Sonum excitata venio. Conclavi tua
Excipere jussa nolui; ne quæ rotet
Suspicio mentem Regiæ Nymphæ. Quid est?
Quid mihi novorum. *Cac.* Faustum an infaustũ,
Penetrare nondũ licuit: infaustum tamen (mihi
Suspicio dictat: paginâ hac plenè scies,
Quam tibi volante ferre sum jussus gradu.
Pon. Liberabo sensa. *Cac.* Regias aures melo
Colacæa recreat interim, & dulci dolo
Avidè audientem detinet, fraudi ut moram
Excogitandæ ducat: at tanto malo
Minor medela est. Unica hæc restat via:
Ponenda larva fœminæ, ac propria iterum
Forma induenda; quodq; reprimendo unicum
Regis furori serviet, supplex doli
Veniam parati postulet. *Pon.* Factum dabo,
Quod imperavit. Sed tuum ingenium quoq;
Huc collaboret.
Cac. Promptus imperium sequar.
Quem tela tandem texta se ad finem trahet?

Hic ordo rerum est: quidquid aggrederis, bonæ
In Idokerdi gratiam ad finem fluit.

SCENA XIV.

Colacæa, seu *Adulatio*, Synesium, seu *Intellectum*, lecto accubantem cantu & testitudine recreat, sub quo ille cantu sensim sopitur.

Adulatio, seu *Colacæa*. Synesius, seu *Intellectus*.

O Architectæ grandium
Naturæ opus stupendum!
Quod vis creatrix Numinis,
Potesq; dextra fixit.
Synesi, Imperator maximè,
Et siderum æmulator.
Tibi serva Tethys flectitur,
Te prona terra adorat:
Tibi servit orbis machina,
Elementa te verentur!
Syn. Quæ lenit aures suavitas,
Amœnitasq; mulcet?
Colac. Tu conditam, auram pectore,
Sinuq; carceratam
Prodire cogis pectore,
Modulamen in canorum,
In dulce nectar aurium.
Et suavitatis odem.

Tu

Tu claudis ignem, concavum
Cogisq; sub metallum;
Sed de metallo turrium
Elidis in ruinam.
Tu fraudo subterraneâ
In arcta cogis ignem;
Sed inde montes fulminas,
Et disjicis colossos,

Syn. O dulcor! ò suavitas!
O aurium voluptas!
Inebriatum gaudio
Cor ecstasi occupatur,
Dulcesq, in amnes enthei
Amoris eliquatur.

Colac. Jubente te, quàm latus est,
Compendiatur orbis,
Breviq; scriptus paginâ
In epitomen vocatur.
Jubente te, quàm Nereus
Latè evagatur undis,
Hydrographas per lineas
Contrahitur in tripalmum,
Hinc absque lassitudine
Perambulatur orbis,
Et absq; velo & regimine
Enavigantur undæ.

Syn. ARchætia! ò Archætia! ô mundi decor!
Col. Nondũ soporem suavit induxit canor?
Syn. Cordis voluptas unica! ô Archætia!
Tuine species ludit? an præsens ades?

Col. Non erro; dormit: somnus oppressum tenet,
Et dormientem Phantasi illudit jocus.
Syn. Ubi est venustas culta, delicium mei
Archætia animi? Veniat & radios sui
Aperiat oris. *Colac.* Prompta jam venit tuis
Parere jussis.

SCENA XV.

Idokerdus, seu *Interesse*, Regem jam indutus, pugione armatus Synesium, seu *Intellectum*, dormientem occidit.

Idokerdus, seu *Interesse*. Colacæa, seu *Adulatio*.
Synesius, seu *Intellectus*.

Idok. - - - Horane ad factum vocat?
Col. Quodcunq; libeat, jam licet: Regem gravi
Sopore mersum succus exhaustus ligat.
Idok. O prone semper rebus in nostris favor
Fortunæ amantis! Vade, comitibus meis
Sociata, quod res postulat, solers age.
Col. Tua imperata veneror: obsequium paro.
Idok Tandem secundâ luce radiorum dies
Affulsit ille, quo manus ferro meæ
Pereat Synesius, ac Eleutheria novi
Imperia ferre Regis, & leges novas
Pati Idokerdi discat! In nostra est manu
Fortuna rota: tempore utendum & loco est.
Syn. Quis credat ista?
Idok. Vigilat! Heu! quis me regat.

Iidis

Fidis latebris angulus! Quid nunc agam?
Ferrumne pectori imprimā? an timidas manus
Prohibebo facto? Huc hactenus totum doli
Pondus ferebat: huc furor præsens agit.
Perimatur: ensis ima rimetur sinûs.
Perimatur. At, quid hæret ancipiti metu
Suspensus animus? sed tamen cauto ordine
Res est agenda. Facilè cùm solus furis,
Vicinus audit. Regiæ auritos habent
Plerumquè postes. Miles ad fores vigil
Armisquè cinctus excubat: quodsi levis
Strepitus ad aures veniat, irrumpet simul.
Meoquè damno damna meditata eluet.
Suspende ferrum: tempus expecta, ut cadat
Securus ictus. Video: jam gravior sopor
Oppressit oculos: frontis inflexu annuit,
Ut propior adstem. Quid verat? ferrum admove
Animosa dextra: tempus est, metum exue.

Syn. Sic ergo colimur?

Idok. Rursus evigilat. *Syn.* Mea
Est ista merces? gratiam hospitij dedi,
Et sic rependis? *Idok.* Audijt! rerum ordinem
Percepit! heu! sum proditus! Quid nunc mihi
Superest agendum? Facinus audacis patet.
Tentasse satis est, unde dicaris reus
Violasse capitis Regij augustum jubar.
Age anime, fortis perage, quod cœptum est
semel.

Syn Crudum! scelestum! perfidum! ingratū caput!

Idok. Fugio Synesij linceam oculorum facem.

Si so-

Si sola tanto verba per rigidos gelu
Vagantur artus, quantus in trepidum ruet
Pectus oculorum fulgor, & toruæ minax
Frontis procella? O grande supplicium reis
Peccare velle! Siluit; atq; altum trahit
Pectore profundo spiritum: nostris sopor
Ipse favet ausis: jamq; securum facit
Ad vulnus aditum clausus oculorum rigor,
Cilijsq; pressis insidens somni vapor.
Age, quod agendum est anime: meditatũ scelus
Aggredere fortis, antequam nubes vigil
Abstergat animus. Perge: quid dubitas? Juvat
Isti sopori jungere æternum. *Syn.* Impie!
Idok. Quod iterum in aures fulmen? an loquitur
An dormientem somnisjs ludit sopor? (vigil?
Stemus in arenâ. Dormit; & mentem occupant
Simulachra rerum ficta. Nunc verum tamen
Te somniasse, ad ultimum Acherontem refer.
Dormi supremùm, & nullus hunc somnũ dies
Excutiat unquam.
Syn Heu! morior. *Idok.* At lætas traho (occubat!
Ego vivus auras. *Syn.* Morior! heu! *Idok.* Tandẽ

SCENA XVI.

Accurunt audito strepitu Cacurgus, seu *Malus Genius*, & Pandimus, seu *Ingenium*: Synesium, seu *Intellectum*, occisum reperiunt. Idokerdus, seu *Interesse*, se Regem pronunciat.

Cacur-

Cacurgus, seu *Malus Genius*. Pandimus, seu *Ingenium* Idokerdus, seu *Interesse*.

Cac. QUis hic tumultus Regio somno obstrepit?

Pand. Silete: Regem somnus oppressum tenet.
Sed heu! quis iste sanguis, & latè effluens
Cruoris amnis? *Cac* Fallor? an video suo
Regem natantem in sanguine, & rigido necis
Gelu rigentem? *Idok.* Falleris. Rex non jacet
Suo sepultus sanguine: hîc Regem vides.
Mea sceptra sunt, mea purpura est, solium meum est.

Cac. Tu Rex? *Idok.* Verere pronus, & Regem cole.

Cac. Non tu jugalis fœdere Hymenæi meo
Jungenda Regi Archætia es? *Idok.* Visus fui
Archætia esse. Nomen hoc sumo mihi,
Quoties in aulas Principum, & Regum datur
Penetrare tecta; & nominis ficti dolo
Tego Idokerdum *Cac.* Nomẽ hoc credã tuum?
Idok. Sũ, sum Idokerdus. Nomẽ hoc meũ est, mea
Est ista Regis aula, Eleutheria mea est.

SCENA XVII.

Bulæa, seu *Voluntas*, sistitur captiva & catenis onusta Idoketdo, seu *Interesse*: quem illa Auctorem Regicidij intelligit non sine lamentis.

Bulæa

Bulæa, seu *Voluntas*. Cacurgus, seu *Malus Genius*. Idokerdus, seu *Interesse*. Pandimus, seu *Ingenium*. Cacotes, seu *Vitium*. Poneria, seu *Malitia*.

Bul. HÆc me manebant fata? crudelis dies!
Sors efferata!
Cac. Regia, en vultum soror
Suffusa lachrymis, quamq; tam tristis ferit
Dolore casus *Bul* More mancipij, manus
Collumq; ferro vincta, Regali edita
Princeps parentum sanguine, ad quodnam rea
Trahor tribunal. *Pon.* Pone lamendis modum;
Ferenda sors est mente non fractâ, cui
Obsistere nequis. Disce mandato obsequi
Potentioris, cujus imperio nequis (thes
Subtrahere temet. *Bul.* Ista quis crudus Scy-
Decreta sanxit? *Pon.* Ferre si possis moram,
Scis jubentem. *Idok.* Nostra decreta id jubent,
Nos imperamus. *Bul.* Fallis? O dvûm fidem!
Hæc illa sancti vincula Hymenæi? hæ tui
Catenæ amoris? quamq; speravi, fides
Hæc conjugalis? *Idok.* Vela nunc demum spei
Nimium ferocis contrahe, hoc satis est tibi,
Quod Idokerdum vile mancipium colas.
Bul. Et potuit ergo pectoris amantis calor
Gelari in odium? potuit Hymenæus feras
Cutere catenas? Scena quæ tristis meos
Funestat oculos? Sanguine, heu! frater meus,
Taboq; mersus innatat! frater meus

Jacet

Jacet peremptus ; Matre quis natus tygre,
Lexque pastus lacte tam dirum nefas
Ausus patrare ? *Ido*. Sceleris auctorem rogas ?
Inme reflecte lumina : ego feci scelus ; (pie!
Ego hunc peremi. *Bul*. O perfide ! sceleste ! im-
Tuique amantis proditor ! *Ido* Questu abstine ;
Tibi te reserva, perfidi nihil hic doli est.
Hæc Idokerdi est indoles Monui satis,
Non esse me, quem fronte mentitus pudor,
Ludens in oculis candor, incessus, gradus,
Vestisq. prodit fraude simulatâ hac tegi
Monui Idokerdum. Noscere ingenium meum
Experta poteras, Degener non sum : viâ
Procedo eâdem, commodi semper mei
Studiosus emptor, gratiâ tui novum
Non in eo callem. Sed tamen precibus tuis
Nil denegavi. Scire, quem larvâ tegam
Efflagitasti : cerne, jam coram vides
Ipsum Idokerdum : nomine sub Archætiæ
Latere placuit, quo solent aulæ capi ;
Pulchrique fraude nominis regnum occupo.
Bul. Quo jure ? *Ido*. Jura commodis cedunt meis.
Sint æqua, sint iniqua ; quæ placent, licent.
At tu superbæ spiritus mentis preme,
Verbisq ; parce ; quodque jam solum tua
Fortuna patitur, disce servire, & tace.

SCENA XVIII.

Idokerdus, seu *Interesse*, à suis commitibus acclamatur Rex & adoratur.

Ido-

Idokerdus, seu *Interesse*, Cacurgus, seu *Malus Genius*. Cacotes, seu *Vitium*. Ponetia, seu *Malitia*. Pandimus, seu *Ingenium*. Dolus. Colacæa, seu *Adulatio*. Bulæa muta, seu *Voluntas*.

Dol. TAndem voluta sortis eversæ rota
Magnum Idokerdū Regis in solio locat!
Manuique sceptrum, & vertici imponit jubar
Insigne Regni. Quisquis hoc gaudet sibi
Rege imperari, pronus Augustum colat.
Colac. Tibi quidquid amplo continet regnū sinu,
Subjecta genua flectit, & Regem colit.
Non tibi favente sortis est dono datum
Regno imperare? merita sed pridem tua
Hoc postulârunt. Debitum est meritis tuis,
Quod munus alijs. *Dol.* Impotens nimiū manus
Sceptrumq; Synesî, spiritu elato polos,
Terramq; fastu polluit; quodq; impium est,
Indole Tyranni tenuit. Imperij jubar,
Hinc execratus civibus, plebi gravis,
Invisus aulæ, quidquid est odii, in suum
Caput excitavit. Nemo jam cæsum dolet,
Cùm pulchra regni decora, & augustum jubar
Tibi obtigisse cernit; atquè hilares fremunt
Omnes, prioris temporis noctem tui
Solis sepultam jubare. *Col.* Non ego tui
Ignora genii, quâq; commissum tibi
Recturus esses indole Imperium, tuas
Latè per omnes liberi regni sinus

Laudes canoro dístuli cantu tubæ.
Precium labori venit optatum: omnium
Tibi comparavi ſtudium, & affectum omnium
Tibi obligavi. Jamquè ſe Cives tuo
Sceptro beatos æſtimant, *Ido.* Veſtri probo
Studium laboris, optimæ mentis notam.
Fideiq; pignus. *Dol.* Vivat auguſtus diu
Rex Idokerdus! *Col.* Cujus acclinis pedes
Adorat orbis. *Cacur.* Cujus imperium ſubdit,
Quodcunq; latè mundus amplexu fovet.
Cac. Cui capita flectit, quidquid imperio eminet
Pand. Cui, quidquid aſtra lumine aſpiciunt, jubent.
Subeſſe. *Poner.* Quæq; ſiderum aſpectū latent
Humana corda, ſponte tua fræna induunt,
Rex, Idokerde. *Dol.* Quisquis imperio regi
Amat Idokerdi, voce ſublatâ canat:
Vive Idokerde! cordium imperium tene!
Unusq; mundum jure ſubjectum liga.

SCENA XIX.

Adfremit populus feſtivo plauſu.

Iidem omnes, & chorus populi intra ſcenam. Hypocriſis.

Ch. Pop. VIve Idokerde! cordium imperium tene!
Vnusq; mundum jure ſubjectum liga!
Vive Idokerde. *Hyp.* Magnū Eleutheriæ decus,
Regumquè norma, (quodquè communi canit

Amo

Amore populus? Cordium præses : tua
In studia civis omnis applausu fremit ;
Meisquè ductus artibus ab omni affluit
Regione populus ; quæq; concepit sinu
Cohibere gaudia impotens, quaquà viam
Corripit, amœnos sidera in plausus citat.

Ch.Pop. Vive Idokerde ! cordium imperium tene!

Hyp. Audis? Tibi appropinquat, ut sceptrum sui
Principis adoret, seqùe subjectum tuo
Se sponte juri sistat, & voveat fidem.

Idok. Contrà obviare plausui nostro libet,
Omnemquè pleno excipere amplexu, & sinu
Fovere populum, sponte qui nostri fluit
Sub juris umbram; quamquè promittet fidem,
Constantiorem reddere reciprocâ fide.

Ch.Pop. Vive Idokerde! cordium imperium tene:
Unusq; mundum jure subjectum rege.

SCENA ULTIMA.

Bulæa, seu *Voluntas*, catenis vincta errores suos & amissam libertatem serò deplorat.

Bulæa, seu *Voluntas*.

O Vox ! frementi læta populorum choro,
Sed acerba mœsto pectori, & vulnus mei
Crudele cordis ! Vocis ò dirus sonus.
Meæque lessus gloriæ, postquam mihi
Adempta in urnam pulchra libertas ruit!
Infausta Bule ! quò tuam erroris viæ
Duxere sortem? Fuimus? ò tristis rei

Memo-

Memoria lapsæ! Fuimus excelsi statûs
Idæa quondam, quando libertas suo
Stetit vigori; quaq, dominatum tulit,
Populum quietum vidit, & regnum aureâ
Gaudere pace. Fuimus! at quidquid ipei
Erat superstes, cecidit; & tristis dolor
Diluit amores. Impie! extremâ sate
Styge Idokerde! Bellua humanis latens
Velata membris! Siccine Hymenæos dolo,
Dolore amores, fraude perfidiæ fidem.
Funeribus aulam, jure violato Themin,
Cruore fratrem, Regiam luctu & metu,
Dedecore regnum polluis? Vilis tibi
Tam visa Bule est, fœdere ut rupto meos
Damnes amores? debitum munus meo
Hoc est amori? Perge detestabilis.
Invisa terræ bellua, invisum polo
Monstrum! nec ullus Solis aspectus tibi,
Nec ulla Lunæ flamma, nec stella ardeat:
Nulla aura te circumvolet; nullus tibi
Flammam ministret ignis: abruptum solum
Sub pede dehiscat: fulmina auditum metu
Semper recente terreant; oculos stygis
Simulachra oberrent! omnia in tuum caput
Elementa ruptâ pace convolvant chaos,
Et quo precari pejus haud possum, tuæ
Se nemo fidei credat: æternum hæc legant
Documenta seri posteri: Est amens, fidem
In Idokerdo quisquis & amorem locat.

FINIS.

HERMENEGILDVS
TRAGOEDIA

Scripta Italico idiomate

ab

EMMANUELE THESAURO:
Latinis Musis donata,

à

NICOLAO AVANCINO,
Societatis JESU.

ARGUMENTUM.

HErmenegildus Levigildi Gothorum Regis filius Ingundis conjugis suæ operâ & suasionibus ad Orhodoxam fidem conversus, novercalibus Gosvvintæ odijs exagitatus, ab impio parente exulare jussus, apud Tiberium Græcum Orientis Imperatorem gratiam & hospitium reperit: cujus armis post annos quatuor stipatus in Hispaniam redit, parentem obsidione Hispalis, ubi tunc degebat, ad pacem & gratiam indi-

inclinat. Quâ tandem impetratâ in Regiam admissus, & ad regnum assumptus est. Cùm verò Gosvvinta vetere odio adhuc arderet, regniq; spem Recaredo filio suo eripi videret, eò per Ariani Sacerdotis fraudes rem deduxit, ut Pater filium Pascha ritu Ariano sumere detrectantem secuti subjiceret. *Greg. Turon, Greg. Mag. Ado. Vien. Baron.*

INTERLOCUTORES,

Levigildus Rex.
Hermenegildus Fil.
Recaredus Fil. Junior.
Gosvvinta Regina.
Filius Hermenegildi.
Cherintus Sacerdos.
Legatus Hermenegildi.
Prætor.
Legatus Regis Lomgobard.
Consul.
Senatus.
Cives.
Capitaneus.
Pamphagus Servus Cherinti.
Casimirus Venator
Chorus Militum.
Notarius.
Tribunus.
Chorus cœlestis.
Chori.

ACTVS I.

SCENA I.

Levigildus Rex Hiſpali ab Hermenegildo obſeſſus, decernit cum filio confligere: mittitque qui Hermenegildo hoc denunciet.

Levigildus Rex.

AUrora mundo Solis auguſti jubar,
At mihi cruenti Martis accendit facem:
Et dum rubentis ſigna vexilli rotat.
Funeſta noſtrum in prælia Gradivum vocat.
Cadentis ille roris in terram mador,
Eſt ominoſus nuncius fletûs, meo
Quem comminatur filio iratus Deus.
Purpureus ille Solis orientis rubor,
Rubor eſt pudoris, qui verecundas genas
Tinget Pelasgûm, quotquot in noſtrum caput
Jurata portant arma. Quot ſtellas ſuâ
Statione mundo natus exturba; dies,
Tot ante noſtri Martis aſpectum Duces
Trepidus pudendam vertet in fugam pavor.
Abi hinc Theona, quà meus, jam non meus,
Sed triſtis Orci filius, mollem trahit
In arma plebem, corde leporinos greges,
Emaſculatas fœminas vultu, viros

Solo

Solo rigore chalybis excerni: jube
Indigna tollant probra, quæ lenti suo
Faciunt planetæ; quando postremam tuba
Jam noctis horam nunciat, & undæ sinu
Experge factum Phœbus evolvit diem.
Surgant, ad arma convolent, campum impleant,
Si dormientes unus haud possit satis
Sol excitare, mille per clypeos meos
Soles videbunt. Vade, quæ jussi, refer.
At tu Triballe Martias turmas cie,
Animosq; subde militi: Mystam voca
Tu mihi Tonantis: dumq; propitium voco
In bella Numen, cujus à nutu mea
Fortuna pendet, aureo Martem sono
Vos seminate, nt crescat in bellum seges.

SCENA II.

Levigildus inter amorem filij, doloremquè luctatur: dolis Cherinti Sacerdotis Ariani inductus, de pace ineunda cogitat.

Levigildus. Cherintus.

O Sors acerba! Filius Patrem, Pater
Feroce bello filium in mortem petit?
Hermenegilde! vita morientis patris!
Dulcedo amara! morsque viventis patris,
Dulcisque amator! Jura si regni impios
Damnare cogunt, jura pietatis vetant
Damnare prolem. Consilî ô expers rigor:

O legis impatiens amor! Ferus & amans,
Crudus piusq; genitor ac hostis simul,
Amo, quod odi; rursus alternâ vice
Odi, quod amo. *Cher.* Perimus! affectus patrę
Iterum fatetur; pronus in pacis sinum
„Inclinat animus. Quà meant Regis vices,
„Huc vela flectam. Prima regnorum Dijs
„Ars est placendi, velle quod Reges volunt.
Potens Iberi Rector, & fulcrum Gothi,
Pietate tandem vinceris; & ardens amor
Ferri sub ipso frigore accendit facem.
Levig. Veniam meretur sanguis, & nomen patris.
Nam quæ sub ipsis nata Taygeti jugis,
Aut fusa sylves inter Hircanas fera
Suis negare prolibus amorem potest?
Quamvis seniles induant frontem nives.
Non friget animus. Ferreus thorax suum
Nondum rigorem mentis in fibras agit.
Quò magis acerbat hostis, hoc hostem magis
Amo, æstimoq;, & nobilem stirpis meæ
Agnosco ramum. Dextra, quâ ferrum rotat,
Movet timore pectus; & amatur tamen.
Cher. O sancta pietas! quanta sub frontis joco,
Orisq; risu, corda tempestas agit!
„Nemo est beatus. Sceptra qui mundi tenent,
„Populosq; flectunt nutibus, si quà patent
„Spectes, coluntur subditis: si quà latent,
„Mordente totas angue lacerantur fibras.
„âaudent suis doloribus; pariter dolent.
„Suis necati gaudijs; Ostrum rosas

„Men-

, Mendace fronte simulat, & spinas alit.
Levig. Regum dolore major est noster dolor.
Ætatis annos, ipse si taceam, nives
Capitis loquuntur, sæpe quod curis gravis
Corona pressit, quodq; sub gelidâ diu,
Casside Gradivi gemuit, In venis gelu,
In capite bruma, longa me, ut cernis, vetant
, Sperare vitæ tempora. Augusti dies
, Plerumq; brevis est verticis. Miles senex
, Utriq; lateri proximam mortem trahit.
Lucina geminos filios patri dedit.
Gemina marinomonstra de fremitu sata,
Geminasq; Syrtes, Regiæ stirpis probra:
Recaredus alter moribus levis, gravis
Regno, parenti durus, assuetus feris,
Equis domandis aptior, quàm subditis
, Populis regendis.
Cher. Tenera quando ætas viret,
, Maturus esse pectoris sensus nequit.
Lev. Hermenegildus alter, & natu prior,
Et mente major; consilî magni capax,
Manuq; fortis; sed patris probrum alterum;
Quà regno Ibero gaudia spopondit, tulit
Labem pudendam. Junctus Ingundi, dolo
Captus muliebri, vetera pertæsus sacra
Novos Quirinæ gentis in ritus abit.
Cher. O architecta fraudis & gravium parens
, Mulier malorum: Blanda se insinuat: ubi
, Frænum obtinuerit, conjugem, quà vult, rapit.
Levig. Hinc jussus æde patriâ, & toro procul

Regno exulare, placida tranquillæ invidet
Otia quietis, & Pelasgorum movet
In nos furorem: terra sub ferro gemit.
Aëreq; signis fluctuat, velis mare
Latè innatatur: undiq; & regno, & mihi
Clades paratur. Cernis infaustum patrem
Felicitatis in sinu? In risu fleo
Et in dolore rideo; & peveo & minor,
Rex absq; regno, & absq; progenie pater.
Utriq; pars, quæ est optima ætatis, perit:
Uterq; in armis vivit: hic cladem feris
Indicit alter civibus: nemorum lares
Hic inquietat, alter in Regis domum [est:
Violentus urget armas. *Cher.* Sic placitum polo
Virtutis ingens Regiæ exemplum dare
, In te stupenti Iberiæ. At gaudet tamen
, Redire pietas. Ira non longum malum est:
, Calidam rependè subjicit menti facem,
, Sed & rependè extinguitur. Dabitur modus
Quo frena patris mordeat nati fuor,
Quiq; arma librat, pacis in gremium volet.
Levig. At hoc malorum est maximū: quamvis sua
Deponat arma filius, genitor nequit.
Cher. Et quis parentem coget, ut natum impiis
, Castiget armis? Fronte cùm solâ potes
Severiore flectere, à ferro abstine.
Levig. Equidē pudenda credo Natorum in patres,
Patrumq; bella in filios; quando tamen
Hæc apparatu Martio, & ferro & face
Stetêre nobis regna, non magni sumus
Mate-

Materia amoris, plurima invidiæ. Nova
, Sceptra imperantûm semper invidiam trahunt.
Necdum Senatus frontis extersо æquore
Mea sceptra adorat; populus in ferrũ, & faces,
Et arma pronus, exteri impatiens Ducis.
Gothum, Scythamq;, & Vandalũ probro vocat.
Adhuc secures Consul inimicas dolo
Simulat amicas. Pressa magnorum licèt
Jaceat potestas, hoc tamen regnum, meum
Non est: nec unus sceptra, sed multi tenent;
Semper rebelles, fulminis prompti rigor
Nisi semper instet vertici Quantum suos
Gens ista ritus oderit, quantum novos
Foveat, ametq;, perspicis, quando thori
Regina consors forte non cauto satis,
Magis at calente spiritu, & crude minax
Sacra in Quirina sævit.

Cher. Expertum mones.

Lev. Hæc causa propriũ in sanguinẽ inimitem facit:
Hac exulare filium invitus pater
Jussi; hac ferocẽm militem ferro indui;
Hæc me negare filio pacem jubet,
Quamvis volentem trahere in amplexus patris,
, Alia imperantem jura, privatum ligant
, Alia: hic amoris impetu aut odij arripit,
, Ponitq; ferrum: languet in vulnus manus,
, Ubi languet ira: at nostra nec stimulat furor,
Nec mitigat amor arma, sed ratio movet,
Boniq; cura publici. Hinc mixtum bibunt
Suum & alienum sanguinem; in clarum furunt.

Sacrum profanant, impium miscent pio.
Et flente amarùm corde desævit manus.
Cher Res nostra cordi est Numini. Quid si polo
Tandem movente filius ritus suos
Mutet parentis ritibus, & aulæ pedem
Tutum reponat? *Leu* Flexeris cautem prius,
Quàm contumacis pectus Affines sibi
Stant Mars uterq; prælij exosus moram,
Cupidusq, pugnæ: nec minus cupidus monet
Pugnam Senatus. Tristis ò nimium alea,
Seu veniat hosti palma, seu veniat mihi?
Crede hoc Cherinte, fata si alterutrum velint
Perire bello; sanguine profuso mei
Redimere promptus sanguinem nati velim.
In hoc Cherinte precibus astrorum patrem
Inflecte: si non vincat in campo meus
Natus, parentis Martee ne victus cadat.
Acerba patris est palma, si natus perit;
Invisa nati est palma, si pereo Pater.

SCENA III.

Hermenegildi Orator pacem à Levigildo petit. Hic fraudem subesse ratus, pacem negat.

Prætor. Levigildus. Orator.

Levig. QUæ cura adurget?
Prat. Hostis Orator tuos
Subire vultus poscit, *Leu.* Orator? *Prat.* Tui
Hermegildi. *Leu.* Veniat. Astutus Si non

Decre-

Decreda patris sensit, & credit suæ
Accedere aliquid gloriæ, patri prior
Si indicat arma. Juvenis hoc ætas habet,
Jactat feroces spiritus, quando timet.
Orat. Levigilde Marte fortis, & pace inclyte,
Utroque felix, pedibus affusus tuis
Hermenegildus verticem inclinat patri.
Levig. Quæ forma rerum? candor, an dolus subest?
Orat. Rex magne, dicam, si jubes.
Leu. Paucis refer.
Orat. Quam lenta pietas redeat, ubi nati semel
Patrisq; mente cesserit; quantis furor
Jactetur armis, quando cognatis amor
Pulsus medullis exulat; quondam dedit
Documenta Roma, quæ malo etiamnum suo
Rediviva metuit Hispalis. Spectat suos
Gemebunda sterni filios, falces feros
Recudi in enses, sanguine incultum solum
Patriæ rigari. Marte discordes eunt
In arma cives: pars studet patri, studet
Pars alia nato; & inter utrumque ambigit,
Cui palma sese flectat. Infelix status
Patriæ cadentis! Finge protritum tuo
Mavorte natum, teq; victorem; tamen
Quemcunque terra sanguinem bibet, est tuus;
Nec certus ipse gloriæ aut facilis boni
Favebis ipsa spolia. Si grandem tamen
Pareret honorem palma, nil parvum vetem
Natare campum sanguine, ut totum suo
Regnum vigore floreat. Sed quæ potest

Hinc emicare gloria? An legum vigor?
, Cùm Martis arma fulminant, leges silent,
, Asserta pietas Numini? Non est pius
, Qui per cruenta bella pietati studet.
, An fama magni nominis? Gravis est odor,
, Quem de sepulchris fama cumulatis trahit.
Vindicta fortè? Sed quis est hostis tibi?
Hermenegildus? filius? Testor Deum!
Amat sub ipsâ casside, & amorem tui
Per ipsa spirat arma. Te patrem vocat,
Et se fatetur filium, ac pronum tuo
Se sponte juri subdit, & pacem vovet.
Lev. Non esse me, qui sanguine, & crudâ nece
Vivam nocentûm, nostra jam canis tibi
Fatetur ætas. Filium regno expuli,
Sed non amorem pectore. Est sanguis meus,
Nec enim negabo, quemq; cognosco meum.
Utcumq; patrem respuat, honoro pater.
Mens illa dura, cor profanatum impio
Ritu sacrorum, marmor id, non est meum.
Perimere decuit illud, & atroci dare
Flammæ vorandum: nomine carerem patris,
Sed & dolore. Vivat infidum caput,
Rebelle patri? Vivet, haud felix diu.
, Vindicta pennis levior impulsis volat.
, Passum retardat gravior, & lentè venit.
At quas ruinas Hispalis, quales mihi
Strages minaris? Ad ista congestus dabit
Responsa miles, cujus aspectu occidat
, Imbellis oriens. Crede, non unquam est levis

, Ira

,Ira imperantûm. Qualis æternat suo
,Se cinere Phœnix, talis est Regum furor.
Orat. Fateor dolori plurimum debes patris:
Sed quod minaris Cæsari augusto, tuam
Veniam meretur: gratia & pietas fuit,
Quodcunq; sceleris nomine immeritò arguis.
Jam solita Phœbus signa, quæ toto micant
Diffusa cœli baltheo, emensus quater,
Ex quo paternis laribus ejecti gemunt
Hermenegildus uxor ingundis, puer
Matris levamen, gaudium afflicti patris,
Tria fulcra Regni, tres Ducum larvæ, tria
Exempla sortis. Thraciæ postquam pedem
Lassum intulêre (quod pium Regem decet)
Cæsar vagantes obvio excepit sinu.
,Fovere miseros, proprium est Regum decus.
Necessitati occurrere, Quirini â lupâ
Didicêre pridem. Criminis quid hic subest,
Quòd, pius in omnes, in tuos fuerit pius?
Est Christianus: esse in afflictos pium
Lex nostra mandat. Fortè quod Martis manum,
Virtusq; dederit? Gloria est Romæ, mei
Est ista gloria Cæsaris, pacem suis
Negare populis, exteri ut pacem ferant.
Levig. Si tantâ amoris gratiâ Cæsar tuus
Prolis alienæ tangitur, servet meam,
Diadema nostrum in aliud inclinat caput.
Orat. Hermenegildi vota non tangunt tui
Solem verendum capitis, aut sceptrum manus
Ostrumve lateris Regij. Hoc unum rogat,

Tibi restitutus angulo extremo domûs
Gaudere possit, unde si nequeat diem
Spectare, patris possit obtutu fruit.
Levig. Evolve plura. Fortè jam sapuit suo
Damno eruditus, quamq; malesanus fidem
Damnavit olim, mente meliore arripit,
Novamque damnat.
Orat. Non volet, sed nec licet.
Romanam adorat, huic sacramentum dedit.
Levig. Ergo ut profanis ritibus regnum impiet,
Plebem venenet, Numen irritet, sacra
Omnia profanis misceat, inulto feram
Genitor furore? Me prius cœli hoc jubar
Videat sepultum. *Orat.* Quamdiu hostili manu
Pater insequêtis filium, qui te genu
Supplice veretur? *Le.* Donec aut nato pater
Extrudat animam pectore, aut natus patri.
Cher. Quisquam gaudet filium letho opprimi?
Levig. Jacere leges scelere qui nati videt.
Cher., Cadit inter arma legis ac Regis vigor.
Levig. Ipse in rebellis verticem & olympus ruat.
Orat. Te per salutis publicæ afflictum statum,
Per quidquid astra publico ereptum malo
Immunc servant! Patris affectum exere.
Levig. Rumpetur ante pectus hoc, quam se tua
In vota flectat. *Orat.* Genibus affusus dabo
Lachrymas, precesq; ; donec in amorem fluat
Cor eliquatum. *Leu.* Absiste, quid tempus mihi,
Tibiq; vocem absumis? *Orat.* O magni Duces,
O si qua pietas per moras ferri potest

Pene-

Penetrate corda, precibus ò vestras meis
Jungite: nec ante lachrymis finem date,
Quàm mitigatus regis irati furor
Rursum in medullas ducat affectum patris,
Miserere Princeps!
Leu. Impij? *Orat.* Nati tui. (*Or.* Rogat.
Levig. Sed non meretur. *Or.* Orat. *Leu.* Ar frustra
Levig. Immitis hostis. *Or.* Flius.
Leu. Non sum Pater. (ut colat.
Orat. Da supplicanti. *Leu.* Ut opprimat? *Or.* Patrē
,Negare pacem filio, non est pium.
Levig., Pium est negare crimini *Or.* At nullo tetus
Læsit parentem: læserit si quo tamen,
Benignitatis patriæ est, veniam dare,
Levig. Absiste precibus. Ubi ira vindictam vocat,
Pietasq; ferrum, nullus est precibus locus.
Orat. Testor pavendam fulmine trisulco manum
Justi Tonantis! non timor, sed nec pudor
Hermenegildum supplicem affudit patri.
Jam terra tantis militum ardebat globis,
Quantos nec ipsa Luna stellarum greges
Per ampla cœli spacia diffusos videt,
Dum bella fratri nocte sublustri movet:
Cùm mœstus ore natus, & vultu pius,
Redux ab aris, multa suspenso coquens
Animo, profatus pauca, me, qualem vides,
Ire ad parentem nuncium pacis jubet.
Levig. Peracta res est. Ista dum loqueris mihi,
Legatus alter filium pugnam vocat.
Orat. Habet ergo bellum. Testis est Phœbus mihi,

Et terra testis! hactenus partes tui
Orator egi filij, & Romæ tuli
Tibi vota; sed nunc liberè (ut natum decet
Sanguine Quirino) liberè edico; nisi
Desideratæ nuncium pacis, prius
Quàm Sol diurnam mergat Oceano facem,
In castra mittas; antequam rursum caput
Attollat undis Phœbus, orientem scies
Hostem occidenti perpetem, implacabilem.

SCENA IV.

Hermenegildi per Oratorem submissione commodus miles pacem urget. Rex Senatum in pacis consilia disponi jubet.

Levigildus. Prætor. Cherintus.

Levig. QUis hic tumultus? quis fragor ad aures venit?

Prætor. Pietatis hora est, quando jam jacet ad tua
Hermenegildus genua. *Leu.* Si miles tepet
Amans quietis? *Præt.* Militis laudem hanc scio,
Occidere eodem, bella quo seruit, loco,
Cùm causa honestat arma: cũ Martem ineitat
Inhonesta causa, militum & Regis probrũ est,
Miscere bella. *Leu.* Patriæ ut immunis vigor
Stet, arma serimus. *Præt.* Filium ut pater opprimat?
Leu. Ut opprimatur genitor à nato velis?
Præt. Ut pax quieta filium jungat patri.
Levig. Hunc ut reducam? patriæ leges vetant.

Præt.

Prat. Lex nulla lex est, quæ jubet patrem suos
, Odisse natos. *Lev.* Patriæ ut curent bonum
, Reges, suimet sanguinis amorem exuant.
Prat. Quod ratio prohibet, nulla lex sanctè jubet.
Lev. , Quod lege cautum est, ratio servari jubet.
Prat. Si justa lex sit.
Lev. Et meum, & vestrum est, Duces.
Vim sustinere jurium, & quidquid jubent,
, Ferro tueri. *Prat.* Parcere insonti quoque
, Decus imperantûm est.
Lev. Quem Magistratus dabit
Ad ista sensum? *Prat.* Tu Magistratum jube
Poscere, quod æquum est. Si tamẽ cõtra fremat,
Ergone peribit inclytum regni decus,
Ut Rex iniquo serviat Senatui?
Ergo coquetur miles æstivâ face,
Patres sub umbrâ ut gaudeant? Quodsi sacro
Amore belli aguntur, in campum exeant,
Cum Marte Martem conserant, Solem ferant
Sub onere chalybis Dormiant illi caput
Plumis sepulti, miles excubias agat?
Illi quiescant, miles in ferro gemat?
Levig. Demus placere patribus, ut natus meus
Sese paterno amplexui infundat redux:
, Livore & odio Regiæ semper calent?
Peribit istis fortè, si parcam. *Prat.* Licet
Aperire mentis abditos sensus? *Lev.* Licet
Prat. Per arma Reges, quod volunt, possunt. Jube
Adesse natum Marte stipatum latus.

Ego

Ego cohorte compita tenebo, & fora,
, Ne plebs tumultum concitet. Vulgus leve,
, Quæ velle par est, sæpe detrectat; tamen
, Ubi facta fuerint, plaudit, & lætum probat.
Levig. Consilia laudo: quando de sacris tamen
Agimus, jacere nostra consilia decet,
Solumque sacris nutibus flecti caput.
Cherinte, Regum oraculum, Interpres Dei,
Animi implicatos explica nodos: habes
Regem paratum nutibus cœli, & tuis.
Chor. Quoniã loquendi venia concessa est, loquar.
Satis cruoris, ah! satis fusum solo est,
Cadaverumq; fœda sparsorum lues
Satis astra turbat. Cassus est omnis furor
In Christianum nomen. Inclemens hydra
Recisa sæpe, sæpe recesit quoque.
, Durum remedium litis est lis altera,
, Nec tollere licet proprio alienum scelus.
Prior paternum natus amplexum petit:
Sinum repande, amplexui amplexum explica;
Vegetosq; in humeros filij augustam pater
Partire molem. Fraudibus solium vacet,
Geminaq; concors pectora adstringat fides.
Pra. Dictata cœli loqueris.
Leu. At quid ais Pater:
Illumne par est diligi, quem odit polus?
An cœlo amatur ille, qui in legem est reus?
Cher. , Si non sit æqua, est nulla lex. Legis vigor
Stat in æquitate: sed usus aliquando solet
Minus æquus esse. Legis hic sacræ est tenor.

Quæ

Quicunq; sacra dogmata Arij improbat,
Regno rebellis, contumax Regi, & fide
Alios Quirinâ taminat, dirum caput
Subdat securi. Rigida lex, sed non fera est.
Damnat protervum, non tamen quemvis. Eum
Jubet perire, qui fidem Arij negat,
Simul & Quirîna dogmata in plures ferit.
,Interpretari mitiùs legem decet,
,Adamus: intra cordis abstrusos sinus
,Si quid recedit, lege constringi nequit.
Quid ergo ferro corda scrutari juvat,
,Ut ibi venenum comprimas? Virus latens
,Nocet tegenti: si tamen linguâ impiâ
Aliis dolosæ pestis infundat malum,
Hunc justa legis ira damnari jubet.
Prat. O digne mithrâ siderum Interpres! *Leo.* Tua
Me ratio stringit; facilis assensum dabo,
Se sensa pariter ista primates probent.
Cher. Dixi audiente Numine: & quid me vetet
Eadem audiente dicere Senatu? *Leo.* Bene
Desideratæ pacis in vestros sinus
Decreta pono Martis invicti Duces.
Tu Prætor arma dirige, & portas tene:
Tu fide Pastor, vosq; magnanimum genus
Pars prima regni, pondere eloquij gravem,
Flectite Senatum. Nemo non eadem volet,
Quæ vult senatus, miles armatus, Pater.
Favete superi! Redditum patri meum
Hodie videbo filium, nato patrem.

CHO-

CHORUS.

Docet verum amorem, quamvis aliquando lædatur, nunqam omnino perire.

„MObilis amor est. Puer alatus
„Fugit ad modicam temporis horam,
„Iterumq; redit. Consanguineas
Si quando manus cogat in arma
Furor insanus; si tela patet
Rotet in sobolem, aut tela retrogrado
Jactu soboles rotet in patrem;
Nemo dubitet reditura bonæ
„Nucia pacis. Quandoq; licet
„Lædatur amor, nunquam emoritur,
„Si verus amor tamen ille fuit.
Quando fervet pater accensus
Igne furoris! Nubila frons est,
Fulgur in oculis, stat coma capite,
Vox dura tonat, fulminat ensis,
Sanguinis imbres ira minatur.
Sed tempestas hæc suspiri
Aurâ unius tota fugatur.
Sic ubi nocti cessit olympum
Extincta dies, Lemures audis
Pavido assultu tecta ruentes:
At ubi Titan illustre jubar
Reddidit orbi, stant cuncta suo

Dige-

Digesta loco; neq; nocturni
Ullum horroris patet indicium:
Sic ira ferox inter amantes
Terret utrinque; at non nocet ulli.
Vibrant enses, signantq; neces
Utrinq; feri; sed pietatis
Exilit ignis. Tendunt arcus;
Sed velut iris, pulchra sereni
Filia Solis, nuncia pacis
Optata ferunt. Ducunt fossas;
Sed latet illis amor in fossis,
Et sua tacitus prælia signat:
Quæs non homines avidos belli,
Sed magis ipsum perimat bellum.
Flammeus amor est, flammea & ira est;
Gemiam nutrit pectore flammam,
Quicunq; & amat simul, ac odit.
Ira caduca est flamma, brevisq;:
Modicùm fervet, moxque emoritur.
Amor ætherei flamma est ignis,
Nata Empyrei sedibus orbis,
Unde exilijt, resilit, seq;
Rursum æthereos volvit in orbes.
Si quo fugit quandoq, sinu,
Visusq; procul cessisse; brevi
Tempore veterem repetit sedem:
Crescitq;, quibus premitur, damnis.
Discite: Verum est: Quandoq; licèt
Lædatur amor, nunquam emoritur,
Si verus amor tamen ille fuit.

ACTUS

ACTVS II.

SCENA I.

Recaredus per reditum fratris sui Hermenegildi spe obtinendi regni dejectus violentas sibi manus inferre molitur.

Recaredus.

Mihi lustra? fratri regna! Decrevit pater?
Et adhuc dolori vivo? nec rumpit sinum
Funeris avarus animus? O fortis vices!
Natura si me fecit æqualem, pedi
Cur ergo subdor? Si parem sanguis facit,
Cur libet orbi proditus duram trahor
In servitutem? Phœbe, quid semper meos
Nasci dolores, aspicis quando mari
Nateeris Eoo; sed mori nunquam vides,
Quando ipse moreris? tuq; funestum solum,
Solum execrandum! quid sinu horrendâ stygem
Adhuc coërces, & vetas animum ultimas
Sapi in cavernas? Vosq;, palmaris meæ
Hæreditatis portio, infausti sinus
Nemoris profundi; lustra cupressis mihi
Fœcunda, fratri laureis! quoties, mali
Præsagus hujus, colla devovi meæ
Ferroq; proprio, antequam inponam jugum

Ser-

Servile collo? serviam? fratri? O nimis
Indigna pœnâ libero Juvene: Et ego?
Ego: nec ullo scelere damnatus, nisi
Quod sanguis idem, seriùs solùm, meum
Spiritum animarit? Vivis Hispani probrum
Risusq; vulgi? vivis? & apertam vides
Recaredo mortem? Quod mihi primam facem
Impendit astrum? astrum voco? sed non fuit:
Fuit Cometes crine ferali rubens,
Et dira spargens funera, aut anguis comâ
Ardens Medusæ. Si tamen sidus fuit,
Cadens fuisse credo, quod lapsu suo
Meum notavit. Sed quid indignor polis?
In te cruenta Parca, crudelis Dea,
Vertantur iræ. Tu meæ vitæ trahis
Adamante stamen, ut diu vivam, diu
Moriar dolore, semper emenso malo
Majoris hæres: semper alternâ vice
Speransq; desperansq;, tam vivis gravis
Quàm mortuis exosus. Ah! frustra Notos
Lacesso stultus. Ipse, quod cœlum negat,
Quod refugit Acheron, ipse secretos sinus
Rimabor animæ; ipse, ipse quâ parte abdita
Lateat, requiram; vincula abrumpam, fibras
Omnes revellam, & staminis ductum meo
Ferro recidam; vulnus immane imprimam,
Quo mors subintret liberè, & vita exeat.
Fidelis ensis, una Recaredi ultima
Spes, & levamen; unicum è patriâ domo
Fulcrum relictum: quando, quod potuit rapi,

Raptum

Raptum omne video; te tamen, crudi patris
Hæreditatem teneo. Secretum tibi
Recludo cordis. Pande captivæ viam
Animæ, & molestum spiritum hoc gremio jube
Exarcerari. Patriæ ò dulcis sinus!
O chara nemora!

SCENA II.

Interventu, Gosvvintæ Reginæ impeditur à sui cæde, & in spem regni erigitur.

Gosvvinta. Recaredus.

--v ō vv Nate, quis mentem dolor
Agit inquietam? *Rec.* Deerat hoc unum mes
Malis, malorum pessimum, ut ferrum manu
Excuteret aliquis? Mitte: quid prohibes mori?
Gosvv. Suspende ferrum Nate. Quid mortem tibi
Malesane suadet? *Rec.* Hispalis tota id canit,
Tu sola quæris? *Gos.* Nate, quis turbo mali?
Rec. Quo me necesse est opprimi. Exuto pater
Furore fratrem rursus in regnum vocat
Socium coronæ Regiæ. Hic illum dies
Videbit urbi redditum. *Gos.* Quænam tibi
Recarede fingis somnia? hic illum dies
Videbit urbi redditum? *Rec.* Et vigilans loquor
Et vera narro. Prætor imperio patris
Fratrem vocare jussus est. Et ego (ò Dij!)

Ego

Ego venienti occurrere, & læto dare
Plausum triumpho. Phœbe quin cœlo ruis?
Aut retroactis curribus mundum fugis?
Et melle acerbum toxicum modico illinit?
Recarede nate, te manet regnum quoque,
Populo ille jura, jura tu sylvis dabis.
Gos. Hoc illud ergo est, quod senex primâ jubet
Me luce adesse? Quod malũ superi imminet!
Recar. Ego esso Numen aliquod in cœlo putem,
Cujus soluto cultui hæc merces venit?
Quàm sicca servi gloria, innocentia est?
Imis movere sedibus mundum juvat,
Evertere urbes, sanguine humano togam
Depurpurare. Regna qui lacerat, capit.
Redde mihi ferrum Mater.
Gosvv. Hoc Superi vetant,
Et quod lævamen quæris infelix puer?
Te ut hostis urbi redditus primam sui
Videat triumphi victimam affusam pedi,
Propriâ peremptam dexterâ? *Rec.* Moriar licèt,
Nullum quietus ille spectabit diem.
Tumulum emovebo, frigido cineri ingeram
Acherontis ignes, nemora terrebo impio
Clamore & ululatu, umbra funesta & nocens
Reddam nocentes nemoris umbrosi lares.
Socios & hostis semper infestus suo
Adstabo lateri, larva formidabilis
Oculis oberrans lumen eripiam die;
Somnumq; nocte: Scopulus assurgam in mari,
In lacubus hydra, in turribus fulmen, tygris

Sylva-

Sylvarum in umbris, aspis in campis, rapax
Harpyia ad epulas, toxicum in vino, Draco,
Furia, ceraſtes, Eumenis, trifaux canis.
Et ſi quid orcus pejus, aut Acheron habet.
Goſvv. Errore dulci à mente deflectis. Putas
Te poſſe quidquam, quando Parcarum manus
Stamen recidet? quando rapietur dies
Et lumen oculis, ſenſui ſenſus, genis
Purpura, medullis vita? Quid mentis tibi
Credis futurum, quando cingêris latus
Et mille monſtris Tartari, & toto ſtygis
Ardebis igne? *Rec.* Te putas vivo loqui,
Auguſta Mater? Quidquid hic tangis, *vides*,
Non corpus eſt umbra Recaredi tui.
Vivo: ſed inter mortuos, inter graves
Furias doloris, inter horrores ſtygis.
Quod corde ſenſus, tot alo ſerpentes: faces
Tot pectus urunt, vota quot laceran: fibras,
Sum Furia Furijs, umbra ſum umbris, ſtyx ſtygi.
Goſvv. Poëtica hæc inſania eſt. Pereat ſchola,
Quæ docuit iſta. Vive, dum ſuperis placet.
Moriatur ille, cauſa qui mortis tuæ eſt.
At tu futuræ gloriæ hanc ſerva comam;
Debetur aureo vertici auratum jubar.
Recar. Teneo cruenta fata, quæ cœlum mihi
Decrevit olim. Crede, fugientes aquis
Confundet ante Boetis aſtrorum ignibus,
Quàm ſe corona in verticem inclinet meum.
Redde mihi ferrum Mater, ut vitam exigam:

Goſvv.

Gosvv. , Absiste furijs nate. Reprimere impetum,
, Sapientis animi est.
, *Rec.* Cruda quem fatà imperant.
Gosvv. , In servitutem fata sibi sapiens trahit.
Rec. Jurata cùm doloribus acerbam jubent
, Finire sortem? *Gosvv.* Pejus est medio malum,
, Mori, ut dolores finias. *Rec.* Peius quoq; est
, Servire, quàm perire. Decretum est mori.
Gosvv. , Servire qui scit tempori, tandem imperat.
Recar. , Servire qui vult tempori , nunquam imperat.
Gosvv. Quocunq; nate crinis , aliquando ut regat,
In servitutem temporis sese trahit.
Cœlum omne sese mergit Oceano, fugit
Astrum omne Solis aurei accensum jubar,
Laceratur auctis omne turbinibus mare.
Sylva omnis altâ frondium orbatur comâ
Regnum omne rigidâ accenditur Martis face:
Sed dum ferendo tempori tempus trahunt,
Aurora cœlo, nox redit stellis, quies
Tranquilla ponto, vernus arboribus viror,
Regnisq; pax amœna. Quin frater tuus
Servivit ipse tempori, hinc patriæ redit.
Quid est? quod ora vertis? & fletu mades?
Rec. Si nullus unquam Regiæ ad nares odor
Veniisset auræ, meq; fallacis spei
Lactasset offa, vulnus haud esset grave,
Carere regni purpurâ, & frontis nota.
Sed quanta tu promissa Recaredo dabas
Regni & coronæ! Nempe, dicebas, habes

Recarede regni pignus: Arium tene,
Hoc grande pignus illud est? hæc sunt tua
Promissa Mater? regna sylvarum? quibus
Nec una virga in regiam crescit manum.
Gosvv. Spes magna fidei, magna spes amplæ domus,
Da tergere oculis lachrymas. Vultus leva:
Iniquitatis ultor in cœlo est Deus.
, Si se superbus tollit, in abyssum ruet
, Graviore lapsu. Sancta stat Nemesis vigil,
, Per & ipsa tergit óstra, quam gravibus parat
, Fatis, secutim. Quem modò plorans vides
Tumidum secundæ sortis afflatu, brevi
Ridens videbis sanguini immersum suo.
Sepone questus, rursum & antiquum voca
In pectus ignem cordis erecti, impigri,
Sapientis, alti, fortis, imperterriti,
Similisq; Matri. Me quoq; hic ictus ferit:
Ego, ut exularet, impuli: opprobrium meum est,
Illum reponi. Venia mihi facilis foret,
Si frena mollis lachrymis mulier darem;
Sed cùm memoria sanguinis mentem subit,
Generosa lachrymas supprimo; donec dies
Sequens priotis vindicem accendat facem.
, Simulare fictis odia qui nescit minis,
Amare nescit: fingere qui amorem nequit,
, Odisse nescit. Tune, quod mulier potest,
Recarede nequeas? Vixeris in aula hactenus,
Neque simulare noveris? Tibi loquor:
Quid adhæc reponis? Cernis hoc capitis jubar?

Recar-

Rec. Cerno. *Gos.* Rotantem sidera & terras Deum
Gosvvinta rector! Regio aut jubari caput
Nate implicabis, aut meum hoc jubar dabo
Ventis & undis; vertici nec se meo
Involvet aurum, nisi prius capiti tuo
Diadema veniat. Nate, quid sentis? refer.
Rec. Non jam noverca: Mater es. Matrem voco.
Quæ non dedisti vivere, à morte impedis;
Das mihi secundum spiritum, ubi primus periit.
Gosvv. Resume pectus pectore, atq; ensem manu,
Oculisq; terge lachrymas, risum indue,
Mentire fronte gaudium; obsequere patri;
Occurre fratri, stringe in amplexum: omnia
Simula, parenti quæ tuo, & fratri placent.
Recar. Hic maneo tecum corde dum gressum aufero,

SCENA III.

Gosvvinta Senatum in suam' contra Hermenegildum sententiam pertrahere statuit.

Gosvvinta.

Mihi? dignitati Regiæ? regno! meo
Recaredo? & aris Numinis tantum pro-
Patiar inuri? inulta? si possem nihil, (brum
Infanda vellem: pauca si possem, omnia,
Aggrederer. At quid mulier imbellis queat:
Quid fœmina ausit: Imo, quid non audeat

Irata mulier? Nomen Augustæ licet
Infamis ille latro mihi rapiat, tamen
Restat novercæ, nomen horrendum, impium,
Crudele, & audax, fertile iratum, potens
Discordiarum origo, technarum parens.
Doli architectus & faber. Dicam omnia:
Nomen mulieris. Ne tamen justus dolor
, Indigna jubeat, caveo. Vindictam dolis
, Servile vulgus instruit, mens nobilis
, Virtute. Scitis astra, non aliâ face
Ardere pectus istud, aut uri fibras,
Quam vestri amore Numinis, honorem cui
Leges per ipsas asseram. Est urbi æquitas,
Est & senatus cultor Arij integer:
Ille mihi scutum porriget, quo se simul
Recaredus, & Gosvvinta, & Arius tegant.

SCENA IV.

Gosvvinta exprobrat Consuli facilitatem Senatus, qua in pacem cum Hermenegildo ineundam consensit. *Intelligit id* actum suasione Cherinti: jubet eum quantocyus urbe pelli.

Gosvvinta. Consul.

Gosvv. AT ecce Consul Consul ad votum venis.

Cons. Quis iste frontis asperæ exundans dolor?

Gos. Quænam vocari debeam, Consul doce,
Ancilla, vel Regina? *Con.* Quid quæris rei?

Gos.

Gosvv. Recurrat animo dulcis (ah quandã) meus
Hermenegildus, unus illecebræ meæ,
Solamen unus grande, dum Arii stetit
Juratus aris. *Cons.* Ille te Matrem quoque
, Coluit, amavit. *Gos.* At amor iratus semel
, Migrat in furorem. Quando mutavit fidem
Ritu Quirino, Matris affectum exui,
Cons. Incendiarius ille, qui torsit facem,
Fuit Hymenæus: fulminis ritu piam
Concussit aulam.
Gosvv. Assequeris. Hinc neptim meam,
Hermenegildi conjugem Ingundem, aspeirs
Torsi flagellis, anguibus, rigido lacu,
Ut veritati pectus aperiret. Stetit,
Ut dura cautes. Inde marmoreum patri
Genium exprobravi filii, & mollem nimis
Animum parentis filio. *Cons.* Hæc multâ mihi
Rex ipse questus lachrymâ est.
Gosvv. Patris tener
Affectus ille penè me morti dedit.
Sed sancta pietas corde pietatem expulit.
Armata zelo Numinis, qui nil pavet,
Aggressa patrem sæpe, devici semel,
Verum est: perire decuit infandum caput
Jubente lege: sed stetit in aula malum,
Nec voluit oculos civium stirpis suæ
, Recreare morte. Namq; plus æquo placent
, Populo cupressi regiæ. Hinc mollis senex
Ferale ne quod Hispali exemplum daret,
Hermenegildum, conjugem, & natum jubet

Exesse patriâ, & vertere exilio solum.
Cons Peregrina sic venena, quæ mulier tulit,
Mulier fugavit altera.
Gos. Sed actum parum est.
Quid fervor ille profuit, rursum datâ
Si pace redeat? Genitor (infelix senex!)
Illi coronam, & regium sceptrum parat.
Conf. Et hoc Senatus urbis assensu probat.
Gosvv. Probat hoc Senatus?
Cons. Filius pacem petit,
Pater ipse anhelat; quid reluctentur senes?
Gosvv. O fœda larva Regis! & secum trahet
Fidem sacrilegam? *Cons.* Si sibi servet, neq;
Infundat alijs. *Gos.* Spondet?
Cons. Et jurat patri. (Legam.
Gosvv. Quæ forma jurari est Sacramenti? *Cons.*
Quando paterni pronus affectûs amor
Ritus Quirinos cedit & mihi, & meis,
Ad fulmen ensis Regij, ad fulmen Dei
Hermenegildus juro, servabo fidem,
Quam debeo patri filius, & homo Deo,
Cliens patrono, Principi civis suo.
Si faxo contrà, fraude si quisquam mea
Deserat Arium, vindice & ferro, & face
Rex ultionem capite de nostro cape
Gos. Superi potentes! nullus est sensus tibi?
Lex nulla rituum Hispali? *Cons.* Legis nihil;
Hoc pugnat æquo sensui. Legit Dei
Mystes Cherintus; explicuit: Omnes silent.
Ubi nempe clara veritas legis patet,

Pare-

Parere pronis sensibus legi decet. (choro
Gos. Cherintus: *Con.* Ipse. *Gos.* Quid Senatorum
Se miscet ille Græcus: *Con.* Ut legem sacram
Interpretetur. Ista Pontificem decet
Tractare: si quem dixerit legis reum,
Supplicia statuere merita Senatus potest.
Gos. Conticuit ergo oraculum regni? & novus
Cœcusq; donis sacra Tiresias regit?
Con. Valuit Achillis dextra; Tiresias parum.
Gos. Quis ille Achilles? *Cons.* Prætor, & belli
Illi occupatas urbis augustæ fores, (Duces.
Aulam, tribunal, compita, & primas domos
Tenuêre: Regem, nosq; furibundo impetu
Petiêre pacem civibus, veniam suo
Hermenegildo, moxq; collegam legi
Ad sceptra patri. *Gos.* Purpura Senatus gravis
Ad fulmen istud palluit? *Cons.* Ferri calor,
Audaxq; flamma non timet senum togas.
Gos. Et tu probabas ista? *Cons* Quid solus queam?
Gos. Qui sana dat consilia, sat multum potest.
Cons. Consilia prosunt nulla, cùm mentem tenet
Prior occupatam sensus. *Gos.* Ut nolit, tamen
Ratione sæpe vincitur sensus. *Cons.* Nequit
Illum movere ratio, qui pejus timet.
Gos. Malus est Minister consilii, spes & timor.
Cons. Contra furentis ire torrentis viam,
Est plena res periculo *Gos.* O viles viri!
Servilis ordo! fascibus vestris probrum!
Ite, & secures aureas ligno rudi
Posthac secando addicite. O pietas rea!

O lex profana! quàm gregi vili data es
Custodienda! ò dedecus regni! ò pudor!
Ergo redibit regia insignis notâ,
Quem nuper odit Hispalis mortis reum?
Cons. Quid fuit agendum?
Cons Quid fuit agendum? rogas
A fœmina? Vocandus Acherontis furor,
Cienda cœlo fulmina. Ubi cultus Dei
Versatur, uno incendio culti lares,
Et tota cineranda Hispalis. *Cons.* Magnos alis
Regina magna spiritus: at non decet
Nos tantus ardor. *Gos.* Non decet? Non dedecet.
Ego paterna jura non prodam: sacra
Secuta Arii semper, & posthac sequar,
Quæ vivo, vixi; quæ fui, hæc æternum ero,
Te Consul, una mentis afflictæ anchora,
Unum levamen patriæ, & legum basis.
Adjuro; vires exere, imperio utere;
Coëat Senatus, quodq; constituit malè,
Antiquet iterum. Quid taces? Si quid metu,
Vel vi statutum est, irritum leges jubent.
Quid hic timendum est? Reddere Consul tibi,
Ego recludam semitam: ego Regem prece,
Prece & Senatum molliam, ego facilem sequi
Movebo plebem, milites ego metu
Manuvè cogam; manibus excutiam ferros
Enses & hastas; urbis accessu procul (manu,
Prohibebo monstrum, pectore opposito &
Quid ad ista Consul? *Cons.* Fortis Herois, polo
Propago digna, patriæ leges jubent

Ser-

Servare pacta; quodq; decretum est semel,
Violare prohibent. Alia sed tempus monet.
Hermenegildus foribus incumbit, prius
Quam se Senatus uniat, quàm plebs manus
Viresq; jungat, urbis augustæ forum
Tenebit. Ergo Regiam mentem evoca,
Meliora posce, pacis amplexum exhibe.
Majore ne te complices malo, minus
Est eligendum. *Gor.* O sidera! ò exspes fides!
Quin ego per ipsa templa sub Divûm tholos
Irrumpo ad aras, & Sacerdotem gravi
Vulnere peremptum flameo Acheronti sacro?
Pietatis hoc est: qui urbe pietatem expulit,
Pellatur orbe. Vulgus ignarum tamen
Factum improbaret. Vade mandatum refer,
Phœbus prius quam crastinus promat diem,
Procul hinc facessat, Græciam infidam petat.
Nil deprecari fas sit, & loqui nihil,
Nec adire Regem. Si audeat Regi loqui,
Præterfluente merget in Bœti caput.
Dolore forsan pressus, aut nostri metu
Furoris actus, sana consilia dabit.

Cons. Miser Cherinte, pœna in auctorem cadit.

SCENA V.

Hermenegildus jussus expectare parentis occursum, patriæ delicias filiolo suo describit.

Recaredus. Hermenegildus. Filius.

Rec. SUbsiste frater, donec occurrat pater,
Aulæq; reddat. *Herm.* Patriæ Augusti lares
Salvete: Salve terra, quæ nuper mihi
Perdita revertis: Hispalis salve mei
Pars magna amoris. Hispalis sortis meæ
Flos & corona! cujus aspectu diu
Prohibita vultûs lumina; at nunquam meo
Animo excidisti; cujus effigiem sinu
Vivace semper cordis expressam tuli.
Fil. Ergo ista terra prima mihi cunas dedit?
Herm. Hæc ipsa nate. *Fil.* Sentio; in fibris meat
Dulcedo quædam. Lumine orbatus, mea,
Mea ista patria est, dicerem. Sed quæ caput
Hîc vasta moles tollit?
Herm. Augusta est domus
Nostri parentis. Cernis hortorum areas,
Ubi ver perenne ludit, atquè auræ leves
Serunt amica prælia, & miscent jocos?
Fil. O gaudiorum gratia meorum capax! [struam,
Hic ego superbum ad fœna quadrupedem in-
Hic ense & hastâ bella signabo, manu
Adhuc tenellâ, serijs donec vigor
Accrescat armis. Sed quis hic fluvius meat,
Leniq; ripas lambit argenti sono?
Herm. Famosus ille Bœtis est, alti sinu
Natus Tigæi, cujus ad ripas viret
Semper smaragdus, donec affluxu amnium
Tumidus, superbam cornibus frontem levat,

Mugit,

Mugit, ferocit, spumat, insultat mari,
Collidit auras, fluctibus cœlum impedit.
Fil. Talis ero quondam fortè, cùm vires dabit
Ætas adulta. Quid video? virides viros
Hæc regio gignit. *Her.* Inde quod discas habes,
Dum tenera myrtus surgit, & nondum gravis
Est buxus annis, facilè, quam in formam voles
Ducere, sequetur; fiet, ut flectes, homo,
Lcoq; sed si tempus induret fibras,
Truncumque firmet, indocilis, inflexilis,
Et obstinata, & contumax, frangi potest,
Flecti repugnat. *Fil.* Capio, quod doces, pater.
Dum vernat ætas, flectar in mores tuos.

SCENA VI.

Hermenegildus ab occurente Civium choro salutatur.

Chorus Civium. Hermenegildus. Filius. Prætor.

Civ. POstquam furenti turbine emotum mare
Periclitantis vela jactavit ratis,
Serena rursus aura, & illustris dies,
Ventisq; & undis grata pax tandem venit.
Hermenegildus redijt, ejectus nuper
Furore patris: redijt, & regni inclyta
, Ad sceptra redijt. Nempe si cœlum furit
Quandoq; non æternus est cœli furor.
Herm. Deprensa non sic navis Ægæo mari
Post fluctuantes turbinum rixas, suam

Amœna spectat Arcton, ut vestros ego
Aspicio vultus, excipi ut vestro sinu,
Amplexibusq; cupio. *Prat.* Detectus tui
En portus animi, dulce deliciũm, Pater.
Herm. O chare semper, charior sed nunc tamen
Vultus parentis!
Fil Genitor, hic avus est meus?
Herm. Est ille. Quod me videris facere, expedi.
Ego parentis pedibus aditernam caput.

SCENA VII.

Levigildus occurrit filio Hermenegildo. Juretur utrinque in mutuam concordiam.

Levigildus, Hermenegildus. Filius. Prætor.

Levig. , DIvina fatus Prætor es: Populo imperant.
, Reges: sed ipsis Regibus cœlum imperat.
Hermenegilde! *Her.* Genitor.
Lev. O suavis mei
Dulcedo cordis! *Herm.* Una spes animæ meæ!
Leu Amaritudo dulcis! & amara ò meæ
Dulcedo mentis! Nate, sine plagâ, sine
Vulnere superstes vivis?
Her. Hæc mitis manus
Patris ferire noluit. *Levig.* Vivis? *Her.* Tuo
Favore vixi genitor; & rursum tuo
Favore nascor. *Fil.* Huc quoq; augustos refer

Beni-

Benignus oculos. *Levig.* Sarcina ò dulcis meo
Pendete collo. Vigilo? num ludor jocus
Vani soporis. Filius num iste est meus ?
Hermenegildus? Filij aut umbram manu
Complector? aut ipse umbra sum illusus pater?
Her. Non est inanis umbra, quam stringis, pater:
Hermenegildus sum tuus? nec sum tamen
Hermenegildus ille, quem generis probrum,
Hostem parentis, Numini invisum, solo
Gravem putabas. Ille, si quando fuit,
Pridem perivit. Si mihi credis pater,
Nec esse nolui, nec fui talis; tamen
Fuisse finge: nolo diluere scelus.
Diluere crimen, crimen est; quando parens
Est ipse proprii filij Judex. Ubi
Amor est patronus, esse delinquens velim,
Qualem volebas, filium, genitor habes,
Captum, ligatum vinculis. En me tui
Strictum catena amoris: affusum tuis
Pedibus triumpha. Lateris hoc ferrum mei,
Sit tibi trophæum, sit mihi æternus pavor.
Amor mihi eripit arma, quæ furor dedit.
Levig. O Numen! unde (verba quæ lætus paro,
Amor resorbet) unde tam proles pia
Mihi parenti tam impio! Nimium tibi
Mi nate? (pectus deficit) dicam tamen,
Nimium tibi crudelis, atque atrox fui.
Non genitor; ursus, tigris, & pardus fui.
Monstrumq; quodvis. Plura nō possum miser.
Prat. O pugna amoris! rixa pietatis! Furunt

, Subinde amantes, sed amor est iræ exitus.
Levig. Verum est; amoris indoles veri est; licet
, Aliquando corde frigeat, nunquam mori.
Advertè mentem nate: promissam fidem
Hæc charta servat. *Her.* Paginæ candor minus,
Quàm candor hujus pectoris pacta exprimit,
Descripta rursus teste confirmo Deo.
Levig. Per pectus istud, unde non potuit patris
Pietas revelli, juro pietatem novam,
Stabilem, perennem. Nolo memoretur mihi
Vel nomen iræ vereris, ex animo tumor
Postquàm recessit. Antequam in pontum dies
Cadat iste, frontem Regium implectet jubar.
Hoc & noverca poscit, & cives vovent,
Chor. Vincite lauro tempora, & olivâ simul
Laurum implicate milites: festum melos
Hermenegildi Regium nomen sonet.

CHORUS.

Docet cuiquè suam patriam esse dulcem,

QUicunque suis procul à laribus
Pressus acerbi sorte exilij
Longùm patrio littore caruit,
Si fortè procul tecta parentis
Rursum aspiciat, quàm lætus ovat,
Gaudensq; canit: Natale solum,
Tu mihi cunas finxisti olim.

Tu

Tu'quoq; tumulum mihi concedes.
Nectar quoddam Deus infundit
Patriæ ſulcis, quod non quivis
Sentire poteſt, niſi qui patriâ
Naſcitur iſtâ. Semper radiat
Clarior ibi Sol, ubi quisq; oritur,
Magis arrident ætheris auræ,
Quas quisq; ſuæ bibit in primo
Limine vitæ; ſentitq; , licèt
Oculis caſſus, genium patrijs
Auris proprium; cantaq, hilaris:
Hanc ego primam teneris hauſi.
Puer ex annis; hæc mihi patria eſt.
Videt algentes Scytha per campos
Rigidas ſemper candere nives,
Semper glacie flumina ſtringi:
Horret, & alget, tremit, ac imis
Coit adſtrictus cruor in venis;
Nec tamen unquam meliore ſolo
Ambit patrias mutare nives.
Rider, ſi quis nimium laudet
Fertile Pœſtum, mitia Tempe,
Quamvis durum, & ſulci impatiens,
Gratius illi eſt natale ſolum.
Ithaci quondam genus incultum
Procul abductum littore Trojæ
Stetit in placido Charitum portu,
Tenuitq; ſinum Divæ Ogygiæ:
Sed malè ſanus ſcopulos patriæ,
Et juga capreis invia Divæ

Flæ-

Prætulit hortis. Felix nimiùm
Regie Juvenis, qui post longum
Tandem exilium, natale redux
Cœlum arrides, cernisq; solum,
Hostisq; hostem semper amatum,
Semper amantem stringis amicè,
Positisq; odijs, simul obtentis
Gaudes, patriâ, parte, ac regno.

ACTVS III.

SCENA I.

Cherintus recipit suum olim Athenis servum Pamphagum, cui suos in aula, quos habet, favores exponit, & in spem majorum honorum erigitur.

Cherintus. Pamphagus.

Cher. COnsilia tempus sana maturat *loco*.
Pamph. Valete Athenæ; quando præsentes soli
Video superba tecta, & augustas domos.
Cher. Quis iste? vox est Pamphagi servi mei:
Sed vultus alius, alius est frontis colór.
Pamphage!
Pamph. Quis istas nomen in terras meum
Transtulit Athenis?
Cher. Imò quis turpo Hispalim

Te

Te tulit Athenis? *Pamph.* Castra qui Martis,
Hermenegildo, nobili hac orâ stitit, (Duce
Cher. Gaudeo reviso Pamphago.
Pamph. Quis tu senex? [tibi,
Cher. Nosti Cherintum; *Pam.* Cœlites! quis me
Teque mihi reddit! Nosco, quem Dominum habui.
Tuus esse posthac semper ut quondam, peto.
Cher. Eris, ut fuisti, Pamphage, æternùm meus.
Pamph. Sed unde cani capitis?
Cher. Hoc aulæ malum est.
Citò senescit (nempe non vivit diu]
Qui sequitur aulam. *Pam.* Vivis augustâ quoq;
Cherinte in aulâ, *Cher.* Vivo fortunæ satur,
Felixq; in aulâ. Me quidem ambitio extera
Tenuit videndi regna, regnorum modos,
Moresq;, qualis fortè Pythagoram, & senem
Tenuit Solonem. Patriâ excessi; solum
Ingressus istud, semper afflatu steti
Sortis secundæ. Fama mox ubi mei
Penetravit aulam, lectus Augusto sui
Morum Magister filio audaci, & fero,
Exinde texi patrios ritu dolo
Fidei Arianæ, civium & Regis pio
Favore [quod vix exteri aliquando queant
Sperare) primas in Sacerdotum choro
Sedes adivi. Legis affectu color,
In me benigna studia Regina explicat.
Pam. Cherinte, facilem sortis afflatum time.
Cher. Quid est timendum?

Pam.

Pamph. Cùm favet nimium, furit

Cher Quem sequitur auræ Regiæ aspirans favor

, Velis secundis navigat. *Pam.* Pelagus tamen

, Timeat movendum.

Cher. Quando spumosis patet

Pelagus procellis Aliquis an possit mihi

Fluctus timeri, quando sto sortem supra,

Totoque pressum calco livorem pede?

Pam. , Cherinte, in aulâ es. Nullus hic fidus status:

, Hic sæpe caditur, surgitur rarò. Vitrum est

, Fortuna: ubi micat frangitur *Cher.* Postquam

Labore pacis otium regno datum est, (meo

Sperare possum summa. Sed *Consul venit.*

Cautus propinquo ex angulo observa omnia.

SCENA II.

Ex decreto Reginæ Consul Cherinto exilium denunciat.

Consul. Cherintus.

Cons. ABscede testis, Candidus quisquam tibi est:

, Cherinte amicus? *Cher.* Aula spumosum mare est:

, Piscatur hic ambitio, cui canna est fides.

, Spes vana stamen, hamus est fallax amor,

, Et esca, ficta verba, mendaces doli,

, Fucusq; rebus illitus; præda est nihil.

, Non patit amicos aula, quâ candor procul

, Abest, fidesq; ; & æmuli fraudes coquunt.

Te

Te veneror unum. Tu mihi semper boni
Es vena. fortè & gaudium adportas novum.
Cons. Infauste vates! Spes tua exhausta est. Peris.
Extremum in odium est versus extremus favor,
Cher. Consul jocaris? seria an prodis? *Cons.* Tuum
Regina poscit vertice, & ferrum, & faces
Minatur. *Cher.* Isthuc sexus ac ætas trahit.
Pam. Quàm vera dixi: Lubricam sortem time.
Cher. Et ipse memet execror. Facile id feram,
Cons. Insanientis instar aptabat manus,
Ut strangularet ipsa. *Cher.* Reperisset viam
Captivus animus. *Cons* Verita sed conos tuos,
Exesse mandat Hispali, ac regno procul.
Cher. Etiam beatis sedibus cœli velim
Exesse, sedes illa si subeat poli,
Cons. Unam hanc morandi in urbe concedit diem.
Nocte exeundum est. *Cher.* Una supplicio dies
Me solvet omni. *Cons* Mandat, ut rursus tuas
Repetas Athenas.
Cher. Spiritum hoc reddam loco,
Quo natus hausi *Cons.* Te vetat cuiquam loqui
Cher. An aliud addit?
Cons. Esse tu parum hoc putas? (tamen
Cher. Plusquàm Cherinthus meritus est: minus
Quàm possit ira fœminæ. At quonam meo
Regina scelere mota tam diros agit
Furoris ignes? *Cons.* Error ah! nimium patet
Tuus Cherinte. Quomodo astutus Sinon,
Rotator aulæ, jam tot annorum dolis

Omni

Omni dolo superiori, errore avium
Iter inijsti? Noveras quanto fovet
Recaredum amore, quanta promittit, cui
Spei reservat. Stulte (da veniam meo
Cherinte amori] in exulem abstractus male
Hermenegildum, Regis affectum moves,
Cogis Senatum, legis evertis basim,
Hermenegildo ut faveat. *Cher.* Aut ludis mihi,
Aut illa ludit. Nonne cùm Regi dares
Placitum Senatûs, ipsa festivis jocis
Regina vultus induit? paci annuit?
Undansq; tota gaudio lachrymâ genas
Ubere rigavit? *Cons.* Fallitur candor tuus,
Tenorq, mentis integræ. Mendax nimis
Lachryma est mulieris. Tempus haud alia
Concilia, quando publico sensu omnium [dabat
Probata res est. Gaudium finxit, furor
Premebat animum: totus hic in te cadit,
Qui solus hujus auctor, & origo es mali.
Cher. Ego origo?
Cons Nemquis alius? Hoc belli Duces
Hoc aula loquitur, hoc Magistratus refert.
Cher. Hæc aula, non est aula, sed lustrum est, meris
Stultis refertum, & canibus intentis feræ.
Antrum omne perolent, omne virgultũ stupẽr,
Omnem tremorem virgultæ arboreæ, aut comæ
Produnt latratu. Creditur grandis Leo
Capiendus; ecce prodit imbellis lepus.
Amice Consul, non vocat; sed nec decet
Arcana Regum evolvere: hoc scito tamen:

Non

Non ita crepante nubium clausæ sinu
Fervent procellæ fulminis, corde ut calet
Amor paterno. Floret hic, dum ætas viret;
Sed floret etiam, fessa quando ætas cadit.
Vidi sub ære cassidis fletu patrem
Genas rigantem, bella clamantem labris,
Sed corde pacem. His additæ ab amicis preces.
Minæquè ab hoste, milite, & amico simul.
Omnia videbam lege fatorum geri.
Quid Consul ageres in rei tantæ ultimo
Deprensus apice? An unus armatis minis
Obmutescreris? unus auderes Patrum
Placita irritare? Nempe furiali faci
Civilis iræ pabulum atquè escam dares.
Adversa Regis sensa decretis dares?
, Scelus est in aulâ, nolle quod Reges volunt.
, Flectendus illuc sensus est. quò Rex suum
, Inclinat animum. Placita qui loquitur, sapit.
Sed ipsa rerum spectet eventum. Loco
Quo nostra stabunt arma, si Regem dolor
Agat in sepulchrum? Bella quis Martis reget?
Quis insolentem spiritum infringet trucis
Hermenegildi? Fortè quam pacem dedit
Suadente amore, viribus belli minor
Genitor, coactus, sed suo probro, daret.
Quid ergo tanto sanguinis fusi alveo,
Cadaverumq; strage tantorum est opus,
Ut augeamus publicæ damnum rei?
Reddatur ille civibus, regno, patri;
Sagum reponat, cassidem fronte exuat,

Ex-

Extinguat ignem chalybis, & circùm gravi
Radietur ostro, dextera sceptrum rotet.
Frontem tiarâ regio inducat, Tagus
Obsequia properet: cadere de regno potest.
, Ut aula nunquam solida privatum tulit,
, Sic solia semper lubricos habent gradus.
Conj. Ergo à parente filium prodi voles?
Nos peierare? sæva sub thyrso aureæ
Pacis recondi tela? *Cher.* Non istud velim
Sed, si reguntur astra constanti fide,
Mitem parentem justus invadet furor.
Permittet ultro scelera, quæ prohibet Deus,
, Ut vetera plectat: Æqua non distat *procul*
, A scelere Nemesis. Impium à tergo gradum
, Vindicta sequitur. Juro... *Conj.* Dum nectis mo-
, Discrimen auges. Fœminæ crescit furor, (ras,
, Dum trahitur hora. Ne prior fugiat dies,
Fuge hinc Cheriute *Cher.* Tu ista cõsilia mihi?
Tuo hæc Cherinto? *Conj* Sentio ex ipsis mihi
Animam medullis eripi: at vereor tamen,
Ut forte supplex Regis ad genua accidas,
Et arte, quâ vis pellere, accersas malum.
Cher. Illustre juro Cynthij lumen! pedem
Verbumq; non movebo. Reginæ refer,
Promptum Cherinthum jussa tam dura exequi,
At innocentem fœminæ zelo opprimi;
Quemq, tollerare nequiit, extorrem piis
, Lachrymis sequetur. Principum ingenia gravi
, Ratione frustra flexeris; malunt suo
, Damno doceri. Sæpe quod perdi jubent,

, Des-

, Desiderant deperditum, *Cons.* Hic animi tenor
Constansq; virtus cor mihi è fibris rapit.

SCENA I.

Cherintus cum Pamphago machinas disponit, quibus & ipse se periculo explicet, & ad Reginæ vota Hermenegildum implicet.

Pamph. HAbe hoc Cherinthe. Nempe par votis tuis
Meritisq; merces. Sorte contentus tuâ
, Poteras beatus esse. Qui magna ambiunt,
, Ipsi recidunt nominis penas sui,
, Gradusq; honoris diruunt. Sed tu faber
Ipse es malorum. Ut exulis collo grave
Jugum levares, ipse fabricasti tuis
Pedibus catenam, *Cher.* Falsa carminibus suis
Cecinêre vates: esse Sardoo mari
Scyllam & charybdin: Hispalis crudæ sinus
Habet ista monstra, Jussa Reginæ exequar?
Regi supremum spiritum evellet dolor.
Imperia Regis exequar? Bilis, furor
Insaniensq; flamma Reginam coquet.
Quacunq; mentem verto, naufragium subit.
, Sed mens honesti conscia procellas supra
, Omnes triumphat, quaq; naufragium imminet,
, Secura fluctus scindit, & portum tenet.
Non hic laborum finis, & merces erit

Fide-

Fidelitatis. *Pampd* Consili quidnam est super?
Cher. Ut verso itinere gloriam ad eandem ferar.
Pamph. Umbras vocabis Tartaro?
Cher. , Haud umbris eget,
, Quem fax honestat ingeni. Hoc agam, ut nihil
Agendo, teneam summa votorum. Mihi
Recaredus aderit *Pamph.* Frater ut fratri necē?
Cher. Hoc astra vertant.
Pamph. Filius matri? *Cher* Hæc quoq;
Vivat. *Pam.* Furentem placet?
Cher. Et frustra hoc aget. (*Cher.* manū
Pamph. Et quid Cherinthe grande moliris?
Tuam architecto porrige; videbis meo
Cœlum favori sponte se in terras dare.
Pamph. En expeditum Pamphagū. *Cher.* Sic te de-
Ego te per omnes milites, notum velim, (cet.
Per & tribunos. *Pamph.* Patriam, nomen, pilū,
Vultus colorem, cassides, arma, & sagum
Cujuiq; nosco, nosco vexilla, & notas,
Quid imperabis; *Cher.* Vestis ut formā, & pilū,
Vultumq; mutes. *Pamph.* Habeo Vertumni in
Manu apparatum. Cum volo, miles sagū, (mea
Rigidusq; rursus induo. Cato togam,
Civisq; rusticusq; sum. Qualem voles;
Cher. Volo ... Sed ecce Regius Juvenis adest.
Iterum sub umbras Pāphage. Observa omnia.

SCENA IV.

Cherintus furentem Recaredum, que-

per

per reditum fratris spe regni dejiciatur, placat : spem regni facit : suadet ut se Catholicum Hermenegildo simulet, & sacrum aliquod ab eo amuletum impetret.

Recaredus, Cherinthus.

Recar. AUdio triumphi publici, & plausus tubas,
Hermenegildi gaudia, & mortem meam.
Et hoc dolosa filio mandat parens,
Ut, qui venenat viscera, furorem tegam?
Cher. Exhalet ante bilis accensæ minas,
Quàm destinatos urgeam mentis dolos.
Rec. Occlusus ignis gravius erumpit: dolor
, Tectus ferocit acrius, vinctus furit,
, Oppressus urit. Voce contentâ loquar,
Ruptisq; linguæ vinculis flammas vomam.
Excede pietas pectore; excede ò pudor,
Sublimis animi fœda tinctura, & color.
Sint verba linguæ, dexterâ ferrum ardeat.
Feriam ore, ferroq; loquar : æqualem dabo
Utroq; plagam, & pectori, & famæ. Premet
Hæc lingua honorem; sanguinē hic ensis bibet.
Quod peraget ensis, lingua vesano incita
Clamore prodet: lingua quod fari timet,
Hoc peraget ensis. Lingua si verba horreat,
Si robur ensem deserat, chalybis minas
Hæc lingua lambet, spiritum hoc ferrum eruet

E corde fratris. *Cher.* Labitur tempus fugax;
Hora est loquendi. Quò rapit mentem furor
Heroë Princeps? Cede: consulto impera
, Silentio doloribus. Nocet sibi
, Qui multa loquitur. *Rec.* Robur at nullū potest
, Frænare linguam, quando tempestas mali
, In corde fervet. Ira quæ premitur, nocet.
Cher., Sed non prementi.
Rec. Nemini gravius. *Cher.* Furor
, Professus est inanis. *Rec.* Occlusus fremit,
, Et claustra rumpit. Cernis, ut pressus solo
Vapor ferocit, volvitur, mugit, tonat,
Durasq; cautes frangit, & jactat suum
Adusq; cœlos carcerem? Et parvis putas
Magnum dolorem posse velari fibris?
Cher. Recarede, falleris. Ille, qui terra vapor
Clausus tenetur, gravius in damnum furit:
At si solutus vinculo exhalet, perit.
, Sic mentis ira quæ tacet, gravius nocet.
Meminisse libeat Tantali, cujus labra
Irritat unda semper: hic nunquam bibit.
, Loquacis hæc est pœna, quam demum ferer,
, Permulta semper velle, sed nihil assequi.
, Recarede, qui vult facere, non dicat. Cadunt
, Consilia magna Principum, quando sua
, E sede partu præcoce in lucem exeunt.
Rec. Documenta capio: sed dolor mentem eripit.
Cher. Fuganda flamma pectore est, quæ non tacet.
Rec. Fugata flamma pectore in linguam volat.

Cher.

Cher. Linguam coërce dentibus.
Rec. In oculos dolor
Violentius ibit. *Cher.* Parte quacunq; exeat,
, Partem ultionis optimam perdes. *Rec.* Minæ
, Pars ultionis magna sunt. *Cher.* At qui minas
, Jacet minarum damna concinnat sibi
Rec. Mea damna cupidè quæro, nec veniunt tamẽ.
Cher. Infausta nostris hora consiliis fluit.
Omnem hic furentis clamor elidit modum:
Heroë Princeps, suadeo, & te per tuam
Oro salutem, per tuam famam; tace.
Hoc te regendis fascibus natum proba.
, Regnare nescit, regere qui linguam nequit.
Rec. Nocere nescit, regere qui linguam potest.
Stringor, coarctor, ardeo, in cinerem fluo.
Cher. Quæ Furia? qui te possident Manes stygis?
Si clamor iste prosit, i, sylvas tuo
Clamore terre. *Rec.* Parte quâ fugiam, ut meus
Non inde majus capiat augmentum dolor?
Ut icta telo cerva, quam partem fugâ
Teneat, profundè semper infixam suo
Lateri sagittam portat: ita valles licet,
Aut juga requiram montium, semper meo
Telum profundè pectori immersum fero.
Quæ prætet unda labitur, fletum ciet;
Movet aura gemitus.
Cher. Loquere nunc, quantum libet,
Dumodo loquaris sana. *Rec.* Quid vis ut loquar?
Cher. Quid torquet animum? quid tibi temet rapit?

Rec. Vidi (resorbet lingua, quos meditor sonos)
Vidi coronam, purpuram, solium meo
Fratri apparari.
Cher. Hoc torquet? hic fumi vapor?
Rec. Me fumus iste excœcat, & visum eripit.
Cher. Si se priusquam condat in noctem dies,
Hermenegildus Regio è solio excidat,
Ostro exuatur, sceptra vellantur manu,
Capite corona, patrio affectus sinu (leves
Nonne & coronam, & purpuram, & sceptrum,
Fumum esse dices? *Rec.* Dulce figmentum cani.
Cher. Quod veritati dabitur. *Rec.* Implebis mea
Cherinte vota. Si tamen fallas fidem?
Cher. Crastinus ab aulâ me ferat ad Indos dies,
Tuoq; procul amore. *Rec.* Jurabis? *Cher.* Deũ,
Solem, salum, solumq;. Tu jura quoq;
Arcana nulli pandere. *Rec.* Et Deum, & solum,
Solem, Salumq; juro. *Cher.* Tu telæ meæ
Quam texo, fidus servies. *Rec.* Vitâ jubes
Fratrem emoveri? vota sunt pridem ignei
Hæc ipsa cordis: spiritum *jussu tuo* (vetet,
Illi è medullis extraham. *Cher.* Hoc Numen
Tuam ut cruore fratris incestes manum.
Hoc blandioris oris eloquio potes, (jubes!
Quodcunq; meditor. *Rec.* Crimen ut fingam,
Jube alia. Mens honesta mentiri nequit.
Cher. Te blandiora postulo: ut similes tamen.
Simulare scire, Principes etiam decet.
Sic cui voluptas, persequi umbroso feras
Nemore latentes, qui suum campo ad necem

Expe-

Expectat hostem, simulat, & fraudes struit.
, Simulare quisquis nescit, indignum caput
, Habet coronâ. *Rec.* Pande simulandi modum.
Cher. Cras lege nostrâ Paschа libamus. Reus
Est ille capitis, quisquis id nostro abnuit
Libare ritu. *Rec.* Frater indulto patris
Lege est solutus. *Cher.* Pergo. Romanos tenet
Quicunque ritus, abnuet nostro sacram
Obire cœnam more. *Rec.* Nec frater volet.
Cher. Vultûs serenum pone, mœrorem indue
Et gestu, & ore. *Rec.* Hic absquè figmento, meo
In ore prostat. *Cher.* Finge pendentis modum
Inter pavorem legis, & certam necis
Necessitatem: lachrymis vultum riga,
Suspira, & alto pectore gemitus trahe,
Blandire fratri; ut credat Ausoniâ tibi
Fide clarè pectus. *Rec.* An credet, putas?
Cher., Probus est, probisq; facilè texuntur doli,
Monebit ille, nobili ut cœptam fidem
Tuearis animo, Paschа detrectes, patri
Legiq; Numen præferas. Satis hoc puta,
Ut exuatur purpurâ, & regno excidat.
Rec. Crimen probari convenit. Quòd si neget,
Quo teste agetur? *Cher.* Finge pietatem; roga
Munimine aliquo aut annuli, aut sacræ crucis
Te roborari: jamq; quod poscis, puta
Certò peractum. hoc indice probatum est scelus.
Tum tu sub antra nemoris abscede, & mihi
Curas remitte. Facta, quæ voves, dabo.
Rec. O Sol Cherinte pectoris! quanto occupas

Dulcore mentem! Teneo, quod suades, placet.
Hac arte solium scando, qua frater cadit.
Hermenegildus ecce! *Cher.* Pro votis adest.
Solusne? *Rec.* Solus: mœstus aspectu, & gradu
Hærente *Cher.* Princeps, utere hac horâ, ut decet.
Arcana, quæ volvetis, hoc antro audiam.

SCENA V.

Succedit dolus. Simulat se Catholicum Recaredus; credit Hermenegildus, amuletum donat; hortatur ad constantiam. Suadet, ut ad evitandum Pascha Arianum, fingat, se diutius in venatione aberrasse.

Hermenegildus. Recaredus.

Herm. NOn ante splendor Regius cinget caput,
Quàm se verendo Numini inclinat Dei,
Qui regna donat; regna, quando vult, rapit.
Nec stare tumidum patitur, aut miserum opprimi.
Rec. Insultat. audis; *Cher.* Ne loquere, fili. tace.
Tu parte ab illâ Pamphage loquentis sonos
Cautè aucupare. *Her.* Me sitis regni quoq;
Calente tangit igne, quem mortalibus
Cum vita, & aura, & lacte natura indidit.
Recar. Hic est apertus ambitus. *Cher.* Fili, tace.

Herm.

Herm. , O labilis fortuna mortalis throni!
, Salus periculosa, & obscurus nitor,
, Potentia impotens, amata suavitas,
, Dives sepulchrum, honor profanatus! Miser!
, Et centies, & millies ille est miser,
, Qui regna vanè fingit, ardenter sitit,
, Assequitur ægrè, cum metu fruitur, cadit
, Momento in uno. Corda qui fingit Deo,
, Meliore regnat sorte. Subjectum pede
, Excelsus orbem calcat, & lætus suas
, Amat tenebras; quas nec invidia impedit.
, Nec odia tangunt; imperat solus sibi,
, Sibiq; servit solus; & fugit, & fugat
, Et aurum & auram plebis: affigit sitim
, Fonti innocenti; verticem saxo applicat,
, Mollemq; duro in marmore soporem capit.
, Multa valet, at paucа cupit, & metuit nihil.

Rec. Penè mihi cor evisceraat.

Cher. Tempus monet.
Assume pectus. Ludus in tua est manu.
Accede filii propior. *Rec.* O semper meis
Inimica votis fata! *Herm.* Quis gemitus sonat
Has inter umbras? Erronè? Est frater meus.
Recarede, quis te mentis affligit dolor?

Rec. Sequebar alto in nemore fugientem feram,
Arcumq; jam contraxeram, intentum obvius
Suspendit ictum pastor: effugit fera,

Herm. Adhuc amœna bella venatûs placent?

Recar. Sic fata mandant. Gentis imperium tuũ est,
Meum ferarum. *Herm.* Nolo, me Regem voces

Recarede: melius brachium regni tui
Servusq; dicar. *Rec.* Ego procellosum hoc mare
Ingrediar? auro liberum obstringam caput?
Manuq; pùrâ sceptra sanguinea geram?
Regnare quondam dulce credebam, suus
Cùm Christianis legibus staret vigor.
Oppressa pietas nunc jacet. Miser heu! status
Fidei Quirinæ! Lachrymæ invitum occupant,
Premuntq; voces. Imò nec lachrymis licet
Vacare, quasq; corde protrudit dolor,
Timor retrudit: quod sinum lachrymæ aperit,
Stringit medullas.
Herm. Sequere Recarede impetum
Sermonis. Ergo corde Romanos colis
Recarede ritus? *Rec.* Corde, sed vultu vetor.
Herm. Reclude fratri frater internos sinus.
Recar. Hermenegilde, melleæ auspicium mihi
Felicitatis, me quoque aspexit Deus,
Sed tardiore luce, si tardam tamen
Lucem licet vocare, quæ tandem venit.
At quæ procella ferveat, quantus fidem
Ruat in Quirinam turbo; me nuper meus
Docuit Leander: ferreus legis rigor,
Tuæq; nuper sortis exemplum, impiæ
Furor novercæ cogit, ut lugens tegam
Sub Arcano pallio veram fidem.
Testor rotantem sidera & terras Deum!
Mihi cor dolore rumpitur. Quò me fero,
Aut mors oberrat vultui, aut sceleris metus.
Herm. Jam video, cœli Numen, impleri tua

Pro-

Promissa, video vota complevi mea.
Recarede, nexum juro, qui geminas manus,
Geminaq; jungit corda, non regni sitis
Non pulchra sceptri ambitio, vel populos super
Amor eminendi patrios suasit lares.
Ubiq; forti patria est; Deus potest
Reperiri ubique, ubiq; se cœlum exhibet.
At hoc vovebam semper, ut quidquid super
Nostri est cruoris, nube detersâ fidem
Videat Quirinam, & quà patet regnum, Deus
Impune ritu posset Ausonio coli.
Si nunc latendum est, quiq; conceptus fibris,
Umbrâ tegendus radius; adveniet dies,
Quo clausa corde possit evolvi fides.
Recar. Hora in propinquo est: pectus infirmum est tamen.
Herm. Quid depluente lachrymâ vultum rigas?
Recar. Hermenegilde, lætus hic Phœbus tibi est,
At luctuosa Luna succedet mihi. (malum
Herm. Recarede, quid ais? quod tibi mœstus
Præsagit animus? *Rec.* Crastinus Phœbus vehit
Solenne patriæ Pascha; quid faciam miser?
Ritu Ariano panis execrabilis
Capiam venenum? Grande patrabo scelus.
Capere refugiam? morte supplicium luam,
Hinc Nemesis instat fulmine & flammis minax,
Hinc Lictor atrox pectori ferrum amplicat:
Aut est cadendum propriâ, aut turpi manu
Carnificis. Ista publicum probrum facit,

At illa facili terminat vitam viâ.

Herm. Equidem est honestũ, spiritum & vitã prius
, Dare, quàm sceleste labe fœdari : tamen
Perimere semet, criminis grandis nota est,
Unâq; gemina vita truncatur nece.

Recar. Infamis ense cadere Carnificis, grave est,
Levius perire propriæ ferro manus.

Herm. Recarede! probri labe terreris? Pati
Modicum pudebit, gloriæ ut pondus feras?
Nil sunt coronæ Regiæ, Lauri nihil,
Si de cruore Martyrum aspersas vides
Cœlo coronas. *Rec.* Fortium exempla objicis:
Ego tyro necdum prælio assuevi. *Herm.* Putas
Aut ære corda triplici, aut rigido fibras
Illis fuisse chalybe munitas? Luti
Fuêre nostri, debiles, timidi, anxij.
Imò & puellæ colla Virginea ultimæ
Dedêre plagæ. Vicit horrorem boni
Copia futuri. *Rec.* Me pudet frater mei
Timoris. at cùm pectore id mecum loquor,
Recarede, fies fabula, & mundi probrum:
Tum mihi per ossa gelidus inserpit timor,
Malimq; penè gloriâ expungi, hanc notam
, Quam sustinere,

Herm. , Criminis merces, probrum est:
, At sustinere, pectus heroum probat.

Recar. Sed fugere qui cùm possit instantis sibi
, Mali procellam, sustinet; malo viam
, Alterius aperit *Her.* Fugere cùm pietas vetat,
, Alterius ansa nulla præbetur malo.

Rec.

Rec. Sed adde : Nati est regula voluntas patris.
Her. Si pater honesta jubeat,
Rec. Ex ipsis fluit
Legibus honestas.
Herm. Quando non pugnant Dei
Legi æternæ. *Rec.* O legis æternæ rigor!
Jubet luenda morte ; sed prohibet mori,
Mori volentem. Si mori nolim ; scelus
Est perperrandum ; Si mori velim, reus
Contaminatur animus. Admoto mihi
Si pello ferro spiritum, fiam reus:
Si abstineo, maculam contraham, & moriar ta-
Quò vela vertam ? (men,
Herm. Fluctuo ambiguo mari.
Dic: pane vetito, mente decretum tibi est
Non impiari ? *Rec.* Sceleris ut tanti luem
Fugere liceret, ipse violentas mihi
Manus parabam. *Her.* Sequere consilium meu.
Hodie per alta nemora, quod moris tui est,
Abi, & fugaces sequere venatu feras.
Tum finge te per semitam ignotam procul
Amore prædæ divium errasse.
Rec. An fuga hæc
Scelere vocabit? *Her.* Qui timet letho obviam
Porrige frontem, vertat in fugam pedes.
Rec. Ambage nondum evolvor. In reducem mala
Eadem redibunt : cogar ad ritum impium.
Herm. Quid ergo poscis consili ? E regno fuge :
Amica pandet tecta vel Socer meus,
Vel Imperator ; donec & mentem induas,

Et mente robur: quodq; nunc trepidus times,
Tibi fiat olim dulce, pro Christo pati.
Rec. Spondebis ista? *Herm.* Literas comites dabo.
Vel ipse clypeus ibo fortunæ tuæ.
Rec. Meam juvabis sortem, ut evertas tuam,
Iterumq; belli nimbus in pacem cadet.
Unum rogabo, falile quod, frater, tibi est;
Mihi muniendæ serviet menti. *Herm.* Jube:
Tibi cor ipsum è pectoris medio dabo.
Rec. Antidota Romæ, Martyrum cinere inclyta,
Possunt paventi robur & pectus dare.
Her. Exarmo memet, captus exemplo tuæ
Pietatis. *Rec.* Isto spiritus scuto redit.
Her. Olim hoc Leander munus infirmo dedit.
Quando timori par erat noster tuo.
Rec, Sed aula prodit. Dulcis eripitur sapor.

SCENA VI.

Hermenegildus à parente Levigildo Rex inauguratur.

Levigildus. Gosvvinta. Hermenegildus. Prætor. Chorus Militum.

Lev. PLacet. Reclude carceres, cippos leva,
Disjice catenas, Consulum fasces liga,
Viridiq; ramo pacis auratæ indue,
Hermenegilde, magna spes altæ domus,
Columenq; stirpis Vandalæ, Hesperij potens
Columna regni: tuq; defessi patris

Reca-

Recarede spes secunda, cui bella x calet
Mars in medullis, Diva cui jaculis manum
Diana obarmat: vos meam, bini poli,
Spem sustinere. Dividi utinam se in duos
, Regna paterentur! at velut Soles duos
, Non capit olympus unus, ita Reges duos
, Unica corona non capit. Sed nec juvat
, Dividere regnum, pectora ut jungas duo;
, Dividere gemina pectora, ut regnum unias.

Rec. Agnosco, genitor, genium, & ingenium meū.
Mihi lustra, fratri regna debentur meo.

Herm. Imo tibi regnum destinat mentis vigor.

Rec. Quod genitor imperavit, hoc cœlum probat!

Her. Recarede, sceptrum debito, aut dono, tuis
Manibus resigno.

Rec. Sceptra jam pridem manus
, Fastidit ista *Her.* Sceptra qui regni fugit,
, Capere meretur, *Rec.* Jura quod faciunt tuum,
Meum putabo, quando sum totus tuus.

Prat. A. Quod clima mundi teneo? quam terram
Humanus ista corda non genuit satus, (premo?
Quæ non trahuntur, quo solent homines trahi,
Splendore rerum.

Lev. Rixa quàm grata hæc mihi est
Dilecta soboles, ferre quâ palmam, aut dare,
Æquè est decorum. Gratulor genitor meæ
Felicitati, quando, quos discors trahit
Animi appetitus, una concordes facit
Ars obsequendi. Semper ò Superi pia
Hæc bella foveant. Lite vos istâ gravem

Litem abstuliſtis. Veniat ad regnum prior,
Qui prior in auras venit. Huic ſolium ac jubar
Recarede cede; ac interim lætus die
Fruere ſereno, & regna ſylvarum tene.
, Quocunq; regno eſt pulchrius regnum ſui,
, Quod cuiq; virtus, non favor ſortis, dedit.

Rec. Patris voluntas regula eſt nati. Placet
Quodcunq; mandas.

Lev. Iſta Gosvvinta approbas?

Gos. Quod deſtinaſti mente, cùm cœlum probet,
Scelus improbare eſt.

Levig. Ergo quod ſuperi velint
Fauſtum evenire nomini Heſperio, & Gotho,
Noſtræq; ſtirpi, pone diſſimulem tuo
Gnaeri apparatum; pone privati notas
Hermenegilde: & quamlibet virtus ſuâ
Satis coruſca luce, peregrino coli
Fugiat nitore; purpuram tamen indue,
Quam Tyrius oſtri ſuccus auctorat minus,
Quàm per tuorum bella Majorum cruor
, Hoſtilis hauſtus. Iſta clementi ſinu
, Tegit innocentes, velat alienum ſcelus:
, Velare ſolùm regiam culpam nequit.

Chor. Mil. Hæc purpura inſolentem
In invidi furorem
Reverberet ruborem.
Hermenegildus imperat!

Lev. In bella natus enſis, inimicis minax
, Per vulnera actus hoſtium ſplendet magis,
Hic tibi miniſter conſilî ſemper latus,

Manus

Manum vè obarmet. Ante quam in fulmẽ tamẽ
Liberetur ictus, præviis minis tonet;
Cædat rebelles, mollibus cedat quoq́;
Chor. Mil. Hic militaris ensis
Detruncet os furori,
Linguamq́; proditori.
Hermenegildus imperat!
Levig. Virgam sinistrâ regiâ augustam cape,
Ferri sororem. Quando non dociles regi
Prosternit ensis, virga malè pressos levet.
Metui manus sit una, sit amori altera.
Ut lenitas timeatur, & ametur rigor.
Chor. Mil. Ejà aureum revolvit
Se sæclum; aureosq́;
In termites resurgit;
Cadite invidi furores.
Hermenegildus imperat!
Levig. Corona sit coronis ornatûs tui.
Hæc undulantem verticis stringat comam,
Licentiamq́; mentis augustæ premat.
Qui mula poscit, pauca consequitur. Regit
Manu impotente, regna qui plura expedit,
Ibera plaude tellus,
Gemino beata sole.
Resorbeat furores
Livor, furor calores.
Hermenegildus imperat!

SCENA VII.

Plausum interturbat Pamphagus fi-

cto

cto nuncio tumultûs in castris exorti : ad quem sedandum Hermenegildus suum ex urbe militem dimittit.

Pamphagus, & omnes qui supra.

Pamph. O Sors acerba! dira! detestabilis!
Cur me cruenti nuncium casus vocas?
Quantum triumphum cogor, invitus, novo
Turbare luctu. *Lev* Grande quod portat malũ?
Dic unde? *Præ. A.* Si non erro, de castris venit.
Pamph. Generose Prætor.
Prat Iste me tangit dolor:
Pamph. Vocem dolori claudit accrescens dolor.
Prat. Resume lassum spiritum. *Le.* Quod fert malũ?
Prat. Turbata sensus castra præsagit mihi.
Pamph. Uno macello Cæsaris miles perit.
Prat. Quæ monstra narras.
Pamph. Cæditur, cædit, cadit,
Vulnerequè miles mutuo occisus jacet. [diem.
Prat. Quæ causa turbæ? *Pamph.* Perdo narrando
Res ferrum & arma postulat. *Prat.* Prius at mali
Deprome causam.
Pamph. Pacis ubi amœnæ datum
Per castra latè nunciam, plaudens cohors
Mutavit enses in coronatos scyphos.
Aliquis Lyæo plenus excordem, levem,
Putridamq; plebem militem Orientis vocat.
Prat. Quis ille?
Pamph. Nomen excidit, sensum dolor

Eri-

Eripuit animo. *Prat.* Fortè Barbantus fuit?
Pamph. Castra habet ad ipsam fluminis ripam.
Prat. Bucus?
Pamph. Bucus est, is ipse. *Prat.* Perge, gestorum (modum
Seriemq; narra. *Pam.* Accensus in Ducibus calor
Excivit iram; dumq; collisus furor
Effervet, heu me! Anetus! heu mentis dolor!
Prat. Ferro est peremptus? *Pam.* Occidit; dumq;
Animæ exeuntis spiritum ducit, suum [ultimũ
Hermenegildum voce languente invocat.
Herm. O spes adempta in flore!
Pamph. Tum vino ebrij,
Et Marte calidi bella Lapitharum innovant,
Et ense, & hostis mutuam in cœdem ruunt.
Prat. Et quid Tribuni? non repressêrunt malum?
Pamph. Consilia vicit ira. Quin primus Ducum
Ubi mitigatus est furor, totam nova
Turbavit ira exercitum. Vidi suo
Sanguine Cyrillum sordidum, Hormisdam truci
Vulnere necatum, Athanasium letho datum;
Juvenemq; magnæ stirpis, & paris spei
Leucippum adempto spiritu Elephantis pede
Miserè peremptum; veteris Alpheni caput,
Lacerumq; corpus pedibus advolvi meis,
Unde has profusi sanguinis maculas fero.
Prat. Quid tunc Brisantes? *Pamph.* Testor augustũ
Solertis omne munus implevit Ducis. (diem,
Sed quis prementis reprimat fati rotam,
Qualis procellis rapta pugnantis freti,
Cùm Nauta clavum perdidit, ab omni ratis

Sibi

Sibi apparatum latere naufragium involat;
Talis furoris impetu abreptus sua
In fata miles urget armatas manus,
Et admonentis verba non audit Ducis.
Imò, ò cruentæ sortis exemplum grave!
Memoria facti è corde mihi vitam rapit.

Prat. Fortè & Brisantes læsus? *Pam.* Et letho occu-
Dum per rebellium arma contento tonat (bat.
Clamore pacem, brachium & pectus ferit
Adacta arundo. *Prat.* Signa quæ prodis mali?

Pam. Tremulâ exaratas literas dextrâ accipe,
Quas, cùm careret sepia, ut scripsit suæ
Cruore plagæ. *Prat.* Symbolum nosco, & manū.

Tuus Brisantes moritur, ut vivat tui
Splendor superstes nominis Celera gradum,
Pacem daturus militi, tumbam mihi.
Tuus Brisantes. Martis ò charum caput!
Veneranda charta, gloriæ testis tuæ!
Facundus iste sanguis invitat meum.
Differ Brisantes fata, dum venio tuam
Hausturus animam. *Pam.* Si brevē nectis moră
Cernes merum cadaver, ubi miles steterit,
Fusumq; fusâ sanguinem lachrymâ eluet.

Prat. Ite ò Gradivi capita, magnanimi Duces,
Iramq; nostro militi, & ferrum date.

Leu. Hoc facilè credit quisq;, quod nimium timet.
Timenda lentam nuncia exposcunt fidem.
Quâ natus orâ es? *Pamph.* Alba me genuit, pa-
Olim Quirinæ gentis *Leu.* At Græci tibi (rens
Sermonis est accentus. *Pam.* A primis adhuc

Cunis

Cunis Athenas detulit quondam parens.
Levig. Quod nomen?
Pamph. Aulus Verus. Ah! Princeps, moras
Abrumpe: celerem poscit instantis mali
Moles medelam. *Prat.* Fluctuo in partes duas.
Hermenegilde, fateor, invitus tuo
Abscedo latere: casus at præsens jubet.
, Quævis furenti noxia est Marti mora.
Dem jura quamvis militi, legi tamen
Subjaceo magni Cæsaris. Sanguis meo
Pendendus omnis sanguine est, quisquis fluit
, Me negligente. Nempe sic Reges solent
, Tribuere mœstos Ducibus eventus, sibi
, Secundiores. Dumq; securâ tua
Res sede posita est, copias nostras tuis
Princeps adauge. *Lev.* Debeo hoc fidei tuæ.
Properate nostri Martis excelsum genus,
Sub signa turmas cogite, & quaqua jubet
Prætor, volate; ac turbini pacem date. (ferent.
Prat. Vestra arma, quidquid laudis emerget,
Herm. Impensa sed quam studia mercedem ferent?
Prat. Servire potuisse tibi mihi grande est lucrum,
Herm. Quod sum, favori debeo totum tuo.
Prat. Recipere amorem maximum lucrum puto,
Hermenegilde vive. *Herm.* Tu fortis manu
Pugna, triumpha; & gloriam pacis refer.
O res breves mortalium! ò plausus breves!
Quos una donat hora, furatur sequens,
Fortuna monstrat gaudia, & luctus parit.

CHO-

CHORUS.

Docet inconstantem esse mortalium fortunam, & ipsa gaudia luctu terminare.

O Quàm brevis mortalium
Est hora gaudiorum!
Fugax voluptas sensuum!
Dulcedo amara honoris!
Mellita mentis toxica,
Et vana larva pompæ!
Quæ cruda Circe carmine,
Vel Colchico apparatu
Momento in uno gaudia
In lachrymas resolvit?
Pontiq, stantis otia
In turbines citavit?
O cœca gens mortalium
Addisce veritatem:
Quæ donat hora gaudia,
Sequens acerbat hora:
Fortuna plausus objicit,
Et ingerit dolores.
Quæ dum affluit, simul effluit,
Nec sistit unda cursum;
Fulgur, quod igne fulgurat,
Perit que dum coruscat;
Quos devorat, dum sublevat
In alta Sol vapores?
Ephemeron, cujus dies

Est

Est primus & supremus,
Constantiora dixeris
Mortalium triumphis.
Una hora plausus excitat,
Quos funerat secunda.
Fortuna monstrat gaudia,
Et ingerit dolores.
Pupillâ eâdem nascitur
Risusq; lachrymæq;;
Quin ipse risus lumina
In lachrymas resolvit.
Sardoa crede germina,
Quæ dant in ora risum;
Ridendo sed consopiunt
Vitamq, spiritumq;:
Non longa mundi gaudia
Longos trahunt dolores.
Momento in uno panditur,
Et clauditur voluptas.
Cum Capricornum Cynthius
Splendoris igne lustrat,
Et ultimis Trionibus
Spectandus ora pandit,
Uno dies renascitur
Loco, peritq; eodem.
Ubi ortus est, occasus est,
Aurora & Hesperugo.
Nec inter ulla linea
Deducitur diei:
Sic vita vivit plausum,

Ipso caditq; in ortu.
, Fortuna monstrat gaudia,
, Et ingerit dolores.
Felix, beatæ fervidus
Quem tangit æstus oræ:
Ubi nec dolorum exordium est,
Nec meta gaudiorum.
Miser! qui abit per invia,
Flexusq; non reflexos:
Potestq; sæpe proditus
A mare proditorem.
O cœca gens mortalium
Addisce veritatem!
, Quæ donat hora gaudia,
, Sequens acerbat hora.
, Fortuna plausus objicit,
, Et ingerit dolores.

ACTVS IV.

SCENA I.

Recaredus acceptum ab Hermenegildo amuletum mittit per Casimirum Venatorem Cherinto.

Recaredus. Casimirus. alij Venatores.

Rec. I Te hinc in alta montium, in cava vallium,
In densa nemorum, in plana camporũ; pedẽ
Cur-

Currite volantis Æoli; quò vos mea
Jussa ordinârunt: sternite, necate, edite
Stragem ferarum: nemoris imperium meum est.
Casim. Partita jam sunt studia sociorum; mihi
Sed quid reservas? *Rec.* Optimam ut ferias ferã:
Quæ cordis ipsas penitus erodit fibras,
Pavidamq; prædam me facit prædæ meæ,
Casim. Præda hæc amoris forsan est?
Rec. Erras. *Cas.* Amor
Inquam imperandi? *Rec.* Vulneris tangis locum.
Casimire. *Cas.* Princeps inclyte, in damnum
Fugis hanc ferã sequendo, fugiendo fugas. fruis:
, Abscede magna luce, quam quisquis videt,
, Invitet; & altis abde te nemorum comis,
, Ad quæ invidenti nullus accessus pater.
Recar. Quid densa prosunt nemora, quid juga montium,
Si mens in aula stringitur? quid me juvet,
Feras ferire, si dolor cordis ferâ
Ferocior me lancinat? Quavis fera
Ferocioris ardeo flamma feræ,
Quam lancinare pervelim, & vulsis mihi
Perimere fibris. *Cas.* Odia te torquent tui
Recarede fratris? *Rec.* Majus est animi malum.
Cas. An majus odiis esse fraternis potest?
Rec. Amor: esse quando potius exosus velis.
Cas. Ænigma Princeps loqueris.
Rec At verum tamen.
Casimire, toto pondere hunc odij premo,
Honore qui me spoliat, & sceptro, & throni
Jure,

Jure, & coronâ At dulcis affatus tenor,
Affectus ille candidus, quo se mihi,
Suosq; amores, purpuram, & vitam obtulit,
Novas in isto pectore accendunt novi
Faces amoris: crevit in flammas amor,
Odioq; jam par, Marte decertat pari.

Gas. Et iste solitum fulmen ignorat chalybs?

Rec. Est fulmen iste mucro: sed duro ferum,
Molliq; molle pectori. Adamantis velim
Fratri fibras fuisse. Si sceptrum mihi
Non obtulisset, ipse rapuissem manu.

Casim. Te frater odit, ergo quid tu fratrem amas?

Rec. Amo; & peremptum cœde non faustâ velim.

Casim. Quod restat unum, suffer.

Rec. At prohibet dolor. (manu

Cas. Contemne. *Rec.* Non contemnitur tutò
Qui gestat arma.

Casim. Parce. *Rec.* Latroni meo? [*Rec.* Volo:

Cas. Occide. *Rec.* Per quem vivo? *Cas.* Vis vivum?
Modò perimatur.

Casim. Vis trucidatum? *Rec.* Volo: [*Rec.* Volo.
Modò sit superstes. *Cas.* Regna vis teneat?
Modò absq; regno.

Cas. Vis tibi servum? *Rec.* Volo
Servum catenis obrutum, & dominum tamen,
Cinctum coronâ. *Cas.* Fare, quid tandem voles?

Recar. Sentire possum plurima, effari nihil.
Vivere, sed absq; spiritu hunc vellem; mori,
Sed absq; morte; regere, sine regno. Nihil
Volo, voloq; cuncta. Quod timeo, sequor;

Quod

Quod quæro, fugio. Qualis Ægæo ratis
Agitata ponto, quando collisis furunt
Ventis procellæ, dubia tunc Boream fugit,
Nunc cedit Austro, & jurgia undarum sequens
Ventiq; rixas, dubia naufragio suo
Duella finit: talis adversis agor
Odio & amore; dumq; se alterno rotant
Impete, duelli finis est damnum meum.
O sors amanti acerba! sed clemens tamen!
Vel fratri amorem tolle, vel odium mihi.
Quodcunq; geminis eligas malis malum,
Recaredus est beatus. Ast odium tamen
Suâ face rogum funeri accendit meo.

Casim Gravi procellâ volveris. Sed jam dies
Temone verso pronus in pontum cadit;
Constringe jussa.

Rec. Cernis has crucis notas?
Defer Cherinto. *Cas.* Nulla retinebit mora.

Rec. Huc redde: malim potius in dextram dare,
Voca huc Cherintum.

Casim Reddo, quod Princeps jubes.

Rec. Debisne certo? *Cas.* Fortè suspecta est fides
Tibi mea, Princeps?

Recar. Perge; consigna in manus.

Cas. Aliquidne verbis imperas addi? *Rec,* Nihil,

Casim. Ad propero. *Rec.* Siste.

Casim. Quid jubes? *Rec.* Istud meæ
Postquam venire dixeris signum manu,
Gestus Cherinti, frontis observa notas,
Oris colorem. *Cas,* Nare ceu pressâ feram

Vestigat umber, facta scrutabor senis.
Rec. Sed antè cœlo teste desponde fidem,
Silentiumq;. *Cas.* Juro. *Rec.* Nunc jussa expedi,
Quemcunq; & aulæ senseris motum, refer.
Hic ubi supino collis ascendit jugo,
Tibi, ferisq; attentus absumam moras.

SCENA II.

Suspicatus dolum Casimirus dubitat, an amuletum tradat Cherinto.

Casimirus.

IMpie adolescens! pectus Eumenidûm tibi
Æstuat abigne, & tota styx animum cremat.
O spes caduca! ò nostra sine fructu Notis
Dispersa vota! Sylva jam decies mihi
Hæc visa frontes ponere, & rursum suos
Sumere virores, Juvenis istius trucem
Ex quo tumorem suffero, & genium gravem:
Et sub profanâ veste divinum tego
Animi calorem, ut Hispali quondam fidem
Videam Quirinam. Vota respexit Deus,
Et me beatum fecit hodiernus dies.
Vidi, Quid ultra postulem? Jam me subit
Cupido mortis, antequam infaustus dies
, Sequatur alius. Vita mortalis brevi
, Concluſa fine, quando satiavit semel
, Honesta vota, funeri involvat caput,
, Alter priusquam tragicus oriatur dies,

, Feli-

, Felicitatem semper à tergo premunt
, Trepidi pavores, horridi casus, dolor,
, Minæq; euntis semper in pejus mali.
Quid inquietus iste molitur puer?
Quam jam cadente Sole vestigat feram?
Quos Arianâ fraude concinnat dolos?
Qualem huic catenam fabricat addendam cruci?
Celabo jussa. Namq; mihi rigidus timor
Per ossa currit, fortè ne partem feram
Fraudis paratæ. Sed quid effrenis puer
Incendiorum devomet? Mortis mihi
Est certa merces. Interim fidus perit
Hermenegildo servus. Ut jussit, dabo.
Fors ipse gemmæ splendor ostendet dolos.

SCENA III.

Casimirus consignat amuletum Cherinto. Hic ad Consulem illud transmittit, à quo non dubitat Reginæ tradendum, & hinc efficacius in ruinam Hermenegildi servitutum.

Cherintus. Casimirus, Pamphagus.

Dictata lentè studia Recaredus trahit,
Moras q; nectit, Timeo, ne insanus puer
Confundet artis ordinem. *Cas.* Expectat. Dabo.
Fortuna te, Cherinte, pro votis mihi

Obtulit. *Cher.* At adsum. Turbinum est aliquid?
Cas. Nihil.
Recaredus... *Cher.* Et quid imperat?
Caſ. Munus tibi. (*Caſ.* Vale.
Cher. Gratum est beneficii Principis munus.
Cher. Advertè pauca. *Caſ.* Temporis me urget
Hic densa post carrecta venabor dolos. (fuga.
Cher. Jam vota teneo; vela jam facili tument
Impulsa vento. Colloqui fratri est datum:
Hermenegildi miles inducto tuo
Eductus omnis urbe: Recaredus volat
Per tes qua nemoris: in manu signum meâ est.
Brevis hora factum sæculi unius dedit.
Pamph. Monet hora: defer Consuli Crucis notam.
Cher. Egone? Perire Pamphage Cherintum jubes.
Si me architectum resciat Consul doli,
Actum est; perbo. Et impia, & pariter pia est
Gens ista, fraudis abstinens, ultrix doli.
Pamphage, tuarum hoc partium est. Qualis soles,
Iterum resume Prothea: internis vafrè
Te finge mentis anxiæ curis agi,
Ut execrandas Colchicæ fraudis notas
Legis severo vindici ad manus feras.
Frontem asperabit, & supercilium grave
Attollet. Unde, quæret, hoc venit tuis
Lucrine, manibus? Finge Recaredi sinu
Cecidisse: subde tempus, & locum, & situm,
Omnemq; cautus consilii molem explica,
Quod frater execrabilis fratri dedit.

Pamph.

Pamph. Rem teneo totam.
Cher. Post, ubi seriem rei
Dederis apertam, lachrymâ fictâ roga;
Ut cuncta fido clausa contineat sinu.
Ignem rogabis ore ut oppresso ferat.
Vix tam repente fulminis telum cadit,
Quàm Consul hujus ordinem arcani feret
Reginæ ad aures. Illa si noscat, sat est.
Reliqua furentis impotens zelus dabit.
Unus susurrus fœminæ iratæ est satis,
Ut sede totum moveat Acherontem suâ.
Pamph. Facti Senatus ordinem, & seriem exigit.
Cher. Moris moras implecte: compulsus tamen
Rem prode totam. *Pamph.* Scilicet ferri preces
Mihi admovebunt
Cher Plectere at nunquam licet
Testem indicantem Judici alterius scelus.
Pamph. Volent probari singula.
Cher. At factum patet.
Reus ipse non negabit. Inclinans monet
Properare Phœbus. Pamphage, ut jussi, expedi.

SCENA IV.

Angitur ex occulto auditis Casimirus. Statuit paratas fraudes sub obscurè Hermenegildo insinuare.

Casimirus.

APerta fraudis machina est, nullus locus

Dubio est relictus. Fraudis hoc pondus grave
Hermenegildum poscit. O sortis jocus,
Miserande Princeps! Consilî experti mihi
Quid super agendum est? Pandere arcanum, fides
Jurata prohibet. Quod tamen crimen foret,
Periclitantis Principis vitam fide
Servare fractâ? Nimius est legis rigor
Qui cogit esse Principi infidum suo.
At si revelem, vita Recaredi quoq;
Periclitatur, Adde: sum solus, doli (gent
Ad quem Cherinti & Pamphagi veniunt. Ne-
Fabricasse technas; arguar fraudis faber,
Et ipse ficti criminis pœnas luam.
Medium teneb. o Sic loquar, possint doli
Ut anteverti; nec datam infringam fidem.
Celabo fabrum sceleris, & prodam scelus.

SCENA V.

Orator Regis Longobardiæ gratulatur Hermenegildo coronam: petitquè sui Regis nomine subsidiarias copias ad Romam subigendam.

Hermenegildus. Orator. Filius Hermenegildi.

Herm. ORator adsit. *Or.* Sidus Hesperij soli,
Heroë Princeps: quando tam brevibus nequit

Suc-

Succincta pennis Fama de Bœti ad Padum
Tuos honores ferre momento, decet
Me prævenire Regis affectum mei.
Hinc tibi coronam (Flavii affectu loquor)
Primam secundæ pronubam, & semper novæ
Meritum coronæ præmio semper pari
Pendi vovemus. *Herm.* Sive majestas metum,
Sive mereatur vota; me solio Deus
Locat ille, cujus nutibus mundi arbitri
Surgunt, caduntq; ; cujus imperio occupant
Excelsa Reges solia, & everfis ruunt
In ima solijs. Arte mortali licet
Regnum tenerem, prima curatum mihi
Hæc esset una, patriæ, regni, patris,
Et exterorum Principum voto obsequi
Sed quid parentem Flavius poscit meum ?
Orat. Quantum quietis oderint turpe otium
Res universi, singula loquuntur satis.
In gremia fontes fluminum currunt; mare
Flumina requirunt; surgit exponto vapor,
Et vapor in auras solvitur: semper volat
Aura inquieta, montium affligit juga,
Mare in procellas excitat, sylvas quatit,
Omnemq; mundum sedibus ab imis movet.
Hæc imperantium indoles animos tenet:
Nullis queti finibus fines suos
Protrahere gaudent: donec amplexu ambitum
Mundi coronent. Nobili hoc vitio Ducum
Mentes laborant, semper ut tendant nova
In regna votum; dumq; quod deest vident,

» Deesse credunt omnia, ut desit nihil.
Hæc quoque medullas Flavij incendit sitis.
Ad sceptra natus, sceptra, quæ quondam Patres
Tenuêre, poscit. Spiritu tanto minor
Italia nunquam poterit augustam sitim
Explere, donec Imperî summum decus
Roma superaddat. Sæpè Majorum inclyto
Tentata Marte steterit audaci licèt
Invicta fastu, posse se vinci tamen
Superba docuit. Quando jam pacis sinum
Rex occupasti, & otio miles perit,
Aut est quieti civium, & regno gravis;
Illud precatur Flavius; vires tuas
Accedere suis. Præda quæ veniet, tibi
A Tibri ad Ætnam cedet.
Herm. Hoc leges jubent,
Natura mandat: Flavium si quod premit
Periculum, Periculo ut sistam meo,
Si fas piumq; non vetent. Ambo sati
Prodijmus unâ stirpe. Majores sui
Tenuêre Italiam; regna Majores mei
Hispana. Quisq; sorte contentus sua
Vivat quieti. Namq, quid Bœtin Pado
Miscere, Tybrin jungere charybdi juvet?
» Ut certa fluviis littora, ita certam Deus
» Metam imperanti posuit. Exundans calor
» Virtus videtur, gloria veræ caret
» Virtutis, Illa est vera, quæ invigilat suis,
» Parcit alienis. Ipsa si quando suas

Ele-

Elementa sphæras transeunt, sese attigerunt.
, Limite suam potentiam hic honesto tenet.
, Qui posse non vult plura, quam posse addecet.
Orat. Quid? An Quirini nominis famam times?
Periere Fabij, Cæsares magni jacent,
Jacent Catones: Quidquid aut bello fuit,
Aut pace magnum, terra tumulatum occulit:
Vides Sacrorum Principem in pacis sinu,
Totamq; Romam in otio? & lentus potes
Audire quondam Romuli fastus jugum
Subijsse nostri generis augustos patres?
, Decet hunc jugum subire, qui imposuit jugū.
Sæva dominatur Roma; dominatum ferat.
Herm. Amat quietem Roma, quam pietas amat.
Invicta Romæ purpura insultat sago,
Et mithra galeis; ossa sanctorum suis
Sepulta tumulis Martis illudunt minis.
Sedendo Roma vincit, & geminum rotans
Gladium, severo corpora imperio ligat,
Animasq; stringit. Vetera si expendas, jacet
Spoliatus ille, Numini quisquis sacras
Spoliavit aras. *Orat.* Laudo pietatem tuam:
Tamen id potente militis flamma potes,
Augusta Roma Regium ut toleret caput,
Patruoq; regni sceptra Pelagius tuo
Cedat Leandro. *Herm.* Crimen hoc superi ve-
Ego providentis fata perturbem Dei? (tent.
Ego sacrato vertici imponam pedem?
Terramq, mithram, cujus in medio sedet
Cœleste quoddam, & majus humano decus?

SCENA VI.

Casimirus interrupto Oratoris sermone ad aurem Regis admittitur.

Casimirus, & ijdem qui supra.

Cas. O Sancta pietas Cœlitum!
Prat. Quò te gradus? (vacat.
Cas. Admitte Princeps verbulum. *Prat.* Jam non
Loco recede. *Casim.* Verbulum Regi unicum
Hæc urget hora. *Prat.* Cede, vel pœnas feres.
Orat. Quis insolente turbat hanc aulam sono?
Casim. Hermenegilde!
Her. Quid petis *Casim.* Ad aures tuas.
Arcana verba. Casus, & tempus moram
,Non patitur ullã. *Her.* Regium hoc credo decus
,Aurem negare nemini. Huc proprior ades
Casimire, quis te casus audacem facem facit?
Orat. Quid insusurrat auribus? Lachrymis magis,
Quàm verba fundit. Militem in campo premit
Casus sinister? Oris ac frontis color
Regi recedit. Mœror in vultum subit.
Oculo paterno filium adspectat. Tacet:
Attonitus hæret. *Her,* Parce: rumpendus tui
Sermonis ordo est. Reliqua meliori velim
Horæ reserves.

SCENA VII.

Hermenegildus tentat eruere ex Casimiro

ro clariùs, quæ & unde in se struantur fraudes, sed frustra. Hæret an credat: securitatis tamen causâ filiolum aliò transmittit.

Hermenegildus. Filius. Casimirus. Prætor.

Herm. Dulce solamen Patris!
Amor meus, dolor meus, quò me rapis?
Fil. Quis nos siniſtræ sortis infestat furor?
Iterumq; patrem torquet, & natum premit?
Herm. Casimire, deme nubilum verbis: rei
Quid subsit ede. *Cas.* Plura ne Princeps jube.
Herm. Aliquis meorum sceleris in partem venit?
Cas. Per Numen oro, ne jube, quod non licet.
Prat Coge in catenas; verba per ferrum exprimes.
Cas. Extrudere animam corpore ex isto potes,
Ex ore nunquam plura Casimiri exprimes.
Prat. Si fraudis est periculum, grande est nefas
Cælare Regem. Criminis paris est reus,
Qui texit astus, quiq; contextos tegit.
Cas. Pietate Princeps stringor, ut moneam; pari
Pietate stringor, ut datam servem fidem.
Neq; tecta quidquam proderit palàm eloqui,
Nisi prius ille vinculum linguæ eximat,
Qui posuit. *Her.* Ergo vade; quod latet, erue.
Fidelitati plurimum credo tuæ.
Prat. Pericla Regum non ferunt longas moras.

Præoccupentur, antequam incautum occupent.
Herm. Dum veritatis clarus albescat dies.
, Nihil est movendum. Sæpe dum incerto obvias
, Periculo, periculum adsciscis novum.
Prat. Nisi mera fingat somnia, est certus dolus.
Her. Credam referre somnia. Hoc hominum genus
Rude est, & æquè ficta pro veris canit.
Equidem parenti semper est constans fides;
Nec quid timendum, video; si genitor favet.
Prat. Fratri timendus frater est.
Herm. Si quod vovet, [subit
Non obtulissem sponte. *Prat.* Nec mentem
Vetus Noverat genius? *Her.* At pacta est fidem.
Prat. Fuit inimica. *Her.* Pulsa sed pietas redit.
Prat. Sincera pietas pectore aut nunquam exulat:
, Vel, si exularit, integrè nunquam redit.
Her. Aspice coronam.
Prat. Video simulachrum rotæ. [non times
Herm. Sed quid timendum judicas? *Prat.* Quod
Herm. Vivit quietus, qui nihil metuit mori.
Prat. Debet suis timere, qui sibi non timet.
Herm Illum meum censebo, qui exemplum meum
Sequetur. *Prat.* Uxor est super-
Her. Tuto loco.
Prat. Neq; te tennellus filius movet? *Fil.* Pater,
Mori statutum est? Quis mei curam geret?
Her. O astra! quantus ossa mihi stringit rigor?
O nate! cursum patris, imbelli licèt,
Manu coërces. *Fil.* Excidi genitor tui
Sinu favoris? *Her.* Nate mi! utinam magis

Vel

Vel faustus esses, vel mihi charus minùs!
Hermenegilde, vela quò vertes? Patrem
Natura fecit: cura te nati ligat.
Tecum reserves? sanguinis flos hic tui
Tecum peribit; quodq; metuendum magis,
Fidei Quirinæ nomen extinctum putris
Jacebit umbra. Prætor, hoc fidei tuæ
Committo pignus: defer ad matrem ocyùs
Commune amoris vinculum: secum jube
Servet quieto tempori. Seu me Deus
Vitæ reservet, seu mori jubeat, suus
Ero semper. Illa fervidâ cœlum prece
Mihi favere jubeat, & quidquid feret
Turbata rerum scena, quâ semper solet
Constante mente, & pectore infracto ferat.
Præt. O dura Sortis fata, quæ tali imperant
A Rege servum dividi, & natum à patre!
O gemma magnæ stirpis, ad matrem est iter.
Fil. Hodie paterno redditus primùm solo,
Hodie exulare cogor? *Her.* Exilium omnibus
Communis est sors, donec in cœlo redux
Animus quiescat. *Fil.* Impio innocuas manus
Si polluissem scelere, num gravior mihi
Pœna adderetur? *Her.* Pœna tunc esset tibi
Patriâ exulare nate, nunc tua est salus.
Fil. Patri jubenti pareo: exilium meum
Hoc nemore peragam. *Her.* Tigrides, pardi, lupi
Ursi, & Leones occupant, nate, hoc nemus.
Fil. O barbara nimis sylva! funestum nemus!
Avibus quietem tribuis, & domino negas.

Her. Fuge, fuge mea dulcedo, tormentum meum!
Filius. Ah! fugio genitor, fugio in amplexus tuos.
Her. Nusquam minus securus es.
Filius Nusquam magis.
Her. In me volabunt arma. *Fil.* Ero clypeus tibi.
Herm. Te nate ferri vulnere & letho exime,
Ac me dolore. *Fil* Miles, ut fugiam doces?
Herm. Constantis animi, nate, me robur doces.
Una cademus ergo. *Fil.* Tu vive ò pater!
Si vita patris filij constat fugâ,
Fugiamus anime patriam. Hoc non est novum.
Novum est amato à patre compelli ad fugam.
Novum est amante à patre *Her.* Mi fili, vale.
Filius. Pater! revertit animus, & retro pedem
Violentus urget. Genitor, aspectu tui
Non satior unquam. Respice, ò dulcis pater!
Adhuc semel da ruere in amplexus tuos
Herm. O vulnus acre amoris! ò dulcis dolor!
Iam perge mœsti patris extremas dolor.
Filius. Parére patris jussibus nitor, pedes
Semper recurrunt. Ire non possum. *Herm.* Meos
Rape hinc dolores Prætor *Fil.* O pater! pater!
Her. Jam solus Omnem sortis expecto aleam.
Quamcunq; sese vertat in partem, meus
Mihi candor est solatio, & purus color
Animi innocentis. Si parens hostis mihi est,
Feram parentem, fronte quâ natum decet,
Servile sé si texat ingenium dolos, (dabo.
Manu hac refringam; & grande documentum
Quid læsa pietas possit, ubi ferrum rapit.

SCE-

SCENA VIII.

Consul refert se acceptum à Piscatore amuletum Reginæ consignasse; cujus nomine Cherintum rogat veniam immaturè decreti exilij, & ut in Senatu contra Hermenegildum agat.

Consul. Cherintus.

PIscator ille fune constrictus manus
Teneatur alto carceris clausi specu.
Miserande Consul! Patria infelix! Miser
Rex, & Senatus, plebs & Arij fides!
In quod recidimus sæculum ferro grave!
Has tibi Cherinte gratias reddit tuus
Hermenegildus, Regiæ invito polo
Per te repositus; credulo hos tandem refert
Fructus amori. *Cher.* Fata sic cœli volunt.
At nonne ad illud addidi: Irato Deo;
Tamen volente, solia pressurum, gravi
Ut inde lapsu turpius demum cadat?
Cons. Dixisse memini: dicta & eventus probat.
Crucis illa imago Regis ac regni est salus.
Cher. Sed quod Lucrini crimen est? *Cons.* Nullum, tamen
Ut veritati serviat, tuto loco
Est continendus. Dira, funesta, horrida
Edixit, & quæ pectus attonitum stupet.
Ratus ego tanta scelera reticeri nefas,
Reginæ aperui. Stupuit, & flammas vomens

Om-

Omnem Senatum accendit in flammas pares.
Vindicta nunc, & legis urgetur rigor.
Hæc causa mixta est; tangit & cultum Dei,
Et læsa jura Regis. Hic geminum forum
Coire in unum debet, ut tantum scelus
Ritè exigatur. Causa quà ritus sacros
Tangit, Sacerdos judicat: sed quà petit
Rebellione Regis augustum caput,
Statuit Senatus Inde, ne cedas loco
Regina te, Cherinte, jam supplex rogat.
Adverte: supplex orat. Hoc enim tibi
Referre jussit. Parce fervori incito,
Primoq; Zelo. Sis licèt læsus, tamen
Regni, Deiq; cogita causas agi.
Si pro virili dirigis causam, tuum
Infula sacrorum prima præcinget caput.
Age hoc Cherinte; Numen expectat, jubet
Ratio æquitatis, postulat regnum, rogat
Regina, cujus pectore augusto fides
Nostra habet asylum. *Cher.* Præmio nullo fi-
Vendo, nec ullis terreor lethi minis. (dem
Constans utrinq;, immobilis stabit, tenax
Mens æquitatis. Recta quod ratio exigit.
Aget Cherintus: recta quod ratio vetat,
Vitabit. Esse nolo suspectus. Fidem
Qui Vaticanam sequitur, Arij timet
Consilia Mystæ: vota consilij audiam,
Vestrisq; pronus sensa submittam mea.
Inde hinc Athenas vertar, & sacras domos
Iterum verebor Palladis, sancta caput

Redi-

Redimitus oleâ. *Cons.* Cœlites aliud dabunt,
Constantiore ut pace nobiscum dies
Agas serenos.

SCENA IX.

Levigildus habita contra Hermenegildum signa conficta suspicatur.

Levigildus. Consul. Cherintus. Prætor.

- - - Consul, aut error mihi
Offundit umbras, aut dolus texit dolum
Hermenegildo. Facilis in pacem mihi
Datus à Senatu nutus, & nato meo
Decreti honores Regii, non sunt pij
Documenta amoris, sed pio infandi doli
, Colore tecti. Nempe sic aulæ solent
, Felicitatis semita ad tristem exitum
, Parare scenam. Vereor, ut simus malæ
Materia fraudis, quiq; constrictus jacet
Piscator antro, filium in prædam trahat.
Cons. Credis tribunal integrum injustis agi
Sententiarum calculis? *Lev.* Credis pium
Hermenegildi pectus affectum impium
Repente trahere? quiq; majorem suis
Votis honorem tenuit, in præceps dare
Tam subito velle gloriam, & sese, & suos?
Cons. Quid his reponam? facinus est clarum. Audijt
Piscator omnem sceleris intenti ordinem.

Leu. Quid ad hæc Cherinthe?
Cher. Si jubes Princeps, loquar.
Age æquitatis legibus factum exige
Ad jura regni. Post, ubi partes suas
Justitia rigidè exegerit, clementiæ
Tuæ licebit, Regibus quidquid licet.
Leu. Ut æquitati causæ, & innocentiæ
Hermenegildi à Patre permultum dari
Intelligatis, primus excedam foro.
Judicia vos transigite; nec quidquam metu
Decernite, aut amore. Privatum reum
Credite, & in omnes juris æquati viam
, Servate. Lex hæc Judicem justum decet,
, Timore nil statuere, & affectu nihil.
, Majus est minister juris, & timor, & amor,
Quò se recepit natus? *Prat.* Affusum Dei
Vidére ad aras. *Leu.* Ocyùs nostros jube
Subire vultus Senatuum nempe hunc habet
Nidum suorum, Numinis templa & tholos,
Aras q; Divûm. Juro dominantem mihi,
Regesq; justo Numine prementem Deum,
Si quis (quod equidem credo) fabricatur dolus,
Impete retrogardo pœna in auctorem cadet,
At ecce prodit, nudus, & inermis, sui
Securus. Istud frontis extersæ jubar,
Hæc promptitudo facilis ad jussum patris
Opinionem sceleris ex animo fugat,
Et innocentis filii speciem ingerit.

SCE-

SCENA X.

Levigildus confisus innocentiæ filij causæ cognitionem Senatui demandat.

Levigildus. Hermenegildus. Cherintus. Consul.

NUnquamnè per te pace tranquillâ mihi
Frui licebit? Semper elisâ maris
Unâ procellâ in alteram infaustum patrem
Coges procellam? *Her.* Absconditum exhalat malum.
Domine: Parentis nomine abstineo: scelus
Si quod patravi, nolo me nomen patris
Defendat. Animus innocens sibi sufficit.
Scio mihi fraudes instrui; ignoro modum.
Cognosce crimen, criminis pœnam exige.
Peccasse si convincar, expendam scelus.
Levig. Quod impetrasse mœreas, audax petis.
Sed jam statutum est. Publicum causam tuam
Dic ad tribunal. *Her.* Publicum causam jubes
Dici ad tribunal? vile sum è vulgo caput?
An de potentum sanguine Heroum satus?
Levig. Hæc forma juris. *Herm.* Domine!
Levig. Quid frustra es? tace; (mihi
Jam constitutum est. *Herm.* Judicem justum
Te posco solum. *Lev.* Lege rationis vetor,
Usuq; regni. Judicem jungi patri (trem,
Lex nulla patitur. *Herm.* Jura non stringunt pa-

Simul-

, Simulq; Regem *Lev.* Jura non ullum eximunt
, Amore Reges, viq; privatos ligant.
Herm. Suspectus est Cherintus. *Lev.* Affectum tibi
Hic pendit omnem. *Cher.* Muneris quando mei
Sic ratio poscit, adero judicio, tamen
Subjicio sponte patribus sensum meum.
Herm. Da dignitati judicem æqualem meæ.
Lev. Quicunq; Judex major est grandi reo.
Herm. Ego me patrati sceleris immunem scio.
Lev. Et innocentem credo. *Her.* Non fugio tamen
, Ullum tribunal. Nullius culpæ reus
, Nil metuit animus. Judicet, quem tu voles,
, Qui mente constat, Judicem nullum timet.
Hic dignitati cedo, Regalis notam
Hic pono frontis: Regiâ sceptrum manu,
Humerisq; purpuram, & latere ferrum exuo.
Prat. Adsunt parati Judices. *Lev.* Vobis Patres,
Hermenegildi trado librandum scelus.
Si quis beatas credidit Regum vices,
Captusq; inani luce radiantis laris
Vilem execratur rusticæ sortis casam,
Me videas, & te nate. Documento sumus,
Quod sit levamen Principum, quando suam
Fortuna scenam mutat, & miscet jocos.

SCENA XI.

Hermenegildus coram Senatu causam dicit.

Con-

Consul. Hermenegildus. Senatores. Cherintus. Notarius.

Cons. MEliore Princeps digne fortuna; id rogo
Primum, prementem sortis urgentis vicem
Constante tolera mente, qua Regem decet.
, Erroris hæc est indoles, semper fori
, Horrere jura. At ille, qui cœlos regit
Numine perenni, sensa qui abstrusa inspicit
Animi latentis; ille sincerum mei
Pectoris amorem cernit, & castam fidem.
Qua te, tuumq; sanguinem, & honorem colo.
Hunc testor, inter Judicis sortem, ac rei,
Si deligendi genitor arbitrium daret,
Te judicare, & esse ego mallem reus. (mihi
Herm. Te semper æquum censui. Hinc major
, Spes firmat animum. Justus, & recti tenax
, Senatus, innocentis oppressi est salus.
Cons. Hermenegilde, sacra Romulei Patris,
Ritusq;, leges, jura, & imperia probas?
Her. Hoc grande crimen illud est, quod me trahit
Hoc ad tribunal? Inita consensu tuo
Pariterquè Patrum fœdera loquuntur palàm.
Vos approbastis.
Cons. Nodus hic nondum rei est.
Sed scitor istud. *Her.* Sacra Romulei Patris,
Ritusq;, leges, jura, & imperia probo.
Cons. Si jura fidei Romulæ in metas breves
Constricta, posses limite effracto, plagis

Infer-

Inferre mundi pluribus, non id tuus
Suaderet ardor? *Herm.* Ista quid quæris? scelus
Opere patratum, Judicis tractet forum,
Non sensa mentis. Corda rimatur Deus.
Cons Etiam tribunal corde rimatur, reus
Cum fraudis ageris.
Herm. Fraudis? & cujus? *Cons.* Sciam,
Cum, quid reponas, audiam. *Her.* Nec me pudet
Verum fateri. Vota si mentis rogas,
Te quoq; Senatum, Regiam, Regnum, & Patrē
Omnesq; latè limites mundi, sua
Aperire vellem lumina ad fidei jubar.
Cons. Magnum patrati sceleris indicium facis.
Herm. Sed perpetrasse me hactenus nondū probas
Cons. Auctor negandi patriam Arij fidem
Nulli fuisti? *Herm.* Patriam Arij fidem (die.
Per me negârit quispiam? Quando? *Cons.* hoc
Herm. Per me negasse neminem hic vidit dies.
Cons. Quid si probetur?
Herm. Neminem hic vidit dies. [Deum
Cons. Constanter istud asseris? *Herm.* Constans
Appello testem. *Cons.* Voce perjurâ abstine.
Quid collocutus fratri es? Arij ut sacrum
Pascha execretur
Her. Fratri ego? [ò Superi boni!
Quàm nulla amici pectoris tuta est fides!)
Cons. Et verba rupes audit, & loquitur nemus.
Solus locutus fratri es: haud solus tamen
Verba Recaredus audijt. *Herm.* Nemo mea
Aut arte fratrem, aut fraude seductum arguet.

Herm.

Cons Piscator adsit. *Herm.* Filium Regis, caput
Tam vile tantæ noxium culpæ facit?
Cons. Unde unde pateat veritas, semper sacra est.

SCENA XII.

Pamphagus (sub nomine Lucrini Piscatoris) contra Hermenegildum ad tribunal deponit.

Pamphagus sub nomine Lucrini, & ijdem, qui supra.

Cons. ADest Lucrinus. Stringite catenis manus
Pedesq.: lingua vinculis solum vacet.
Pam. Hoc ergo merui?
Cons. Perfidum atq; audax caput!
Prode ad Senatum scelera, quæ soli mihi
Dedisti in aurem. *Pam.* Præmiũhoc ergo mea
Pietas meretur? Crimen alienum tuas
Pietatis actus ignibus ad aures tuli:
Tu me architectum sceleris alieni facis.
Cons. Cur prodidisti? *Pam.* Credidi Regis caput
Immune pœnâ. Prodidi, ut ferres modum,
Non ut necares. Vita si Regis scelus
Hoc expiabit, fœdius mentem mihi
Scelus impiabit. Dicar insontem neci
Dedisse Regem. dumq; correctum minus
Exopto, majus ipse committo scelus.
Quæcunq; dixi, dicta nisi probes, nego.
Cons. Laniate membra; cædite infandum caput;

Divel-

Divellite artus artubus, donec sinu
Aut veritatem promat, aut animam vomat.
Pamph. Pereat Lucrinus; dummodo Regis meâ
Stet morte vita. *Her.* Juvenis infelix! times?
Nihil verendum est, vera si dicas. *Pam.* Jubes?
Her. Nec vita Regis scelere servanda est levi.
Pam. Parebo. *Cons.* Tandem navis in cursū venit.
Lucrine, quænam manibus hoc signum tuis
Fortuna fidit? *Pam.* Parte, qua Bœtis natat
Propinquus aulæ, fortè Recaredi è sinu
Cecidisse vidi: sustuli: mox ut notas
Nostro execratas dogmati aspexi, timor
Horrorq; mentem subijt. Hinc culpam reus
Ne traheret animus, manibus incautus tuis,
Casûs futuri nescius, Consul, dedi,
Cons Recaredus unde Colchicū hoc signum tulit?
Pam. Pietate fratris. *Cons.* Fine quo?
Pam. Ut constans Patris (sacra impio
Tolleraret iram. *Cons.* Quando? *Pam.* Cùm
Violasset ausu crastina. *Cons.* Hæc dicta ex fide?
Her. Nihil negabo. Vera Lucrinus refert.
Cons. Qua se recepit sede Recaredus?
Pam. Fuga
Densas propinqui nemoris intravit domos.
Cons. Quonam monente? *Pam.* Fratre.
Cons. Qua causa? *Pam.* Ut sacra
Vitet diêi crastinæ. *Cons.* Hoc verum quoq; est
Hermenegilde? *Her.* Vera Lucrinus refert.
Cons. Lucrine, fraudis ede constructæ modum.
Pam. Cùm jam virili luce trabeatus dies

Radiare

Radiaret axe pendulus, quà se Tagus
Affundit aulæ, vidi, & obstupui duos
Fratres amico vocis affatu gravem
Versore causam : propior accessi, siti
Verba audiendi, postq; carrectum latens
Et aure verba, & gesta luminibus bibi.
Cons. Peracta causa est : Signa confirmant : reus
Fatetur ipsa gesta, quæ testis refert,
Abi satelles, Filium Regis rei
Huc siste. *Her.* Frustra quæris: est tuto loco.
Cons. Illum imperasti Regiâ tolli? *Her.* Patris
Cura hoc popposcit. *Cons.* Quâ latet sede abdit?
Her. Quâ sit parente tutior; quam nec mea
Fortuna adire possit, aut vester furor.
Cons. Hoc ergo causæ deerat. Jam ultra nihil
Examinandum restat; allatum est satis,
Audi tenorem patriæ legis. Lege
Notar. Quicunq; Arij Sacra contemptu impio
Inhonestat, & se Romulo ritu inquinat,
Regno rebellis, contumax Regi suo,
Gravisq; regno : sceleris in pœnam caput
Subdat securi. Her. Lege non stringor : patris,
Tuo, Senatus publici indulto eximor.
Sancita testor pacta. *Cons.* Quæ primus reo
Infringis ausu. Fœdus effractum lege.
Notar. Quando paterni pronus affectûs amor
Fidem Quirinam indulget & mihi, & meis,
Ad fulmen ensis Regij, ad fulmen Dei,
Hermenegildus juro, servabo fidem,
Quàm debeo patri filius, & homo Deo,

Cliens patrono, Principi civis suo.
Si faxo contra. . . *Her.* Consul, attentus cape.
Not. Si faxo contra, fraude si quisquam meâ
Deserat Arium, vindice & ferro, & face
Rex ultionem capite de nostro cape.
Cons. Hermenegilde, causa confecta est; patet
Perjura fraus, & læsa majestas Patris.
Herm. Tenore pacti causa si exigitur, nihil
Mihi est timendum. Repete, quæ dixti ultimo!
Notar. Si faxo contra, fraude si quisquam meâ
Deserat Arium, vindice & ferro, & face
Rex ultionem capite de nostro cape.
Herm. Expende verba: cujus hic fraudis reum
Hermenegildum judicas? Nec me pudet
Jurare rursus: Arte si frater meâ,
Meoq; suasu Romulæ gentis fidem
Suscepit, ensi pronus objiciam caput.

SCENA XIII.

Intervenit Levigildus. Sententiam Senatus mitigare conatur. Obsistit Consul, non sine Regis offensa.

Levigildus, & ijdem qui supra, absente Hermenegildo.

Lev. CRedamne tenuem corde pietatis tibi
Ardere flammam, quando nec Numen times,
Nec amas parentem? Debita hæc merces meo
Erat favori? Filium admisi in sinum;

Mox

Mox in chelydrum versus, in mortem patris
Acuis furoris toxicum. Ingratum caput!
Infame monstrum! patris exitium tui!
Sic ludis aulam, fronte mentitus pij
Calorem amoris, corde succensos vomis
Ignes Averni? Rapite sceleratum procul,
Et ære vinctum mergite umbroso specu,
Dum paria tanto crimini offensus pater
Supplicia dicto. Jam, Patres, vestram fidem
Immunem amoris postulo, immunem metûs.
Aperite mentis sensa: quod crimen rei est?
Quâ vi probatû? Jura quam pœnam imperant?
Cons. Quo scelere Regis læsa majestas jacet,
Quo jura legum eversa, quo pacti vigor
Pessum datus perjurio, & nostræ sacra
Violata fidei, & patriæ oppressus status,
Sol ipse testis loquitur, & puro dies
Trabeatus auro. Testis auditus; reus
Confessus ipse; tot indices sceleris notæ,
Magno Senatûs vulnere, extorquent fidem.
Et quod pudendæ pondus adjungit rei,
Cur patris aulâ filium ablegat? Timor
Id nempe suasit. Timuit? Hoc signum doli est.
,Semper latenti crimini it socius timor,
Et quid coronâ Nobili cinctum putas
Egisse ad aras? Nempe meditatus viam
Dolum exequendi est. Hora pietati est sua,
,Suspecta pietas esse tibi debet, statam
,Cùm mutat horam. Fraudis hoc proprium est,
,Pietate tegere. Censeo mortis reum (dolum

Hermenegildum. *Sen* 1. Sponte confessus scelus
,Se damnat ipsum. *Sen.* 2. Jura non parcunt reo,
Qui jura violat. *Sen.* 3. Perdere meretur diem,
Quicunq; veram Numinis perdit fidem.
Sen. 4. Terrâ hauriatur, bella qui cœlo movet.
Sen. 5. Regale probrum Regius sanguis lavet.
Sen. 6. Caput rebelle capite minuatur suo.
Lev. Consilia justæ mentis, & rigidæ probo
,Zelum æquitatis Regna sed gemina basi
,Fundantur, æquitatis, & clementiæ.
Vestrum est rigorem persequi; leni meum est
,Attemperare gratiâ Justo modus
, Suus rigori est. Æquitas *constat bene*,
, Si lenitate misceas. Nimius rigor
, Crudelitatem barbaram aliquando sapit.
, Sic rigida sit Justitia, clementem tamen
, Ut sapiat animum. Pœna sic truncet scelus,
, Ut servet hominem. Nos jubet Reges Deus
, Populis mederi. Vulnera & morbos sat est
, Fugasse; at ægri vita servanda est. Fluens
, Semper cruore mucro, carnificem sapit.
Sic ergo pœnæ statuo decretæ modum,
, Maneat scelesto vita, tollatur scelus.
Cons., Vigore legis morte plectendum est scelus.
Lev., Rigore legis plectitur letho scelus.
,Stat sine rigore jurium constans vigor.
Moriatur ergo, legis ut constet rigor,
Mœrore cordis tabeat, & antri situ (mus,
Nam quid profundi est carceris squalens do-
Nisi mortis umbra, tumba viventis, brevis

Infer-

Infernus? Imo vivat, ut semper mori
Desideranti desit ad mortem via.
,Minus ille moritur, cui mori ad votum datur.
,Magis ille moritur, sæpe qui poscit mori,
,Votiq; nunquam redditur compos sui.
Conf. Supplicia Leges ordinant. *Lev.* Reges modū
Statuunt rigori. *Conf.* Quando non certâ patet
Statuta lege pœna: cùm certus tenor
Dubitare prohibet, nulla statuendi modum
Est causa Regi, *Lev.* Legibus regni eminet
Regia potestas. *Conf.* Et potestate eminet
Cultus Tonantis. *Lev.* Me esse clementem ve-
Conf. Clementia hæc crudelitas regno foret. (tas?
Lev. Hoc me tenebit dedecus, *Conf.* Deum magis.
Lev. ,Damnare scelera qui potest, idem potest
,Donare veniā. *Conf.* Sceleracùm tangunt Deū,
,Donare veniam, nisi Deus, nemo potest.
Lev. ,Punire scelera nemo, nisi Deus potest.
Conf. Pietatis hæc lex impium vulgus facit.
Non sumus ad altis Arcaden nivibus gravem,
Nec ad Bootæ frigora: Hispani sumus,
Hispana jura colimus, & veteri patrum
Tenore regimur. Consuli fasces sui,
Sua sunt Tribuno jura quæ pridem ligant
Populos Iberos, antequam extremo angulo
Septem Trionum Vandali & Gothi ad Tagum
Violenta ferrent sceptra. *Lev.* Quis rerū modus?
Quæ consulendi ratio? Quâ mundi plagâ
Regi Senatus imperat? Consul mori
Hermenegildum mandet? Ego mori veto.

,Abi hinc superbe. Quod libet, Regi licet.
O nos futuri nescios! uni ut malo
Statuamus obicem, sæpe non cauti alteri
Iter aperimus. Urbe dimisi viros.
Quos nunc voverem. Perge; par ventis vola,
Revoca Gradivum Martis Augusti: meas
Tu Prætor acies ordina, & portas tene.
Sed fluctus alius pulsat infaustam impetu
Pejore navim.

SCENA XIV.

Gosvvinta impotenter urget mortem Hermenegildi.

Gosvvinta. Levigildus, Cherintus ad partem.

Gosvv. - - - - - Crédule ò nimium tuo
Levigilde amori! Cerne, quis sponte in sinum
Allectus anguis? Esse crudelis minus
Tibi potuisses, esse voluisses magis
Si rigidus illi. Pejus an poteras tibi,
Mihi, tuisq; accersere, & regno malum?
Cui credidisti publicæ clavum rei,
Tuam salutem, stirpis augustæ decus?
Cui adhuc recenti sanguine madebat chalybs,
Qui Marte Græco fultus, & Græcâ fide
Tibi sacrilegâ fata portabat manu.
Sed astra tantum placida vetuerunt scelus.
Quid jam moraris? tygridem clandes specu,
Ut lactet iras, seq; collectus furor

Ex-

Gravior profundat Regiæ stirpi ultimam
Stragem datutus. Semitam quisquis sibi
Ad regna pandit, pandet ex antro viam.

Lev. Cramben recantas. Marte si bellum tulit
Hermenegildus, posuit, & fertum tacet.
Brevi furori æterna pendentur malè
Odia. Remittunt ista, cùm pietas redit.

Gosvv. O cusa ab auro sæcula! beati quibus
Sunt parricidæ; seq; redimitum scelus
Gaudet locati Regio excelsum thoro.

Levig. Quod ergo cœde barbarâ, & crudâ nece
Scelus piandum est? Romulam fratri fidem
Persuasit: at nec fata violenta intulit,
Nec membra membris vulsit, aut animum expulit.
Amoris hoc periculum est. Credit suam
Fidem salutis anchoram: hanc fratri exhibet:
Amore peccat. Ergo quod crimen vocas,
Dedecore culpæ & criminis probro vacat.
Quidcunq; patret, semper est insons amor.
Nec vindicantis provocat fulmen manus,
Sed blandientem corde pietatem excitat.

Gos. Generis Iberi dedecus! cœli probrum!
Impune tantum lentus excusas nefas?
Nec terra mugit, nec baratrales sinus
Nobis vorandis ocitans pandit solum?

Lev. Quam promeretur error, hanc pœnam ferat.
Nec ira Regem lentat, nec præceps decet.
Nec multa decet scelera populorum pati,
Ne lege crudâ mortis ulcisci omnia.

,Generis habenda est ratio, meritorum, indolis,
,Ætatis: & dum plaga sanari potest
,Leni medelâ, non decet ferro & face.
Hermenegildum non ferat quisvis dies,
Gosvv. Hermenegildum si unicus ferat dies,
Vindicta cœlo deplua everter domum.
,Non est Deus lædendus, ut prolem juves,
,Si lenta Reges fulmina in scelera vibrent,
,Violenta cœlum fulmina in Reges jacit.
Lev. Loqueris, quod ira suadet, & præceps furor.
,Quod agere ratio suadet, hoc Regem decet.
Meliorne quisquam regna post funus senis
Flectet parentis? Regna Recaredo tuo
Noverca velles? Regna Recaredo pater
Non destinabo: mente stat firmâ sacrum,
Non destinabo. *Gos.* Pectus ò crudum pijs,
Piumq; crudis! Ille quò vivat, jubes
Fidam perire conjugem? Nihil abnuo,
In ista telum viscera, in collum, in caput
Converte ferrum: vima occumbam tuo
Conjux furori. Hoc conjugem solum potes
Facere beatam; regna ne videat gravi
Polluta scelere. *Lev.* Vive; sed qualem decet,
Conjux marito obtemperans.
Gosvv. Ferox Scytha,
Cui patrius animum Cancasus, caput nives,
Gelu cruorem, pectus insedit rigor.
Si vilis adeò serva sum, aut plebis grege
Extracta mulier, ista quid radiat meo

Coro-

Corona capite? longa quid retro fluit
Tœnia? Valete Regiæ post hac notæ,
Notæ execrandæ! Regiâ & vitâ simul
Expulsa mecum patrios ritus feram.
Sed astra juro, juro Diis sacram stigem!
Mundi emovebo cardinem, ac unam simul
Mecum in ruinam Vandalum nomen traham.

SCENA XV.

Dum Rex à Cherinto solatium postulat, auditur feralis sonus campanæ populum convocantis.

Levigildus. Cherintus.

Lev. MIseranda Regis larva, Levigilde! Undiq;
Turbo fatigat turbem, & fluctus cadens
Levat jacentem. Natus hinc animum premit,
Hinc mœsta conjux. Desine aut dici pater,
Aut esse viduus incipe. Haud constant simul
Conjux, paterq;. Dulce si nomen patris
Delectat animum, dulce ponendum tibi est
Nomen mariti, Conjugis nomen magis
Si recreat animum, dulce ponendum tibi est
Nomen parentis. Illud ac istud seni
Grande est levamen: ponere alterutrum grave
Est vulnus animi. Si tamen nequeat duo
Constare secum nomina, excedat minus.
Facile est carere filio, quando patri
Supercst secundus. Filium tollis? gravi

Carebis hoſte. & liber inſidijs ages.
Hermenegildus pereat. Ah demens! tibi
Fræna rationis fœmina eripiat? Cave!
Cum morte nati fama clemens petit
, Quæ ſola Reges ornat, aut Reges facit.
Moriatur illa, filius vivat meus.
Jactura tumidæ conjugis grande eſt lucrum.
Cher. Quis te repente vulneris tangit dolor,
Magnanime Princeps?
Leu. Nulla quem ſanet dies.
Hic obſequentis Conjugis conſtans amor?
Hæc eſt Senatûs lenitas? *Cher.* Teſtor Deum!
, Irata mulier plura quàm dicat, facit.
Perſpectus animi Zelus in patriam fidem
Spem mitigandæ fœminæ nullam mihi
Supereſſe patitur. Non feret mentis calor
Jacere leges patriæ, & jura opprimi.
Leu. Vt ergo placeam fœminæ, aſpergam domum
Proprij cruore filij? partam hactenus
Maculabo famam? Sævus ut dicar, pij,
Delebo nomen? Senſa quæ mundus dabit;
Quæ Sigebertus? perfidus dicar meo
Struxiſſe nato pace mentitâ dolum.
, Suſpicio libitu fingit, & credit mala.
Cher. Tui dolores cordis arrodunt meum.
Leu. Sed quæ medela vulneri eſt? Quonam poteſt
Modo pruentis fœminæ extingui calor?
Aut ut Senatus mitior ciudam piâ
Sententiam ſententiâ immutet? Nihil
Cherinte menti ſubvenit? *Cher.* Magnum decus

Gene-

Generis Iberi? nescio votum meum,
Quod cuncta sperat; an magis nimius amor,
Qui cuncta credit, verticis canos mei
Involvit æstu. Scio cognosco indolem
Animi innocentis. Sed Sacerdoten haud decet
In facta Regum ferre censuræ notam.
, Laudare Regum facta si nequeas, tace.
Lev., Consilia amanti suggerit prudens amor.
Amas Cherinte filium infausti patris:
Consilia prome, ut jura stent firmo gradu;
Hermenegildus vivat, & voto suo
Amor patris fruatur: in domum feres,
Quemcunq; posces gloriæ in regno gradum.
Cher. Una meditanti semita aperitur. *Lev.* Refer.
Cher. Quando..
Lev. Quid æris iste campani sonus?
Cher. Tumultuantis plebis est signum. Deus.
Qui fata Regum ponderas, Regem juva.

SCENA XVI.

Levigildus intelligit Hermenegildum tumultu populi ad supplicium depoſci.

Levigildus. Prætor. Cherintus.

Prat. LEvigilde, civis omnis in ferrum ruit.
Lev. Quid hos furores excitat?
Prat. Consul fremit,
Ardet Senatus, æstuat vulgus, faces
Jactat Tribunus, per vias omnes furor
Communis undat. Parte quâ turris caput

Effert in auras, ariete admoto fores
Tunduntur aulæ. Mortis ad pœnam tuus
Hermenegildus petitur. Vrgentis mali
Regina ductrix crine dispersо furit,
Ferroq; & igne sævit, & cædem parat.
Leu. Pax ista belli semen, ò prætor, fuit.
Nunc te per illam candidæ mentis fidem,
Per Martis illum spiritum, & fortem manum,
Quam mihi sacrasti millies, Prætor, rogo.
Præt. Sincera rerum inturbine probatur fides.
Non ante Regi verticem attinget malum,
Quam nostra se per pectora infringat fuor.
Leu. Portum tenemus. Tu quoq; affectum proba
Cherinte Regis. Classicum cogat meas
In arma turmas. Summa constantis viri
Laus est ad omnem sortis infestæ impetum
Frænare sese, & stare rationis jugo.

CHORUS.

Deplorat errores hominum, eosq; docet breves esse.

Cæcus nimium, sensuque carens,
Qui videt aliquid, nec videt unde
Numine terras cœlumq; regi.
Mare inexhaustum luminis illud
Tot se radijs loquitur orbi;
Vt terra, aer æquor & astra
Taciturna licet, tamen auctorem
Patremq; suum muta loquantur,
Quod clima patet, sive extremo

Lic-

Littore ponti, sive rigenti
Cardine mundi, cui non suadet
Radius mentis pronos animos
Curvare Deo? Scytha inhumanus
Erigt aras, barbarus Indus
Thura Sabæis urit acerris.
Quàm patet orbis, patet & Numen,
Quam latet orbis, non latet, omnem
Qui regit orbem. Cur tamen ille
Luminis auctor nocte errorum
Paritur mentes hominum involvi?
Est, qui truncum, qui rude saxum,
Quiq; metallum pronus adorat.
Huic Leo Deus est, huic fera tigris,
Alius larvis adolet thura,
Alius natum de Styge monstrum,
Cererem, Bacchum Veneremq; colit.
Alius numen devorat, alius
Vrgente siti cyathis haurit.
Ast errorum est maximus error,
Studio plures solere vias
Quærere, ut erres. Illa Quirinæ
Scopulus fidei fabula Arij
Dudum tutas pertæsa vias
Errat, ut erret? parq; errores
Ducta minores abit in summos:
Nunquam vero satianda, diem
Veri obscuris quærit in umbris.
O Magne Deus, veriq; parens
Quem nec falli, nec datur hominum

Fallere sensus! quin semel hominum
Corda errorum solvis ab umbris,
Purumq; diem spectare tuæ
Fidei dónas? Sperate pij;
Quibus est cordi toto vera
Differre Dei dogmata mundo?
Sperate; brevis vita errori est
Jam mole suâ collapsa gemunt
Dogmata Arij, jam stygis imam
Turba errorum repetit sedem.
Et licèt irâ fremat insanâ
Ultimus Acheron, mundumq; suâ
Sede emoveat, sincera Dei,
Et sola fides, quà vasta patet
Terra, canetur.

ACTVS V.

SCENA I.

Cherintus miti, dolosâ tamen legis interpretatione componit ad quietem arma, quæ Regina, Senatus, & Populus ad extorquendum Hermenegildi supplicium arripuit.

Levigildus. Gosvvinta, Consul. Cherintus. Prætor. Tribunus. Plebs. Notarius.

Lev. TAntum supinus facinus, & insultus ferám?

O turba vilis! *Gosv.* Arma tingemus tuo
Cruore. *Cher.* Sidat mentium præceps furor,
Tumorq; ferri, ô princeps! *Lev.* Orci Draco,
Furia Acherontis! *Gos.* Larva sacrilega; Deo
Rebellis umbra. Huc arietem cohors age.
Lev. Huc congere arma miles: hic sævi; hic feri
Cher. Per quidquid astris, quidquid est terris sacrum,
Vos ego, potentes Principes, stratus rogo;
Dum pauca paci proloquor, vestras manus
Ferro abstinete.
Trib. Magne Rex, pronus tuum
Adoro sceptrum: plebis insanæ furor
Trahit abnuentem. Sistere furentem potes,
Si quem per arma poscit, impendis reum.
Lev. Mali architecte, plebis incentor: reus
Ille es sceleste. *Cher.* Siste furialem impetum
Tribune; quidquid postulas, Princeps dabit.
Lev. Mentiris hirce!
Cher. Magne moderator soli
Levigilde Iberi: venia sit paucis mihi
Turbam alloquendi: quidquid exposcis, feres.
Regina, quidquid poscis, est legis vigor
Gos. Ipse est.
Cher. Habebis. Magne Rex, poscis tuum
Hermenegildum vivere; *Lev.* Hoc ipsum peto.
Cher. Habebis. At Senatus, & Consul, fori
Vult æquitatem? *Cons.* Hanc postulat.
Cher. Habebit. Tua
Plebs ô Tribune, postulat legem. *Trib.* Hãc petit.

Cher.

Cher. Superi favetis! Omnibus votum est idem,
Omnes tamen rixantur, & sese impetunt.
Errore bellum ducitis. Tolle hinc trabem;
Hinc ariétem amovete, dum Regi loquor.
Invicte princeps, pectoris magnos tui
Laudo proboq; spiritus: ingens tamen
Discrimen instat. Multiceps populus fera est,
Et cùm furori fræna laxavit semel,
Ægrè domatur. Adde, quod miles tuus
Remotus est ab urbe. *Levig.* Revocatus manu
Et arma Regi sistet. *Cher.* At serò nimis:
Nec ante fortè, quàm tuum interitum fleat,
Redire demus: quale documentum dabis
Matri involutus, crastinus quando dies
Populum citabit Pascha sumpturum? Vide,
Ne festa lucis gloria in luctus eat,
Cœna in cruorem, & pascha non nocui gregis
Fiat macellum, teq; miserante obvios
Agni innocentes militis in enses eant.
Fidis Cherinto? amoris exemplum dedi.
Fidem experire *Lev.* Facta quæ voles, jube.
Cherinte, habebis.
Cher. Pauca, quæ loquar, quoque
Regina, pauca Consul & populi accipe
Tribune. Terror sanguinem in venis gelat,
Quando excitandæ video bellorum faci
Fervere cives, nosq; vix tersas genis
Iterum vocari ad lachrymas. Plebis levis
Repentè in arma surgit insanus furor,
Sed & repentè languet, Haud longa morâ

Exce-

Exercitati militis turbo potest
Urbis replere compita, & cives gravi
Strage sepelire. Vultis hanc rixam pio
Sedare amore? *Cons.* Dummodo juris vigor
Legisq; constet. *Cher.* Stabit illæsus vigor:
Attendite oro. Gemina damnandum facit
Hermenegildum culpa: quâ lædit Deum,
Religio vetita: quâ patrem, & Regem ferit,
Perfidia. *Cons.* Summa hæc est rei.
Cher. Læsus pater
Culpam remittit. Propriam cuivis licet
Injuriam remittere. *Leu.* Hoc lubens probo.
Cons. Nec improbamus.
Cher. Culpa quæ tangit Deum,
Examinanda est. Rigidus est equidem Deus,
Tamen & benignus: dumq; suspensum scelus
Mortale librat, Judici miscet patrem.
Veniam Senatum posco: quam rigidam putas
Lex mitis ista est. Verba libremus. Lege.
Notar. Quicumq; Arij sacra contemptu impio
Inhonestat, & se Romulo ritu inquinat,
Regno rebellis, contumax Regi suo,
Gravisq; regno, sceleris in pœnam caput
Subdat securi. *Cher.* Legis hic puræ est tenor.
Libremus ergo singula: officij hoc mei est.
Not. Quicunq; Arij sacra contemptu impio
Inhonestat, & se Romulo ritu inquinat,
Cher. Subsiste. Verum est: dogma Arianũ impro-
bat
Hermenegildus. Ipse confessus palàm est.
Sed culpa nondum mortis hinc trahitur. Lege.

Notar.

Notar. Regno rebellis, contumax. Cher. Siste. Hic rei
Cardo involutæ vertitur. Non est satis
Legis vigore, asserere Romanam fidem,
Nisi contumacis crimini accedat nota.
Peccare pronum est, nostra dum semper labat
Natura, quisquis contumax constat suo
Sceleri, meretur Numinis & hominum odia.
Cons. Nunc teneo sensum legis.
Gosvv. Hoc facilè scies,
An contumaci mente defendat scelus.
Cher. Reum ergo Genitor filiũ accerse: admone;
Sumat Cherinti pascha damnatum manu:
Dolum dolore pellat; exemplo suo
Consilia damnet. Melius est, curvet caput,
Quàm perdat. At si contumax rupe impium
Induret animum; legis erumpat rigor,
Minus obstinato vertice recisum nocet.
Lev. Nisi sit paterno degener genio, nequit
Esse obstinatus. *Cher.* Ore dependent tuo
Lethum, salusq; filij. Eloquio valet
Amor paternus. Fortè vicinæ necis
Concussit animum terror, ut mitis specu
Revertat agnus, qui speeum ingressus Leo est.
Quàm vita facili constat? admissi dolor
Si subeat animum sceleris, erasum est scelus.
Lev. Consilia sector sana. Gosvvinta, an placent?
Gosvv. O me beatam, si una sit regno fides,
Ritus Tonantis unus, atq; unus calor
Rei fovendæ publicæ! *Cons.* Stellas meras
Locutus es Cherinte. *Cher.* Sic votis meis
Se-

Secunda faveant sidera? & linguam patri,
Pectus resolvant filio. *Lev.* Hinc Prætor vola,
Qua parte presso ad carcerem tendit solo
Fundamen arcis; filium suavi trahe
Ad obsequendum vinculo: incensam interim
Furore motæ plebis extinguam facem.

SCENA II.

Cherintus & Pamphagus de rei eventu varie divinant.

Pamphagus. Cherintus.

Pam. CHerinte, dignum Delphicâ lauro caput,
Dignumq; mithrâ; vincis, & merito trahis
Pompam triumpho.
Cher. Pompa mihi major foret.
Si juvenis ille lege decretæ necis
Liber secundos duceret vitæ dies.
Pamph. Hermenegildus? *Cher.* Ipse.
Pamph. Num facti subit
Pudor, dolorve? *Cher.* Pamphage, arcanos tibi
Sinus revelo. Triplici nondum mihi
Obriguit ære pectus humanâ nihil
Ut sorte pungar. Illa jam fessi senis
Patris q; luctæ, spes, metus lachrymæ, dolor
Mihi quoq; pectus lancinant. Non est levis
Mœror parentis, quando, cui vitam dedit,
Necessitate legis aut fati ad necem
Damnare Judex cogitur, Non est suus,

Natu-

,Natura si quem nomine parentis beat.
,Ætate fessus vivit in sobole pater,
,Moriturq; morte prolis. An vivet, suam
Si perimere ipse cogitur vitam nece?
Pamph. Te sors parentis dura, me casus movet
Nati siniſter. Quemq; facilius paris
Fortuna tangit: te senis, Juvenis mihi
Cruenta fata pectore evellunt fibras.
In vere primo gloriæ, ac primo die
Solij paterni cadere sub ferrum caput
Dignum coronis mille, quis rigido Geta
Natus parente, aut maris spumâ editus
Videre poterit Atreus siccis genis?
At ille mentis integræ infractus vigor,
Affatus ille dulcis, & pulchro fluens
Ab ore virtus, ille magnanimus necis
Contemptus, ille frontis & vultus color
Nullo dolore varius, aut alius metu,
Quanto vel ipsum criminis possunt fabrum
Mergere dolore? Pectoris juro fidem,
Quando ad Senatus causa versata est forum,
Fictam videbar lachrymam ex oculi, dare,
,Et vera fluxit. *Cher.* Fata nolentes trahunt.
,Periculum instans multa persuadet: furens
,Mulier nefanda tentat: in Superos amor
,Illicita licitis miscet, & legis tenax
,Animus rigores esse virtutum putat.
His cruda miserum fatu in exitium suum
Regem trahebam vinculis. *Pamph.* Sed quis tei
Hujus futurus exitus? Speras patris

Emole-

Emolliendum voce? num contra magis
Animum obstinabit?
Cher. Mente suspensâ hæreo,
Animumq; variâ lance libratum levant,
,Premuntq; spes hinc, hinc timor. Sẽper tenax
,Magis est malorum pectus humanum: bono
,Facilè juventus cedit, & inhæret malo.
Fors duriorem cautæ naturæ rigor
Votiq; faciet sanctitas: forsan tamen
Ambitio vitæ, conjugis constans amor,
Amorq; prolis mollier, quodq; assolet
Mollire scopulum, lachrymæ mœsti patris
Frangent vigorem pectoris. At adest senex.

SCENA III.

Levigildus frustra blanditiis & minis tentat Hermenegildum.

Levigildus. Hermenegildus. Prætor.

Lev. REddatur aulæ filius, veteri latus
Murice, coronâ verticem, sceptro manũ
Ornatus. Aliis arbitris sedes vacet.
O sempiterni sermo divinus Patris,
Idemq; proles, tuq; communis Patris
Natiq; nexus, cujus afflatu pio
Ut tecta pateat veritas, linguas polus,
Cadavera ipsa spiritum, & voces habent
Inculta saxa! causa versatur tua.
Da scire, posse, & eloqui: patris dolor

Ut

Ut mitigetur, cultus ut crescat tuus.
Impende linguæ verba, quæ frangant suo
Cor pertinacis impetu. Per me diem
Si vidit ille Solis, ah! videat quoque
Fidei nitorem. *Præf.* Promptus ad nutus tuos
Hermenegildus adstat. *Leu.* O gratas vices!
Hermenegilde, meus amor, meus timor!
Venisnè fili promptus ad nutus meos?
Herm. Est legis instar unicus nutus patris.
Lev. O anima patris nate! pars melior mei!
Hæc obsequentem filium patri decet
,Responsa ferre. Stemma quos profert idem,
,Eadem voluntas uniat. Frustra est pater,
,Qui contumacem filium mundo dedit.
Nec natus ille est, sed suæ stirpis probrum,
Qui blanda mitis verba non audit patris.
Herm. Agnosco patrem: filium agnosce ò pater.
Tuum gubere est genitor, & meum obsequi:
Seu me vocare filium, seu me velis
Vocare servum *Leu.* O vita morientis senis!
O patris anima! Quamlibet Regis mihi
Patrisq; nomen jure conveniat; tamen
Unum potentis, alterum tumidi reor.
Voca me amicum. *Her.* Vertere exilio jubes
Suscepta regna? non minus promptum scies,
Quàm exilia regno vertere.
Levig. Hi patrem procul
Fugiant rigores, Posco, quod possit tua
Reddere voluntas sola. *Herm.* Si constat meâ
Patris voluntas, antequam poscas, habes.

Levig.

Lev. Dulce ò levamen! patris afflicti salus!
In Romulæam quantus hoc regno fidem
Furor odiumq; bulliat, fili vides.
,Periculosa semper est novitas, licèt
,Laudanda fortè. Providæ mentis puto,
,Si quando regni sceptra sumuntur novi,
,Cum veste mores sumere, & regni sacra.
,Confusiones rituum, sectam excitant:
,Divisa secta dividit mentes: abit
,A mente in enses scissio, ferrum Deum
,Dum quærit, ipsum vertit in fugam Deum.
Et sic potentis interim regni decus,
Populiq; robur strage miserandâ ruit:
Hoc ergo Patri obsequere, Romanam, licet,
Sequare legem, quando Romanos ages
Inter penates: quando te Numen jubet
Hispana regna flectere, Hispanis tibi
Legibus agẽdum est *Her.* Regna diversos habẽt
Diversa pannos, non Deum. Alienis licet
Mutare vestem ritibus; sed non Deum.
Est mundus unus, unus est Deus, fides
Est una, quaquà vastitas mundi patet.

Lev. Unum esse nùmen, non nego; occultâ tamen
Sub nube tectum: nube at errores videt,
Ridetq; nostros, nec tamen fulmen jacit.
,Pietatis error noster est: pietas suo
,In flore regna servat. Hinc Regem decet
Vetera tueri sacra, & antiquam fidem.
,Quodcunq; novitas penetrat in regnum, grave
,Discrimen adfert. Publici errores trahunt

Secum

,Secum furorem publicum. Patris fidem
Quid nate abhorres? Ne tamen cogam, tibi
Concedo nate corde Romanam fidem:
Sed lude populum: patrios ritus dolo
Prudente finge. Principi fraus hæc licet.
,Quod esse fraus in cive privato solet,
,In Regibus prudentia est. *Her.* Si non nocet
,Simulare, licitum est. Impius verè est tamen,
,Qui se esse simulat impium. *Lev.* Arcano fidem
In corde servat. Cordis est, precium dare
Vitiumq; factis. *Herm.* Opera sine verâ fide.
Sunt cor sine animâ: tecta sine operibus fides,
Anima absq; corde est.
Lev. Non jubeo Colchi tamen
Sumere venena, Panis Arij quoq;
Est panis è cœlo datus: panis cibum
Cuicunq; fas est sumere.
Herm. At non hac manu,
Non tempore isto. Sæpe quod scelere vacat,
Fit aut ab ipso tempore, aut loco scelus.
Lev. Nec primus es, nec ultimus.
Herm. In Orco quoque
Nec primus ero, nec ultimus. *Lev.* Legis genus
Est usus. *Her.* Hic si est impius, habet impiæ
Legis vigorem. *Lev.* Quidquid è cœlo Deus.
Tolerat benignus, impium dici nequit. (Deus.
Her.,Quod longa tolerant sæcula, hoc plectit
Lev.,Gemitus vel unus placat iratum Deum.
Her.,Pœnam meretur, qui piam veniam suis
,Præsumit ausis, *Lev.* Quisquis invitus nefas,

Ad-

, Admittit, omnem sceleris evitat notam.
Herm. ,Cui mors amatur, facilè declinat scelus.
Lev. , Peccata Regem sancta sunt, quibus basis
, Stat firma regni. *Her.* Firma stet cordi fides
Pereunte mundo. *Lev.* Tempus ingenio teris,
Amate fili Parce morienti seni,
Tuæ Juventæ parce. *Her.* Quod possim, jube.
Lev. A me tulisti regna: tu leve hoc mihi
Hermengilde cedé: *Herm.* Terrarum mihi
Regnum dedisti, regna sed cœli rapis.
Lev. , Studium obsequentis filij culpâ vacat.
Herm. Facit obstinatum filium imperium impium.
Lev. Ergo ego sceleſtus, impius, iniquus pater?
Soli tibi animi purus illuxit dies?
At me, Novercam; totq; Sapientum scholas,
Regni tot urbes, insulas stantes mari,
Omnes profundus mentis oppressæ stupor
Tenet involutos; Veritas uni tibi
Affulget; error ambitum mundi ligat?
Sint æqua, iniqua jussa mandantis patris,
Studium obsequendi in filio cœcum volo.
Herm. Ego in parente providam mentem rogo.
Lev. Auctoritate Reginâ jubeo. *Herm.* Vetat
Regis potestas altior. *Lev.* Ab imis traham
Venis cruorem. *Her.* Corpus hoc terræ dabo,
Animamq; cœlo. *Lev.* Funeris honores tuo
Negabo cineri. *Her.* Sidera impedent faces,
Urnamq; cœlū. *Lev.* Nempe sic fidem probas,
Teq; innocentem! perfide, infamis, latro
Et parricida, vomica furialis Stygis!

Credam Deum timere, qui spernis patrem?
Pone sceleratâ Regiam virgam manu:
Pone diadema capite quod nocuo suum
Perdit colorem: pone, quem frustra geris,
Ensem æquitatis vindicem, ut fiat tuæ
Feritatis ultor. *Her.* Licita dum mandas, habes
Natum obsequentem. Quidquid hic perdo, lucror,
Jactura levis est, grande quâ fœnus venit.
In me furoris ultimam flammam egere;
Clemente in alijs protege amplexu fidem.
Lev. O quantus iste surculus stirpis meæ,
Quem trunco genitor!) Patrius sensus redit,
Placidaq; pietas. Esse si nolim pater,
Natura cogit Parce si nimiâ furor
Acerbitate tonuit. expressit dolor,
Quæ pressa vellem. Nate per canos meos,
Per sancta generis jura, per nomen sacrum
Nati patrisq;, sana consilia tibi
Audi ingerentem. Quidquid irarum fuit,
Transierit: ex hoc genitor ac pietas redit.
Pare admonenti.
Herm. Posce, quod numen probat.
Lev. Superbe fili! pedibus affusum tuis
Vis me videre? cerne. Jus vitæ meæ,
Meæq; mortis dextrâ versas tuâ.
Vis me perire? pertinax autem obstrue.
Vis me beata luce genitorem frui?
Inflecte mentem. Nate te pátri, patrem
Tibi reserva, filijs avum tuis.

Herm.

Herm. Perire nequeo, salva si constat fides.
Lev. O pertinacem mentis aversæ luem!
Non surdiora saxa Tyrrheno quatit
Reciprocante fluctus undarum vice.
Causa est peracta: perdidi litem; caput
Tu perdidisti. Quid meos luctus traho?
Lugubre cives classicum ad funus vocet.

SCENA IV.

Levigildus constantem in fide Hermenegildum, ut pertinacem Civium furori ad supplicium tradit.

Levigildus. Hermenegildus. Consul. Tribunus. Chorus. Civium.

Lev. QUæ precia ponam legibus, Cives palàm
Videtis. Altum stemmatis testor decus,
Patriumq; amorem, & publicam famæ tubam,
Quæ quidquid aulâ tegitur, in apertum trahit,
Non fraude, non livore, non turpi metu,
Quæ nunquã in istum cordis intrarunt sinum;
Sed amore legum victimam infastam in manus
Vestras resigno. Perge, qua pergis, tuum
Sacrare Averno spiritum.
Herm. Ah! cœlo tuum.

SCENA V.

Hermenegildus jamjam morte afficiendus loco supplicij sistitur.

Hermenegildus, Consul. Tribunus, Chorus Civium.

Cons. HErmenegildus: tragica, quæ vitam tuam
Fortuna versat; pene me mihi eripit;
Omnemq; sensum cordis extinguit dolor.
Sed parce Princeps: nec tuæ vitæ est tibi
Libera potestas; agere nec fas est mihi,
Quod adluberet. *Her.* Surge: quo fletu meam
Sequeris procellam, dilue errorum tuum.
Cons. O eminentis cordis intrepitus vigor!
, Ineunda arena est ultima. Extremæ vices
, Omne evocare pectoris robur solent.
Adi ergo forti pectore supremam necem.
Tuo monili porrige ligandas manus,
Chor. O crudeles, rigidæq; vices
Sortis acerbæ! Quod fuit antè
Soli orienti decus & splendor,
Infame probrum fit morienti.
O mortalis gloria fumus;
Aura instabilis! purumq; nihil!
Cons. Lugubrem ephœbi nobiles humeris date
Pendere chlamydem, Regiæ pompam necis.
Chor. O crudeles rigidæq; vices
Sortis acerbæ; Quem Sol vidit
Veniens ostri luce superbum,
Tenebris mersum Sol videt abiens:
O mortalis gloria fumus!
Aura instabilis! purumq; nihil,
Cons. nes refuge pullo lumina involvi peplo,

Ne

Ne chalybis horror pectus, aut oculos amor
Teneat fruendi loce mortali nimis.

Chor. O crudeles, rigidæq; vices
Sortis acerbæ! Gemini Soles
Frontis amœnæ, qui veniente
Sole ardebant, sunt duo noctis
Sidera, puro ex axe caduca.
O mortalis gloria fumus!
Aura instabilis! purumq; nihil!

Cons. Genua recurva. O tragica fortunæ rota!
Quis caute durâ durior spectaculum
Oculis pavendum, vultui execrabile,
Et cordi acerbum videat, & lachrymis vacet?
Si vota mittere libet in cœlum, licet.

Herm. Supreme Regum, pacis in sinum accipe
Regis cadentis spiritum. Soli tibi
Debetur ille; cætera in terris manent.
Cor sit parentis: fratris, exuviæ: meæ
Exempla vitæ, conjugis: natus meus
Sit fortis hæres mentis invictæ: fidem
Hispana regna sanguine è nostro bibant.

SCENA VI.

Intervenit Recaredus: movetur tristi spectaculo: proclamat innocentem Hermenegildum: se rerum fatetur: appellat ad patrem: dilationem supplicij impetrat.

Recaredus. Casimirus. Iidem qui supra.

QUæ pompa tristis funebri terret mea
Nemora apparatu?
Cons. Perge, quâ pergis viâ,
Generose Princeps. *Rec.* Scena quæ luctûs refert.
Cons. Tuæ saluti victima paratur, bono
Regni, patrisq, commodo. *Rec.* Verbis tegis
Quod terret animum. Miles hanc frontẽ ocyùs
Mihi revela. *Cons.* Patris imperio moram
Recarede ponis. *Rec.* Fasciam solve ocyùs.
Cons. Resolve miles.
Rec. Quid moras tantas trahis?
An explicas? an implices? Bubo hinc abi.
Quid hoc? labori subtrahunt sese manus,
Rigidæq; trepidant; ossa convellit tremor,
Et cor in ima sede constringit gelu:
Arcana vis retro reluctantem trahit,
Quid video? an umbrâ ludor? est frater meus.
Herm. Recarede! *Rec.* Frater,
Herm. Discè non timidè mori,
Honesta fidei causa cum cogit mori.
Rec. Consul, nocentis verticem in pœnas trahe,
Parce innocenti. Nullius culpæ reus
Hermenegildus est: ego admisi scelus:
Me me securi subde.
Herm. Quid frustra es pius?
Consul. Convictus ille jure est. *Rec.* Per fraudem.
Consul Pater
Quemcunq; justus judicat reum, est reus.

Recar.

Rec. Veri colore Judici illusit dolus.
Cōs. Quæ allata, quæ probata, discrevit pater.
Recar., Hoc est dolosi proprium, fraudi dare
, Veri colorem, *Cons.* Filij ubi librat pater
Crimen patratum, fraudibus non est locus.
Rec. Fraudes in aula principem locum obtinent.
Ego fefelli; pœna debetur mihi.
Her. Mihi imperata est. Obsequi vel sic volo.
Rec. Fratri imperatum est, exequi quod me decet.
Herm. Spes una magni vive Recarede ò patris.
Recar. In me bipennem lictor ultricem vibra.
Herm. Sine, exequatur Regium imperium patris.
Recar. Suplicia frater merita si sceleri meo
Vetas rependi; justus hæc genitor dabit.
Consul, bipennem fascibus rursum illiga,
Donec parentis libra discernat reum.
Cons. Jam Sol recedit, pronus in noctem dies
Præcipitat ignes: arbiter causæ novus
Cogi Senatus, non potest. *Rec.* Nihil est novo
Opus senatu, quando me sisto reum.
Cons. Repetamus ergo carceris cœci specum,
Donec in apertam veritas lucem caput
, Illustre tollat. Sera sed puram solet
, Videre lucem veritas. *Rec.* Mecum pete
Casimire patrem, criminis testis mei.

SCENA VII.

Cherintus & Pamphagus fraudes su-

as

as detectas dolent : iſte fuga ſe proripit, ille in Boëtin ſed de ſcopulo præcipitat.

Cherintus. Pamphagus.

Cher. PAmphage, quid agimus ?
Pam. Perge, quà fluit Acheron,
Quà Phlegra ſpumat, quaq; Cocytus pice
Ardet perenni : non ſatis crimen fugis,
Niſi orbis extra limites imo caput (voles,
, Phlegetonte mergis. *Cher.* Scelera qui prodi
, Confide puero. Sapere ſed poteram ſenex,
Et quod tegi ſilentio volui, prior
, Nulli retegere, Nemo te prodet, tua
, Si arcana nulli detegas. Pueri levis
Senſus, vacillans animus, inconſtans fides,
Suſpecta canis eſſe debebant meis,
Si texta per me tela potuiſſet tegi,
Felix ſecundo tenderem ad honores gradu.
Sed ubi retextæ fraudis aperitur dolus,
Enorme crimen panditur. Quid nunc ſuper
Pamphage Cherinto eſt ?
Pamph. Pamphago quid eſt ſuper
Cherinte? Gladius, laqueus, & furca, & rogus,
Ut ſoleo, vultum rurſus alienum induam,
Oculisq; luſis civium arripiam fugam.
Cher. Me fugere prohibet feſſus ætatis tremor,
Gravisq; ſcelerum ſarcina. Statutum eſt mori.
Hic rupe ab iſtâ memet in præceps dabo.
Pamph. Cherinte canis parce,
Cher. Non poſſum : feror

Nolens

Nolens latente spiritu. *Pamph.* Vivus Stygis
Mergêre sponte lacubus: Ego cautus fugâ
Meæ saluti consulam. I, quà te tui
Agunt furores, & lacessito polo
Molem cadentis fulminis ab auris trahe,
Scelerum tuorum vindicẽ. *Cher.* Tandẽ ultimũ
Calco theatrum. Phœbe non semel meo
Scelere impiate, curribus versis fuge,
Raptumq; mundo territo incinera diem.
Me fax trisulca, me gravis cœli vapor,
Me turbo flammæ sulphure & pice æstuans
Perimat nocentem. Statis ad votum rei
Surda astra? Statis? Fœda furiarum cohors,
Chymæræ, Erynnes, Cerberi, & quidquid latet
Stygiâ sepultum nocte, Avernales sinus
Pandite Cherinto. Quid times tantâ senex
Onuste scelerum mole? Supremum adjice
Scelus sceleribus: tuta per Bœtin ratis
Ibit in Avernum. Mergere, & fato tuo
Suum redire scelera in auctorem doce.

SCENA VIII.

Recaredus coram Levigildo totam fraudum telam retexit. Mittit Levigildus, qui jubeat filium innocentem carcere extrahi.

Levigildus. Recaredus. Prætor. Casimirus. Prætor Augusti.

Lev. O credula nimis rebus in dubijs fides!
Sic misera lauditur aula, quâ cœcas doli
Fixêre sedes: cuius invidia fores
Livorq; munit; cuius in medio sedent
Odium furorq;. Cingimur multo latus
Undiq; cliente, sed tamen multo latet
Cliente multus proditur. Non est novum,
Sub innocentis pallio absolvi reum,
Et innocentem morte damnatum opprimi.
Nec ipse facilè an innocens, an sis reus
Dijudicâris, quando virtutum induunt
Scelera colorem, & misera nudatur suo
Virtus amictu. Prætor hinc velox abi,
Sceleris repertum Consuli auctorem refer.
Hermenegildum absolvo. Restituat notas
Sceptri, coronæ, ac purpuræ; & rursum meæ
Reponat aulæ: vertat in Græcos duos
Strictam bipennem. Tuq; sceleros um caput.
At ecce, scenam Prætor Augusti subit.
Sidit tumultus militum, & tuæ quies
Reposita pacis? *Prat A.* Fraudis inventū fuit.
Miles quiescit, paxq; tranquillum tenet,
Turbat nunquam. Firma præsidia attuli
Hermenegildo, Causa quo posita est loco?
Lev. Meliore. *Pr. A.* Vivo. Scena quæ vultū su-
Recaredus ante Regios stratus pedes? (bit?
Lev. Siles sceleste? Loquere: contextæ impium

Evolve

Evolve nodum machinæ, retege scelus
Quod sera quondam fortè non nocuo mihi
Fama imputabit. Eat in auctorem dolus.
Hermenegildus ergo persuasit tibi
Despicere jura patria, & imperium meum?
Rec. Ego architectus fraudis, ego Romæ fidem
Simulare doctus illa consilia erui.
Pr. A. O astra! *Lev.* Nondū nodus hic rei patet,
Quis tibi dolosis artibus mentem imbuit?
Rec. Cherintus. *Pr.* Ille candor est rigidi senis?
Hæc sancta pietas.
Lev. Quod tibi antidotum dedit
Hermenegildus? *Rec.* Hoc quoq; extorsi dolo,
Ut imputati sceleris indicium darem.
Lev. Quo consulente? *Rec.* Cujo à ductu hactenus
Steti, Cherinto. *Pr. A.* Pene me justi mihi
Rapiunt furores. *Lev.* Siste, dum plura eruam.
Quis ille testis, cujus affatu reum
Fratrem Senatus egit? *Rec.* Est Græcus, senis
Servus Cherinti. *Lev.* Quis repentinis agi
Vertiq; furijs militem ad patrem tulit?
Rec. Idem Cherinti servus; ut nullum reo
Præsidium adesset.
Pr. A. Pamphagi indicium facis.
Rec. Is ipse fraudes miscuit. *Lev.* Sed quis dolos
Persuasit auctor Pamphago?
Rec. Vulpes senex.
Lev. Sed quis Cherinto? *Rec.* Turpis exilij metus,
Regina quo damnaverat. *Lev.* Reginam amor
Egit tuendi jura, Nihil istum in dolum

Egit Senatus? *Rec.* Credidit verum scelus.
Ego, ego cruentus ille sum fraudis faber,
Ego machinator criminis, falsum nefas
In innocentem condidi & verum impius
Nefas patravi: pœna debetur mihi,
Lev. Tuum est sceleste crimen, & dolor est meus
Quem nullus oculis patris absterget dies.
Hic ille fictus impiæ frontis color,
Tenor modestæ vocis, & regni ambitu
Immunis animus! Crede jam illusus pater
Frontis theatro; quandu latebrosi sinus
Vastam pavendi criminis scenam tegunt.
Equidem deceret ense transfagidi tuum
Scelerate pectus: quando Juvenilem tamen
Culpam fateris tempori, & fratrem eruis
Præsente morte; sisto commotum impetum;
Meumq; rursus filium agnosco pater.

SCENA IX.

Adfertur nuncium perempti Hermenegildi. Unde Rex desperatione agitur.

Prætor Regis. Levigildus. Recaredus.
Prætor A. Chorus.

Prat. R. O Livor! aulæ scopulus! ò quantæ tuis
Periêre naves fraudibus! quantis agis
Invidia Reges claudibus? & aulas strophis
Vertis, revertis, erigis, & iterum opprimis.
O casus atrox! *Lev.* Mitis infaustum polus

Retun-

Retundat omen. Aliquis an tangit patrem
Luctus? *Pra. A.* Medullas horror attonitus.
Lev. Effare casum. *Pr. R.* Jussa facturus tua[quatit.
Dum propero cæci carceris ad antrum, steti
Bœtis propinquo littore, & vidi (dolor
Permitte verba!) Mysta sacrorum incitus
Furore, an æstro? crine bachantis modo
Dispersо in auras, voce non hominis fremens,
Suiq; sponte carnifex, jactis probris
In astra, in homines, in reluctantem mori
Animam, execratis Regiæ Augustæ dolis,
De rupe sponte lapsus, infandum caput
In præfluentes vortices mersit Tagi,
Meritaq; Averni incendia per undas adit.
Lev. ›Est justa cœli pœna. Non differt diu
›Supplicia Nemesis. Jactus in cœlum furor
›Repetit furentem. Scelera qui fecit, ferat.
›Si tortor absit, conscia mentis dolor
›Satis nocentem lancinat. Sed nec Tagi
Congesta moles, nec perennantes Stygis
Undæ impiato pectore infandi eluent
›Labem facinoris. Impium letho datum,
Licet execrando, nemo sapienter dolet.
Prævenit iram Regis, & justam mei
Nemesin furoris. Sed refer, quidnam meo est
Hermenegildo. *Pr. R.* Casus ubi pavidum gravis
Attonuit animum, propero, subiturus forum,
Spaciosa quà se fundit ad turrim via.
Stabat coacto miles gyrum globo,
Densusq; circum populus arctabat forum,

Spectaculi avidus, Parte nunc istâ viam,
Nunc scrutor illâ, at undiq; accessu vetor,
Densante nimbum plebe. Tum pullum trahens
Hermenegildus syrma funereum subit
Mortis theatrum: lictor utrimq; ad latus
Bipenne strictâ sævus incedit comes:
Sequitur Senatus. Jamq; constiterat suo
Funesta tragicæ pompa fortunæ loco:
Cûm Consul; agite [voce ferali intonat]
Agite, statutum in scelera supplicium cadat.
, Dilata pœna sævius torquet reum,
, Nocetq; populo. Sæpe dum nectis moras,
, Consilia mutant Principes: patres sui
, Dulcedo tangit sanguinis. Ne quâ morâ
Jura æquitatis corruant, aut Rex vetet
Reum seruri subijci, sententiam
Latam exequamur. *Lev.* Jussa tu nostra impijs
Non expediisti? *Prat.* Quantus elatæ sonus
Vocis valebat, sistite inclamo, necem
Tribune siste: Consul Augusti excipe
Mandata Regis. Qualis ad fremitum maris
Stat surda Calpe, surdus ad vocem meam
Stetit Senatus, Consul, & lictor ferus
Legis vigori intent9. *Lev.* Heu miserũ patrem
Miserumq; Regem! *Pr.* Subijt incensum furor
Animum; sagittam promo: Lictorem peto.
Attonitus hæret ille: cûm meæ interim
Adsunt cohortes: dumq; vix vertor, meis
Signum daturus, parte quâ curæ meæ

Rimen-

Rimentur aditum, voce confusâ audio
Sonare gemitus; repeto luminibus atrox
Mortis theatrum. Heu tristis! heu nullo satis
Ploranda in ævo scena! ceu veris decus
Purpurea ferro carpta se inclinat rosa,
Caput verendum Regis in terram cadit.
Recarede dextram subijce cadenti patri.
Rec. O chare genitor! ò meâ sortem! Pater!
Lev. Heu me sceleste! perditum, infamẽ, impiũ!
Abominandum Tartarj monstris caput!
Pandere profundi flammea Achérontis specus,
Dévolve me, combure me, consume me.
Exple furorem Cerbere: auctorem, & scelus
Involve eodem turbine, & eandem Sygis
Rape in cavernam. Quis mihi ferrum eripit?
Reddite nocenti acinacem, ut scruter viam
Animæ impiatæ. *Rec.* Genitor ultricem meas
Verte in medullas dexteram, & ferri sitim.
Ego parricida sanguinis legem, & sacra
Jura violavi: solus ego fratri impius.
Solus ego potui, & volui, & explevi nefas.
Lev. Impie, sceleste, barbare, sacrilege, hominum
Odium & Deorum! tolle funestum hoc mei
Diadema capitis: tolle, sed voto patris,
Et forte fratris. Scena, quam ploro miser,
Tibi aparatur. *Rec.* Pande Avernales sinus
Revoluta terra, conde me, matrem, patrem,
Scelerati Arij dogma, delubra, & focos.

SCE-

SCENA X.

In terrâ funus inter stellas, in cœlo anima Hermenegildi exhibetur, accurrit Levigildus, aula, & populus.

Casimirus. Levigildus. Prætor uterq;
Chorus cœlestis.

Cas. COncurre civis; grande prodigium aspice.
Sacra urna vacua est: surgit ex urnæ (sinu
Radiata Solis flamma; & effusis cruor
Vertitur in astra; quotq; tetigerunt solum
Stillæ cruoris, tot micant stellæ. Jacent
Affusus alter alteri, reus reo,
Consul Tribuno: dumq; lamentum parat
Affusa turba funeri, lætum melos,
Ipsoq, dignum Numine ex astris sonat.

Chor. Cœl. Hermenegilde! nemo
Frustra fidem tuetur.
„Per bella palma vænit,
„Per mortis arma laurus.
„Quà creditis venire
„Probrumq, dedecusq;,
„Hàc itur ad triumphos,
Hàc occupantur astra.
Hermenegilde, surge
Ad gloriam, ad triumphos,
Quam prodigus rigasti
Tui cruoris imbre,

Hac

Hac inter aſtra gaude
Hermenegilde lauro.
,Menſura laurearum
,Sunt bella, damna, mortes,
,Quà deprimit tyrannis,
,Hàc emicas ad aſtra.
,Vittus furore preſſa
,Emergit ad triumphos.

Lev. Hermenegilde, tenè? vel ſpeciem tui,
Mi nate, video?

An. Herm. Ponite doloris modum
Finemq; Iberi. Tranſijt, quidquid poteſt
Vocari acerbum: pompa nunc melior ſubit,
Mihi tumba cœlum eſt funeri; Sol eſt togus,
Et aſtra ſunt funalia, & leſſus melos
Eſt Angelorum. Scena ſic triſtis perit,
Reditq; melior. Regna conſurgunt, cadunt,
Veniunt, recedunt. Sortis eventus putant
Homines: Olympus iſta, non caſus rotat.

FINIS.

OLAUS MAGNVS,

NORVEGIÆ REX.

Ex Tancredo Cottono Soc. JESU.

ARGUMENTUM.

OLaus Norvegiæ Rex ab Idolorum cultu regnum suum *expurgaturus*, & orthodoxam fundaturus religionem, primum studium ad rebelles aut extirpandos, aut opprimendos convertit. Hi sua studia ad Canutum Daniæ Regem inclinant, eumq; Norvegiæ Regem eligunt. Arma ergo in Olaum sumit Canutus: sed cum his non proficeret, conspirationem conflat, & Olaum occidi curat. Dum ferver conjuratio, Olaus tam virtute suâ, quam Regum Jerislai, Amundi, Magni filij, ac Araldi fratris Canutum prælio fractum in fugam agit. Dum è conflictu redeunt dicti Reges triumphum acturi, reperiunt Olaum interemptum.

IN-

INTERLOCUTORES.

Amidas. Idolum.
Megæra.
Olaus Rex.
Amundus. Rex.
Jerislæus Rex.
Magnus filius Olai Rex.
Araldus Frater Olai.
Orandus Sacerdos.
Trugillus } simulati amici
Taletus. } Olai.
Alindus. Trugilli & Taleti socius.
Astulphus. Dux Olai terrâ.
Dorontes. Dux Olai mari.
Smerilius Dux Canuti.
Nuncij varij plerique Capitanei Amundi Regis.
Jerislai Regis.
Gubernatoris Hamariæ.
Astulphi.
Dorontis.
Termontis Capitanei Canuti.
Magni Regis.
Olistus civis.
Nunc : mortis Olai. Chori.

ACTUS

ACTUS I.

SCENA I.

Amidas evocat ab Orco Megæram ad turbandum Norvegiæ regnum.

Amidas. Megæra.

MEgæra! nondum Tartaro evolvis picem,
Totumq; Averni sulphur ein mundū flu-
Megæra! quò decidimus? à sacris fugis (is?
Acerra templis: thura proscripto gemunt.
Fugitiva odore: Numina ex aris cadunt,
Aliudq; templa, Numen atq; aras tenet.
Megæra! torpes inter Acherontis graves
Sepulta nubes? Exere argineum caput,
Geminamq; dextrâ vindice excutiens facem
In ultionem Numinum totum trahe
Orci furorem. Languida, enervis, reses
Et, quod profundo maximum Acheronti est
probrum,
Megæra inulta! Cernis, ut votis tholi
Carent Deorum? munera recedunt, vacant
Honore templa, sacra profanantur, jacet
Ultima Sacerdos cura, nec Amidæ genu
Curvatur usquam? at interim Christo affluunt
In vota populi, genua curvantur, tholis
Dona offeruntur, balsamum sudat, fluit
Odor ab acerris? Cernis? atq; altùm siles
Megæra inulta? Si quod internis alis

Fibris

Fibris venenum, viperæ si quid super
Est in medulis; si quid horrendum canis
Trifaucis ore spumat, hoc toto indue
Megæra corde. *Meg.* Jussa factura igneo
Evolvor antro Nimia præsagus metus
Tibi suasit, Ante miscebit polis
Avernus ignes, ante damnati Deûm
Sedes tenebunt, vetere quàm sede excidant
Amidæ honores. Cernis hanc dextræ facem,
Piceamq; lævæ? Regios vastis agam
Furijs penates. Jam miqi Ætnæo fibræ
Bacchantur igne, cujus effervens calor
Ipsos penates siderum in bustum dabit,
Jam vulgus omne bullit in crudum nefas,
Durumq; Olai subtrahit collum jugo.
Jam sceptra dubitant, jam coronarum tremit
Regale pondus, quæq; se lateri implicat,
Perdit ruborem purpura: in ferrum emicant
Iræ potentûm, quas retrò populi furor
Denso secutus ordine exitium vehit
Regi supremum; quæq; Norvegi manu
Stetêre Olai sceptra. Canuti in manum
Violenta transfert ira. Venientem excipit
Canutus albæ sortis auroram! & famens
Avidusq; honoris æquor immensum replet
Frequente aristâ militum. & qualis jugo
Minante rupis fortè si prædam videt
Aquila profundæ vallis in gremio, advolat
Momento in uno, perq; laceratum trahit
Iras cadaver, laniat, & rostro, & pede,

Et

Et dente, & ungue; talis in Olaum efferto
Canutus ardet impetu & præceps volat,
Canutus aris Numina, & acerris focos
Iterum daturus. Jamq; correptum tenet
Diadema regni. Creditur Eois minas
Inferre terris: fraude vestitus scopus
Erumpet in Norvegiam, & Olaum opprimet
Ulfone agente. Pone, quo premeris, metum:
Nec Amundus armis, nec Jerislæus manu,
Nec magno Araldus milite in belli vices
Sociati Olao, fine Canutum suo
Fraudare sperent. *Amid.* Tota spes fidis sedet
Canuti in armis. Si quid horrentes stygis
Habent furroris incolæ; si quid doli
Fraudisq; nutrit improbæ Emenidum chorus,
Huc exeratur Perge, quam vocat Dijs
Devotus ardor, quamq; religio trahit.
I, perge; tecum prælia & ferri impium
Evolve amorem: concute insanos fero
Animos tumultu: divide in regnum faces,
Discordiarum semina in mentes picem,
In corda flammas: donec excisus suâ
Fortunâ Olaus templa restituat Dijs,
Arasq; templis, thura delubris, sacris
Flammas acerris. Siste: jam sensit tuas
Concussa tædas aula, jam regnum suo
Cum Rege rabies mutuam in cœdem rapit.
Urge inchoata, nec ego tranquillam polo
Capiam quietem: cum mari in fluctus aquas
Omnes movebo, cum Jove elidam faces

Cœlo

Cœlo trisulcas: cum sacræ domino stygis
Supplicia statuam, quæ scelus tantum exigit.

SCENA II.

Gaudet de conversa Norvegia Olaus: pericula provident: ad illa animum aptat.

Olaus. Trugillus fictus ejus amicus.

DEcumana fluctus ira composuit, jacet
Tempestuosi vincta libertas maris,
Blandusq; portum Zephyrus in jocos ciet.
Animi tenemus vota, quæ tenuit diu
Suspensa Avernus. Vidimus nuper stygis
Effusa partu monstra per nostri sinus
Impune regni liberis flammis coli,
Et thure, & : aris : video nunc nostro procul
In sua retrusum regna Plutonem rapi,
Duroq; vincta Ditis inferni ostia
Adamante claudi : siq; spem meam favens
Secundet æther ; video, non ullo die
Pandenda, rursus antra concludi stygis.
At hinc salutis video recludi fores.
Aditumq; cæli liberum. O quanto meam
Rigunis inundat gaudio mentem polus ! (tibi
Trug. Sed quanta per pericula est empta hæc
Lætitia, princeps ? quantus in precium datus
, Sudor, laborq; ; *Ola.* Gloriæ hoc preciũ uni-
, Emitur labore ; quaq; procedit prior (cũ est;
, Labor, sequentem gloriam secum trahit.

Trug.

Trug. , Verum est: per altas gloria incedit vias,
, Quam nemo lentus assequitur; at nec sui
, Nimiũ cruoris prodigus. *Ol.* Quisquis breve
, Vitæ tributum mutat æterno, suæ (hoc
, Non ille vitæ est prodigus.
Trug. , Vitæ est bonus
Emptor beatæ. Quando se tamen intuum
Regni paterni verticem inclinat salus,
Servare (temet patriæ debes bono.
, Etiam per ipsam patriæ constans amor
, Fugam probatur. *Ola.* Jussa si cœli tamen
Mori juberent sanguine effuso; decet
Me prima per discrimina in mortem dare.
Si fugio, mortem? fugio quò vivam meæ
Patriæ: cadendo patriæ sed si magis
Prodesse liceat; cadere pro patriâ decus
Mihi esse primũ reputo. *Trug.* Sed vives tamen
Tuis superstes. Ille Sypilæâ fibras
De caute duxit; ille marmoreo induit
Rigore pectus; ille Caucaseâ tigre
Genitus, Megæræ ab ubere pependit puer,
Quicunq; scutum pectoris nolit tuis
Periculis opponere. Ego, si sic dies
Deposcat olim, parte quâ vulnus tuo
Capiti imminebit, obvium obtendam caput,
Nec ante sese vulneris vasti ferax
Arundo figet regio cordi, meas
Quam per medullas robur infringat: prior,
Ut Rex superstes vivat, occurram neci.
Olaus. Fidelitatis candidæ affectum probo,

Cali-

Calidasq; flammas cordis excelsi osculor,
Nec esse vana fortè patietur sequens
Promissa Phœbus: sive me pacis beet
Tranquillus oculus; sive Mavortis furor
In bella cogat. *Trug.* Veniat optatus dies
Fidei probandæ! sanguinem & vitam dabo.
Olaus. Promissa in imo pectoris condo sinu.
Nunc templa mecum vise, ubi liceat, mare
Post temperatum, Numini grates dare;
Vel firmiorem pacis indeptæ statum
Prece impetrare; vel, arma si cogar manu
Sumere, faventis trahere subsidium Dei.

SCENA III.

Nimio Olai Zelo submetuit Araldus frater, quem animat Taletus fictus amicus.

Araldus. Taletus.

TOruum minatur, & supercilium arcuat,
Vocemq; acerbat frater, ac rigido nimis
Fervore, mitis limitem excedit ducis.
Vereor, ut iste nimius in Superos calor
Incendat urbes. Sæpe, qui nimium studet
Cœlo, secundum publicæ evertit rei
Statum. Tyrañum simulat: at vereor quoque,
Ut dum tyrannum simulat, in verum sui
,Abeat tyrannum generis. Audendi gradus
,Solet esse primus ille; simulare impetum
,Fictisq; ferre in ausibus veras neces.

Tal. Etiam timerem, quando vicinos quoque
Metus ille Reges tangit; at domitus jacet
Populus sub ictu, nec rebellantem valet
Levare dextram. Vulsus alatum est vigor,
Quo se erigebat populus in Regum metus.
Si quis volatum contumax tentet tamen,
Et insolentes erigat cristas, potest
Sapere alienis casibus. Taceo animum
Olai in omni pulvere Gradivi inclytum;
Tuamq; Aralde tacco virtutem. Fremat
Insanientis Martis extremus furor
In bella, & omnem sæva regionem implet
Bellona ferro! Regis oppositus vigor,
Tuæq; robur dexteræ fuso metet
Ab hoste palmas, perq; subjecta strues
Hostilium cadavetum incessu ardui
Cœlo inseretis frontis excelsæ jubar.

Aral. Si par vigori mentium semper modus
Eventa ferret; bella si soli darent
Palmas calori; nullus hoc regnum metus
Quateret Olao Rege, vel Regis super
Vivente fratre. Bella si semper patens
Bellona traheret, & in apertum pulverem
Manum evocaret, nulla conjunctis foret
Ratio timendi. At fraudibus quando patet
Semita, doliq; pace sub fictâ latent,
Caute pavendum est Regibus Semper magis
Fallax amicus, quàm patens hostis nocet.
Jamq; Olderontem, jamq; & Egroaten rapax
Involvit æstus fluctuum, & Tronto imminet,

Omnem

Omnemq; late turbo regionem quatit.
Talet. Hic minantis ultimus ponti furor.
Lassata postquam flabra posuerunt noti,
Motoq; violens Auster excessit mari,
Adhuc ab imo viscere indignans fremit,
Lenteq; fluctus detumet. Sic post gravem
Domiti procellam incendij, tenues adhuc
Spirant favillæ. Concitus populi hic furor,
Aut est supremus fluctus, aut flammæ ultima
Prestæ favilla. *Aral.* Quod voves, credis nimis.
Votum secundent Cœlites! Unà Ducis
Subeamus aulam: fortè non dubias ibi
Notas trahemus, parte quâ fervens mare
Minetur æstum, vel procellarum impetu
In rem feroces publicam fluctus agat.

SCENA IV.

Alindus Trugillo & Taleto amicis suis eventura infausta animo præsagit.

Alindus.

ET rigeo, & ardeo corde sub eodem, excitat
Spes mihi calorem, frigus inducit timor.
Spes inde libertatis arridet, licet
Adhuc catenis tenear. Ardentem queat
Quis tegere flammam? quisve sub medio die
Condere micantes Cynthij possit faces?
Nimis Trugillus sperat, ac odit nimis,
Nimis & Taletus. Nimia spes, nimium odium
Aquè serenum mentis extinguunt jubar.

Credit hic Araldo cœcus, is credit nimis
Facilis Olao, quamq; mentito tegunt
Colore fraudem, fronte sat tutam suâ
,Mendacioq; existimant. Nunquam at satis
,Doli teguntur; dumq! velantur, sui
,Indicia produnt. Si latent, sed non diu
,Majora scelera. Proditor fumus prior
,Micat ante flammam, Providus sensus Duci est,
Providus Araldo: uterque cautus, & dolos
Simulare uterq; doctus Augurium mihi
Spem penè tollit. Propius ante aras stetit
Divûm Sacerdos, victimâ hinc cinctus latus,
Et hinc acerris. Astra mugitu horrido
Inauspicati nunciæ eventûs replent
Sacris paratæ victimæ, & timido gradu
Trepidant ad aras, ac renitentes sacras
Fugiunt secures: exta convulsis tremunt
Agitata fibris; prosilit venis cruor
Pallore mixtus, viscera effugiunt manum,
Atroq; sparsum felle tabescit jecur:
Flammam recusas ignis; & quamvis semel,
Itetumq; micuit, subitus extinxit vapor,
Divumq; ad aras è Sabæorum focis
Solus remansit fumus, atq; horrens odor.
Infausta signa victimæ; orati subit
Sinistra vox Oraculi: *Norvegia*
Victoriis sepulta procumbet suis
Remedia ne sint lenta, Trugilli voco
Voco & Taleti dexteram auxilio malis.

SCE-

SCENA V.

Trugillo Olai, Taleto Araldi occulta belli molimina & apparatus suspecti redduntur.

Trugillus. Taletus.

FOrtuna Solis æmula optatum diem
In vota ducit. Nimius at risus mihi
Suspectus esse sortis auratæ potest.
„Fortuna vitrum est: frangitur, quando micat.
Arcana quamvis pectoris Olaus mihi
Sui repandat, spondeat tuta omnia,
Suspicioq; absit omnis, & vultu sibi
Similis eodem constet: in populo nihil
Prodat moveri; facta Canuti licet
Nomenq; fileat: fidere ambiguis tamen
Non usq; licitum rebus est. Silentia
„Ipsa mihi sunt suspecta. Natura, aut Deus
„Profunda corda Regibus magnis dedit.
Tale. Obstupeo Araldum, & dubito nũ cõstet sibi.
Solitus latentes pectoris nuper sinus
Aperire mihi, nunc cordis arcanum tegit,
Si vera narrat animus, hodiernus mihi
Mea vota Phœbus advehet. Superos prius
Cœlo evocemus; victimam admoveat sacris
Aris Sacerdos; consulat multâ prece
Delubra Divum, parte quâ nimbus cadet,
Et quàm beatus sortis afflatus vehet
Meditata nostra. *Trug.* Nil nego Superis: tamen

Frustra pavemus. Militum nullæ strepunt
Pro Rege turmæ; nullus apparet domi
Foriſq; belli ſibilus; nulli aërem
Lacerant boatus, nec repercuſſo die
Radiant mucrones: & Jerislæum tacet,
Tacet & Amundum fama, nec Magnum ſtrepit
Secura ſi ſunt omnia, eſt vanus timor.
Tulet. ,Silentionè credis? hoc aptè tegit
,Perſæpe fraudes. Fama Canutum tacet,
Tacet arma noſtra; nec tamen ponto procul
Diſtant remoto. Nemo vicinis canit
Tabulata maria ratibus, & totus tamen
Multo flagello remigum Oceanus gemit.
,Piſcator hamum celat, & laqueos tegit,
,Quicunq; prædis inhiat. Urbanæ domus.
Caſtella, villæ, quanta populorum queunt
Agmina tenere clauſa? quantus militum
,Tegere cohortes? Sæpe quod minimum patet,
,Magis minatur. Cinere fors gliſcit ſuo
Sepultus ignis, donec in noſtrum ruat
Excidiũ apertus. *Trug.* Juſtus eſt, fateor, metus,
Prudensq; cura. Vade, quà portus maris
Noſtris paratas ſervat obſequijs rates.
Illic Alindum detine intendum rei;
In varia Araldum diſtrahe; ut cautus minus
Pericla videat: teſſeram noſtri doli
Diſperge cives inter. Ego cautus doli
Subeo penates regios. Dubia regant
Eventa Superi! *Tal.* O fata! clementes Dij
Audite genitus patriæ; & tandem modum

Ponite

Ponite tyranno! causa non nostra hic latet,
Sed filiorum, civium, & vestra, ô Dij!

SCENA VI.

Olaus nuncium accipit reportatæ feliciter per Ducem suum Astulphum ex hoste victoriæ.

Olaus. Araldus. Nuncius Astulphi.

COnsilia cœli nemini apparent satis.
Sperare multa possumus? scire at nihil,
Quamvis inundet arva ferrato seges
Animosa nimbo, perq, subjectos maris
Bellona fluctus grande momentum ferat
In bella Regi; parcius fidem tamen
Impendo promptis viribus. Dubio agitur
Calore Martis alea: inclinat, favet;
Suspensa nutat; avolat, rursus venit,
Fugitq; rursus. nemini semper favet
Jurata serva; neminem semper fugit;
Sed tota justo pendet arbitrio Dei.
Ille arma flectit, ille bellorum exitum
Definit; ille lauream dat, cui placet.
Sed justus ille, sive me strage obruat,
Sive obviantis porrigat lauri decus.
Quamvis per arma Numinis causam sequar,
Veteresq; factis asseram cultus; tamen
Eripere palmam militi nostro potest,
Hostiq; ferre. Si dat, est Numen meum.
Si tollit, idem amabile est Numen meum;

Æquè verendum, lauream quando negat,
Quàm quando fuso ex hoste decernit decus;
Sed quàm beatâ sorte bellarem, mea
Si dum geruntur prælia, liceret meo
Signare causam sanguine! *Aral.* Secunda qui-
Sed cura regni, civium salus, bonum (dem;
Commune, lex prudentiæ Regem jubent
Exasperatæ sortis adversam manum
, Vitare cautè, Publicæ salus rei
, In Rege vivit: capite sublato, ruit
, Inanime corpus. *Ola.* Astra si inimicis tamen
Petantur armis, si pius cultus Dei
Periclitetur; causa tam illustris vetat
Vitare mortem. *Aral.* Semper addicam libens.
Primas Tonanti, non minus cœlo tamen
Placuit futuris publicæ rei bonis
Servare vitam, quàm tyrannorum dare
Caput in secures. Unus occumbis, trahis.
In fata multos. Unus es salvus? salus
Secura constat plurimis. *Ola.* Hostis licet
In explicatis fata vexilis ferat,
Nescio quid intus pectus animosum exilit,
Faustumq; spondet candidæ sortis diem.
At ecce lætus tempori & votis adest
Nuncius, In ore video; quod portas novi.
Nunc. Sortem beatam. *Ol.* Prome,
Nunc. Vicisti. *Ol.* Jacet
Depositus hostis? *Nun.* Et suo tabo innatat.
Ola. Tua Deus hæc sunt dona. Sed seriem rei
Eidus recense. *Nun.* Læta narranti fidem

Con-

Concede Princeps. *Ol.* Cedo.

Nunc. Quà se Udden levat,
Ac Oldorontem prospicit, miti tumet
Clivus theatro, prima venienti domus
Habitata Veri: vertice in summo patet
Ingens in arma campus: in lævum latus
Largo natantes alveo fugiunt aquæ:
Annosa latere dextero, ac senio gravis.
Umbrisq; densa sylva frondosum caput
Ad astra tollit: hujus extremo exitu
Præceps profundam petra se in vallem trahit
Minata saxis, cujus in latebris frequens
Latebat hostis: marginem plumbi ferax
Plurima tenebat machina, hinc nostro ultimã
Funus datura militi, si minis
Stetisset ardor. Jamq; spondebat sibi
Palmam ante pugnam, vix relatus virum
Tempestuoso è prælio. Astulphus feri
Pridem per omnes Martis instructus vias,
Cui multa galeam bruma conspersit nive,
Et multâ adussit Sirius vultum face,
Multus procavit hostis; in patrem bonæ
Attentus omnem sortis observat locum,
Metata castra, balliças vires, viros,
Et spes inanes hostium, & inani fidem
Tumore nixam: nocte cùm mediâ polos
Texisset atra nebula, nec cœlo vigil
Penderet ignis siderum, pontem manu
Artifice factum à littore in litus jacit,
Exercitumq; tacitus ingentem alteram

Sistit in arenam; morq; suspenso gradu
Sylvæ appropinquat semitâ ignotâ, locat
In ordines exercitum: Martem tonat
Raveo tubarum murmure: irrumpit nemus,
Et dormientes occupat. Cædunt viri,
Caduntq; : pars sopore non terso induit
Moris soporem; pars fugæ in dubio viam
Dum quærit, ense pressa dat animæ fugam.
Pars in natantes fluminis præceps aquas
De rupe sese volvit, & vitæ nimis
Avida salutem quærit, & perdit simul.
Pars murmur æris, & repentinum stupens
Attonita ferrum, nec reluctata excipit
Vulnus supremum. Nullus in viris vir est,
Vigorq; nullus. Qualis excelsâ ruens
De rupe torrens subditos lapsis agros
Furijs inundans, arbores secum rapit
Segetemq; stemit: talis Astulphus premit
Hostilis agmen militis, & unà opprimit.
Unus Berillus ausus Astulphum obvio
Tentare ferro, seq; per luctam Ducis
Dignum probare munere: putasses duos
Agere Leones prælium. Astulphus viam
Nactus sinistro à latere mucronem imprimit.
Cadit Berillus vulnere excepto; &, licet
Victus, supremo spiritu heroæ probat
Virtutis ausus. *Ola.* Noster an miles super
Est omnis? *Nun.* Omnis nullus hostili manu
Vulnus recepit; neminem maculâ suus
Sanguis notavit; nemo non hostis tamen.

Cruore

Cruore rubuit. *Ola.* Ille, qui mundum regit,
Qui providente temperat nutu solum
Polumq; ; justâ lance dispensat bona.
Tibi Martialis palma debetur Deus,
Tibi triumphi. Vicimus: non hoc dedit
Humana dextra, chalybis accensas faces,
Et pectus acre militum, & victorias
Deus gubernat. Ite; sit festa hæc dies.
Lætusq; civis omnis in plausus eat.

CHORUS.

Decantat laudes Olai Regis.

FAma mendax, fabularum
Nundinatrix; vera cœlas,
Falsa vendis, & sonante
Aere vulgas, credulasq;
Fallis aures: conticesce
Fama nugivendula.
Quid mihi Herculem recantas,
Perq; hyperbolem sub ipsa
Astra tollis, & per ævum
Ire seros ad nepotes
Stulta mandas? conticesce:
Hercules est fabula.
Ista canta, Veritatis
Serva fama: Rex Olaus
Major Hercule est. Quid hæres?
Pauca dixi, plura: narra:
Phœbus orbis est Olaus,
Hercules est fabula.

Ejus acta mille linguis.
Venditare si labores,
Sub gravante veritatis
Mole pressa conticebis;
Omne flumen eloquentis
Obruetur ingeni.
Herculem doces & hydras,
Et Leones, & gigantes.
Contudisse, Cerberumq;
In catenas compulisse:
Vera cœlas, falsa narras.
Hercules est fabula.
Si profundi regna Averni
Involavit, non redivit
Victor Orco: si redivit,
Monstra secum, prima mundi
Damna, duxit; & venena.
Primus orbi prodidit.
Rex Olaus sæva monstra,
Monstra nata patre Dite,
Et Megærâ matre fusa.
Vel subegit, vel peremit,
Vel sub Orci sulphurata
Rursus antra, compulit.
Hic labora Fama toto,
Eloquentiæ canore,
Occupata mille linguis,
Auribusq; mille, mille
Luminum labore. Turpes;
Fama linque fabulas.

Sed

Sed tamen negotiosis.
Occupata Regis actis
Multa Fama mentieris.
Quidquid ore, quidquid ære
Prædicabis, veritatis
Non tenebis terminos.
Acta Regis grandiora
Sunt tubæ tuæ labore.
Hinc tamen laus magna Olao,
Quod canentis cura Famæ
Milli linguis occupata
Sub labore deficit.

ACTVS II.

SCENA I.

Trugillus & Tabetus latentia Olai consilia exhaurire constituunt.

Trugillus, Taletus.

„ FOrtuna semper dubia, non certâ fide
„ Rotare mundū docta, quod tollit premit:
„ Et ubi benignæ frontis aspectum voco,
„ Torvùm feroces luminum accendit faces.

Talet. Et tam supini, ac desides torpent Dij?
Nec fulminantem Jupiter stringit manum
Flammarum ad iras, ut procelloso impetu
Cœlo minantes diruat cinerem in levem
Lares tyranni, qui suum dominum regant

Lapsu involutum? Concidat regni status
Cum Rege Olao, & germinis diri eruta
Radix prematur! tuq; qui pontum regis
Tridente Nereū, carcere furentes voca
Immitis iras Æoli, ac motum mare
Volve in procellas, montibus aquarum obrue
Classem tyranni: tuq;, qui totâ lates
Terrâ sepultus Pluto, tertarum excute
Immane pondus; pande ferales rei
Fauces Averni, & turpe regnorum probrum
Avaro hiatu devora. *Trug.* Excucient Dij.
Lentum soporem, & gravia populorū audient
Lamenta cœli; Medica nunc plagam manus
Exulceratam leniat, nè se malum
In ima fundat viscera, & corda occupet
Sparsum venenum. Si stet arbitrio meo
Remedia morbo ponere, innocuam velim
, Simulare mentem. Qui dolos tuos velit,
, Simulet necesse est. Ibo, quà magni patent
Aulæ penates; laudibus fæta adferam
Eloquia fictis, Martis extollam decus,
Robur q; regni; voce fallaci, soli
Vocabo Numen, cui salus Norvegiæ
Tranquillitas q; debita, ac populi vigor.
, Potens dolosis laudibus virus latet,
, Hæ milite clausas pessulis pandunt fores;
, Hæ sub profundo corde tumulata exprimunt
, Arcana mentis. Vsq; sub Olai intimas
Penetrabo fibras; oculo inoffenso ultimas
Scrutabor artes.

Talos

Tales. Regiæ an mentis queat
, Aliquis profundum cernere? A linguâ procul
, Secreta distant pectoris; nec se simul
, Facili maritant vinculo; Nulli fides
, Est certa Regi. Fortè violentus coquit
Sub Marte tacito damna Novego solo:
Et qualis auctis intumet torrens aquis,
Positiq; fragiles obicis effringens moras
Per plana violens rapitur, & totos tegit
Campos procellâ; talis armatas trahit
Iras Olaus, donec unito satis
Mavorte firmus irruat regni potens,
Camposq; inundet sanguine, atq; urbes nece.
Trug. Omen siniſtrum, si quis est cœlo Deus,
Vertat in Olai verticem; & nostrum caput
Immune servet, perq; non ruptum trahat
Meditata filium! Proximus nunc labor,
Vel ex Olao, trahere contectos dolos.
Vel ex Araldo. Teneo, si Superi favent.

SCENA II.

Male ominosum Orandus Sacerdos sumnium, & inauspicatam victimationem enarrat ea ad Trugillum relaturus.

Orandus Sacerdos.

PIetas recedit exul. O stellæ! ô Dij!
Perire sic Norvegiæ regnum potes;
Peri, Tonantis vindicem in rigidum caput
Manum

Manum exacerba. Sentias crudâ Deos
Irâ furentes: nata cum Dijs, peri
Sine Dijs. Catenis sceptra mutentur tua,
Ædes superbæ carcere, & vinculis jubar.
Non vana canto. Nocte cùm mediâ sopor
Dubius subiret, omen infaustum polo
Dictante didici. Visus æthereâ Deus
Aliquis curuli vectus, affatus prope
Tentare nostros: moxq; violento sono,
Orande, clamat. Horrui ad vocis metum,
Omnisq; trepido cessit ex oculis sopor.
Orande, repetit: si quâ te pietas movet,
Si modica gutta sanguinis puri bono
Sub corde fervet; horrida aspectu vide:
Et quod videre dabitur, ad populum refer.
Nec mora, Deorum video delubra erui,
Simulachra cadere aris, profanari sacra,
Focosq; vasto incendio verti in rogos,
Et sacra Divûm templa sceleratis dari
In busta flammis: inde succendi polos
Furore ab ignis, ac repercusso solum
Invadi ab æstu: moxq; ter voce horridâ
Væ! mugit æther, væ tibi ô Norvegia.
Exinde vidi incendijs mixtas polo
Labi catenas, perq; Norvegas palàm
Vrbes sonare, planctibus cælum impeti,
Et ejulatu gemere confuso aërem,
Suspitijsq; nubium augeri sinus;
Clamore mundum ruere, quem geminant soni
Redeunte syrtes, quem cavernoso sinu

Reijcit

Reijcit Avernus, pavida quem Tethys fugit
Retro coacto flumine; & Nereûs coma
Horrente, vultu pallido, trepido gelu
Costrictus ima viscera, profundam in domum
Fugere laborat: Surgo confusus, mei
Penè impos animi: convolo ad magni fores
Jovis, ruinas fortè visurus Deûm,
Sacrumq; pulverem. Ingrediot: natat
Obscura fumo nebula per templum; jacent
Pecora parata victimis, & vix trahunt
Languente vitâ spiritum. In ferrum ruo,
Imprimo secures; cædo; cædentem halitus
Abominandus afflat: exustæ fibræ
Torpent sub ictu; cujus adsonum exciti
Tremuêre templi cardines. Quod hæc malum
Portenta signant? O Dij! ô mites poli
Seponite iras! Ibo, Trugillo feram
Ostenta Superûm. Flectite incessum Dij!

SCENA III.

Alindus nuncium accipit de infaustè commisso per Termontem navali prælio.

Nuncius Termontis. Alindus.

ALinde, sortis Ultimus fluctus ratem
In brevia cogit; Viximus! jam nec patet
Malo remedium, nec fugæ nostræ locus.
Alin. Adeo levere sortis in nostrum caput
Conjurat æstus? Explica seriem rei.

Nun.

Num. Jam Luna Olympo cesserat, noxq; ultimũ
Cogebat agmen siderum, & limbum infimum
Aurora cœli lenè pingebat rosis;
Cùm se Vitendo classis evolvit, Duce
Doronte vecta: favit ad puppim Æolus,
Famulumq; tergus subdidit cunti mare;
Jamq; Egroaten vela spectabant prope,
Cùm se repente nubibus olympus tegit,
Turbatur aura, bella ventorum strepunt,
Mare it procellis, tota tempestas necem
Hosti minatur, militi nostro fidem,
Palmamq; spondet. Ergo Termontes bonæ
Confisus auræ spes; vincendi gravis
Solvit repente littore, & in hostem movet
Volante classe. Portus abscedit, mare
Intratur altum; ventus hostilem tenet
Turbatq; classem. Tota spes nostræ incubat,
Metus inimicæ, quam retro magno impetu
, Æolus agebat. Nulla sed vento fides,
, Pontoq; nulla. Langvet à puppi Æolus,
Graviorq; proram verberat, & hostem prope
In nos adurget. Quanta spes aluit prius
Bene ordinatas militis nostri rates;
Tantus repentè vela contraxit timor.
In fracta virtus sola Termontis stetit,
Pontumq; contra & Æolum, ac hostem simul
Deprælia militum exemplo suo
Robur animabat. Visa sed fata invida
In arcta nos compellere, & jamjam ultimam
Cladem minari. Rerum in ambiguâ vice

Brevia

Brevia Tarino jussa Termontes dedit :
Vade, ait, & auras prævola, ac patriæ refer,
Fato invidente prælium à nobis geri :
Elementa conjurâsse ; nos hosti pares
Virtute stare, fata sed contra nihil
Jam posse vires ; Lachrymas Norvegia
Geminet, suæque patiter an nostræ fleat
Fragmenta sortis. Post ubi scierit suos
Cessisse fatis, illud extremum precor,
Non insepultus maneat illorum cinis,
Qui pro salute patriæ vitâ cadunt.
Alin. Infide Nereû, sceptra quid ponti rotas ?
Si per liquentis imperî effusas plagas
Impunè tantum pateris admitti nefas.
Æole, quid auris imperas, si nec manu
Frenare tumidas, regere nec mites potes ?
Quid fulminasser Jupiter jactas faces,
Si ad ista torpes ? Pluto, quid Averni ultimis
Præes cavernis, nulla si erumpit tuis
Eumenis ab antris ? Perdimus luctu moram.
Belli in secundi nuncia Trugillus sciat,
Sciat & Taletus : sana consilia integrum
Forsan reperient rebus eversis modum.
Nun. Fortè revolutâ sorte se melior dedit
In vela ventus. *Alin.* Istud à Superis licet
Sperare, Vobis bella miscentur Dij !

SCENA IV.

Taletus fictus Araldi amicus omnia erga

erga Araldum simulat amica, ut Olai consi lia expiscetur.

Araldus, Taletus.

PRudentis æquè nomen, ac laudem pij;
Animoq́; fortis, meritus Astolphus refert.
Tal. Est fortis albæ filius. *Aral.* Sorti nihil
,Fortis piusq́; debet. Id certum tene:
,Fortuna nunquam læva sapienti fuit.
Tal. Sed quot animosi, quot pij ac fortes viri
Miscente bella Marte ceciderunt, suo
,Sanguine profuso? *Aral.* Summa sapientis vir,
,Fortis pijq́; gloria est, Marti suam
,Animam immolare: candidam cujus sua
Post fata vivit nomen, ignarum mori,
Oblivionis nescium, dignum suo
Semper triumpho; *Tal.* Nullus est dubio locus:
Suos triumphos Cœlites forti dabunt,
Quem sancta belli causa transcripsit neci.
Aral. Et hoc in orbe, & Cœlites inter feret
Suos honores. Causa quæ magis potest
Sancta esse, quàm pro nomine & cultu Dei
Suscipere bella, sanguinem, & vitam dare
Tal. Equidem hæc suprema causa. Quis donet mihi
Hac terminare sorte fugitivos dies,
Vitæ fluentis? Morte si tali beent
Superi Dorontem, qualis Astolpho stetit;
Tam glorioso funeris adempta est mihi
Spes omnis. At si (fideta avertant malum!)
Si Marte victus, funeri accedat novum

Funus

Funus Dorontes; quâ rependendum putas
Ratione damnum? fræna cûi Martis dabit
Regenda Olaus? *Aral.* Regiæ hoc curæ finam.
Mens huic paratis fœta consilijs viget,
Prudentiæq; regiæ pectus capax.
Sed & regentis omnia à nutu Dei
Humana pendent: nocte tenebrosâ obsitus
Mortalitatis oculus haud ultra videt
Eventa rerum: quæ sequens tempus traher,
Ille ordinabit, noster hoc poscit labor,
Ut obsequamur corde submisso Deo.
Sed hinc redire ad regiam tempus monet:
Hic lætiora fortè pandentur nova.

SCENA V.

Orando Sacerdoti in rebus pene desperatis solicito spem melioris eventus per simulationem obtinendi facit Trugillus.

Orandus. Trugillus.

OPinione grandius damnum premit
Trugille mentem; quoq; spem niti putas,
Non firmat usq;. Habemus iratos Deos,
Et fata contra nostra conjurat polus.
Olaus ista miscet, & sectæ suæ
Invisa cœlo pestis, ae semper Jovi
Abominandæ stirpis exosum genus.
O si liceret stirpitus tanti mali

Tollere

Tollere venenum. *Trug.* Vota protendis nimis
Crescit inimica pestis, & nostri mali
Volante famâ celsius tollit caput.
Et si prementis sortis incumbens onus
Opinione est grandius, quid nos juvat
Manum jacenti subdere, aut jam mortuo
Dare medicamen? Quidquid opponis, perit.
In hac malorum mole medicina ultima est,
,Simulare. Fraude vince, quod ferro nequis,
,Sed fraus tegatur. Prodita auctori nocet,
,Velata ad ipsum Cæsarum evadit jubar.
,Nec regere mundi sceptra sat cautè potest,
,Simulare qui non novit. *Or.* At quando rigor
,Ferri cadentis incubat collo, *nihil*
,Simulare prodest. Ergo si cogor mori,
Moriatur unà & hostis: hunc labens meo
Funere sepeliam Quando non alio licet
Modo ultionem sumere, hic modus placet.
Sic non inultus moriar. *Trug.* At nondum minæ
Ferri in suprema fata librantur. Gemit
Norvegiæ pars aliqua: sed supereſt, malo
Qui ponat obicem; quiq; *grassantem luem*
Radice ab imâ vellat. *Et* Superi quoque
Sua jura servant. Longa non ibit mora;
Fortuna nobis candidam frontem dabit,
Torvamq; Olao obvertet, & totum genus
Prolemque, stemma & sanguinem exscindet
solo.
Hoc eruendum est: quanta Canuti manus
In ausa tendat; fine Termontes sua

Quo

Quo frangat acta. Video, quid navis ferat
Excepta portu. *Oran.* Funera, & cladem mihi
Præsagus animus loquitur, & propè enecat.

SCENA VI.

Olaus & Araldus intelligit ex nuncio relatam à Doronte suo Architalasso victoriam in conflictu contra Termontem.

Olaus, Araldus. Nuncius. Dorontis.

DEbentur ista Numini, cujus manu
Geruntur arma, cujus auxilio Ducum
Victoriosa laurus si frontem venit.
Aral. Sic, minima quamvis, merita servorum Deus
Favore pensat. *Ola.* Ex fide seriem rei
Comprende paucis. *Nunc.* Candidis ibat rotis
Purum per axem Luna, millenis latus
Utrumq; stellis cincta, cùm portu movet
Classem Dorontes tacita meditatus sinu.
Omnia favere visa: tranquillus dabat
Obsequia pontus, lina ludentem sinu
Auram trahebant; Zephyrus aspirans levi
Rates ferebat halitu; multo mare
Spumabat actum remige, & pulchro natans
Honore classis vota portabat tua.
Jamq; Egroates surgere, & frontem procul
Levare visa; seq; consulto impetu
Huc nostra ferre vela; cùm cœlum suos
Mutare vultus, luce subductâ tegi

Totum

Totum tenebris, fulminum elidi faces
Reboante ponto, bella ventorum seri
A classis omni parte, collidi rates,
Et nunc in alta projici fluctûs vice,
Nunc in profunda deprimi, & mare undiq;
Ructare mortes. Ista Termontes procul
Vix Egroate vidit, Auroræ integrâ
In luce positus; pectus audaci furor
Incessit igne, spesq; magnanimum subit
Palmæ obtinendæ carbasa expandit, rates
Mordace solvit anchorâ, obvertit mari
Proras avaras vincere, incumbit manu
Multiplice remis: Æoli obsequia increpat
Fervente pulsu. Jamq; periponti vias
Illapsus alto perdit auroræ jubar,
Et in serenum nubium ingreditur chaos.
Repetita coëunt fulmina incensi tubis
Excussa Martis, nubium augentur sinus
Volante fumo: & ecce (quàm Superi boni
In vota Regis) Æolus, ruptâ fide
Hosti obligatâ, totus in nostros redit
Servus favores; Zephyrus & purus dies
Stat pro Doronte; sævus Aquilonum furor,
Cœlumq; tectum nube Termontem implicat.
Luctatur undis iste; laceratas rates
Et huc & illuc Aquilo violentus rapit,
Nec ordinari patitur; antennæ gemunt,
Mali eruuntur, temo non servat fidem;
Omnia minantur hostibus cladem ultimam,
Nobisq; palmæ nobilis spondent decus.

Attem-

Attemperatur interim vultus poli,
Lassatur æstus Nerei, elanguet furor
Et ira venti, tota tempestas silet.
Celet Dorontes contrahit in unum rates,
Urgetq; pugnam Par rapit cunctos vigor,
Par stimulat ira. Quidquid est reliquum super,
Cui vel pepercit unda, vel vitam brevem
Indulsit aliquo, nil reluctatum cadit
Dorontis ictu. Solus iterum ultimum
Sævus rigorem è corde Termontes vocat.
Ictumq; ferro librat; ut, si par sequens
Fuisset ira militis, victoria
Dubio stetisset apice: sed velox gravi
Obstat Dorontes ictui, & in auras leves
Vacuum retundit; moxq; fortius viam
Latus in sinistrum, heroicâ animosum, manu
Immergit ensem: Vade, succlamans, lacus
Confunde Averni primus heroum, stygi
Victima sacrata. Dixit: & pugnax manu
Et calce, & ore; & dente Termontes gravem
Vomit in Averna spiritum? Tota hoc stetit
Victoria ictu. Nullus è nostris fuit
Non victor, hostis nemo non victus fuit.

Ola. Multum Dorontis pectori infracto; Deo
Debemus omne gloriæ indeptæ decus.
Ego gratiarum primus in partem vocor,
Mihi reponit regna, me regnis Deus.
At aula festum geminet, & civis diem,
Omnisq; lætos populus in plausus eat.

CHORUS.

Docet victorias à Deo venire.

O Mortales, dubij rerum,
Quas arbitrio creditis ire
Fatuæ sortis; nunquam fragili
Fidite cannæ; quæ vel ad omnem
Vertitur auram, vel malè gressum
Fulcire potens, mole prementis
Frangitur oneris, corpusque solo
Miserè affligit. Firmius animo
Trepido rebus propè depositis
Quærite fulcrum: quale infractus
Semper in omni turbine Olaus
Sumit ab astris. Hinc vigor omnis
Manat in arma, hinc spiritus in cor
Ignisque meat, flammaque in enses,
Pulchroque venit laurea Marte.
, Nimis humanis fidere medijs,
, Velle perire est, Imus ad imum
Gremium Oceani, speque calentes
Dubijs vitam mergimus undis,
Ut tumulatas, pulchra trahamus
Crimina, gemmas: sed sæpe nihil
Præter amaras haurimus aquas.
Ita spes fallit, quam humanarum
Mendax rerum ludit imago.
Cui vera trahit gloria mentem,
Subeat portum, quo blanda quies
Superos recreat; nihil hic falsæ

, Hau-

, Hauriet undæ. Quidquid in alto est,
, Discrimen habet, multumque maris
, Objacet iræ. Talis Olaus,
Dum tela ferox Bellona rotat,
Vota in cœlum sua defigit.
Nec spem Herois gloriæ inanis
Species fallit, sed pura venit
Insciа labis gloria cœlo,
Sacrumque caput lauro innectit.
Discite tandem, discite, in altum
Non sine pennis velle volare.
Quæcunq; auris sese infundet,
Auris gravior recidet moles.
Si quem tamen hæc tenet ambitio,
Pulchra volandi ad signa triumphi,
Magni exemplo discat Olai,
Non Icarias humetis gravibus
Figere pennas; nec sine pennis
Famæ ad Solem velle volare.
Hæc sola potest hominem penna
Tollere in altum, & veri solio
Sistere honoris: nihil humanis
Fidere medijs: omnia certo
Fidere cœlo.

ACTVS III.

SCENA I.

Trugillus manifestat Orando Sacer-

doti consilia & fraudes Canuti Danorum Regis de subigendâ Norvegiâ.

Trugillus. Orandus.

SImulasse, quid non profuit? jam se exerit
In aperta fructus. Hic dies Norvegiam
Ab implicati fraude Labyrinthi eximet.
Oran. Hæc spes, Trugille, conditi est partus doli.
Imò cadentes victimæ indicium gravis
Dedere sortis. *Trug.* Fama meliorum mihi
Promittit auram; fama sed latens adhuc.
Norvegiæ jam sceptra Canutus tenet:
Phœbus hic Olai cernet expulsi aureo
Solio insidentem. *Oran.* Quod nimis Trugille
Tibi per quietem gratus objecit sopor. (amas,
Trug. Quid! abesse credis longius? non se dies
Ille in sepulchrum condet, occurret tuis
Videndus oculis, poplitem huic flectes sacrum,
Hunc sabæo thure venientem coles.
Oran. An adhuc sopore stringor? an vanis agor
Delusus umbris? Prode, si quid est, bonam
Quod spondet auram. *Trug* Zephyrus in pup-
A Rege Dano nuncius tecto venit (pim fluit.
Colore missus: jubet ad adventum suum
Non imparatos esse, queis mens est suam
Asserere Superis gloriam: ut ferro & face
Unà ruamus, & bene instructis dolis
Suo latentem conterat in antro feram
Oran. Nec dolus Olaum deserit: mentis sinum
Habet capacem fraudis, atque animi vigil

Ocu-

Oculus futura prævolat. Quod res petit,
Prævertit arte: militum instructa est manu
Hammaria & Nidrosia, & passim latent
Patriæ tuendæ Martis animosi viri.
Quæcunq; Rex Canutus attentet, mare
Periculosum ingreditur, atque unà suos
Trahit in ruinam. Sortis ambiguæ vices,
,Nunquam explicatâ fronte se palam exhibent.
Vis magna mœnibus; invia ad muros via est,
,Prærupta ad arces. Unus è turri latens
,Par mille apertis plurium stragem facit
Trug. ,Munita nulla turris, aut fortis sat est,
,Ubi fraus, dolusq; regnat. *Oran.* Est dimidis
,Munimẽ animis, fida amicorum manus. (suum
,Timere nec scit ille, quem constans fides
,Munit suorum. *Trug.* Tempori cessit diu,
,Qui profuturos mente digessit dolos,
,Fraudumque moles. Hoc Sacerdotum malum
,Ibi timere, nullus ubi timor latet. [est.
Tuum esto munus, thura Cœlitibus dare
Votiva ad aras, precibus effusis Jovem
Placare patriæ, fausta Nordmannis polo
Arma impetrare. Cura me major vocat,
Ut inchoatâ tela texatur bene.

SCENA II.

Taletus conatur persuadere Araldo, esse plebis figmenta, quæ de moliminibus Canuti narrantur; & expiscari, quæ sint vires obviandi.

Araldus. Taletus.

Aral. QUid nunciorum fama de Dano refert?

Talet. Figmenta vulgi præter, auditum nihil.

Aral. Hæc ipsa scire proderit. *Tal.* Vulgus leve,
Et fabularum credulum, aut fingit nova,
Aut ficta narrat; ire Canutum gravem
Amore regni non sui, & Norvegiæ
Inhiare votis. *Aral.* Inhiet, atq; omnes trahat
In bella vires; sudet, invidiâ crepet;
Antè ille perdet Daniam, Norvegiæ
Quàm sceptra teneat; antè Norvego dabit
Sua colla sceptro. *Tal.* Numen hoc jubeat! suâ
Tunc aget Araldus Daniæ sceptrum manu:
Non quale crudâ cæde Canutus gravat,
Maculatq; multo sanguine, & sparso inficit
Tabo suorum: quale sed frater gerit
Pius & benignus; quale vel Numen queat
Desiderare, ferre vel populus amet.

Aral. Mittamus ista: fabulas equidem reor,
Quæ fama fulgo spargit; hic rumor tamen
Constansque murmur fonte non vacuo fluit.

Tal. Quo fonte manet rumor, ignotum mihi est:
Sed notæ abundè cordis elati faces,
Et arrogantis pectoris flamma impotens,
Sitisque fervens. *Aral.* Quid sitit? *Talet.* Regni
Proferre fines, seq; de polo ad polum (extimos
Populis timendùm facere. *Aral.* Non justo hæc
, Calore fervet. *Talet.* Justus injusto sua est (litis
, Titulus voluntas; quæque per fibras calet

, Am-

, Ambitio, pondus omne rationis tenet.
Aral. Hæc mè impotentis flammam felicem facit
Tal. Imò & beatum. Namq;, quod sequitur, tuo
Nóva regna stemmati adijcis. Quodsi hæc ta-
Phrenesis animum Regis insani rotat, (men
Ut impotente raptus in ferrum manu
Indigna tentet ; quâ putas monstrum via
Poterit domati ? quo premi fraudes modo ?
Aral. Meditetur ille immania ; reperiet virum,
Cui Marte pectus ardeat, ferro manus.
A flore primo ætatis ego monstris tuli
Metuenda tela, Veniat ; affectu voret
Diadema regni, purpuram invadat, manus
Injiciat ostro, tenet ascensu grave
Calcare solium, sceptra diripiat ; feret,
Quod promeretur ; digna pensabit suum
Merces laborem : tempora incinget nitens
Diadema flammis, flamma victori dabit
Regale solium ; purpuram tinget suo
Cruore ; tota Regia obsequijs fremet
Famulantis orci. *Tal.* Talis ornatus decet
Regem inquietum ; quique non uno satur
Regno, per omnes limites circùm tonat
Mavorte, cupidus jungere ad regnum suum
, Aliena regna. Sed tamen justâ Deus
, Bilance mundum temperans Reges finit
, Surgere scelestos, & pios Reges premit.
Aral. Hæc est abyssus Numinis. quando pios
Affligit, æquus ; æquus est quando impios
Ad solia tollit. Noster has oculus nequit

Penetrare tenebras. Si tanen cœlum imperet
Hujus fluentes molis exuvias meti,
Mori erit voluptas; quando pro cœlo mori,
Pro lege, proque Numine, & casta fide,
Dulce, & decorum est. *Tal.* Quis mihi talem
In vota sortem, pro Deo ut liceat mori! (ferat
Hæc summa meta gloriæ est. *Aral.* Quamvis
Cautam merentur fabulæ vulgi; tamen [fidem
Aliquando veri propius attingunt scopum:
, Et credere leve est omnia; & stultum, nihil,
Mediam tenere cautus addisco viam.

SCENA III.

Nuntij Regis Amundi, & Regis Jerislæi eodem tempore adveniunt, suorum Regum adventum nunciaturi.

Nuncius Amundi. Nuncius Jerislæi.

N. Am. FAtale cæli sidus hoc puncto simul
Adduxit ambos, dissito quamvis
Et orbe missos. Quanta lætitiæ seges (loco
Obruit Amundi pectus, ubi coram tuum
Spectare, & alloqui Jerislæum est datum.

N. Ier. Nec minor in imas se Jerislæi fibras,
Egit voluptas, quando sub Amundi tui
Venire vultus licuit, & coram alloqui.
Hinc liberale nuncio munus dedit,
Adesse qui primus Jerislæum tulit.
Sed & in Olaum duplici venâ fluent.
Hæc gaudiorum nuncia, & Araldum simul
Tanget voluptas, Quantus in dulcem ruet.

Ample-

Amplexum uterq; ! Quantus affectum exeret
Uterque amicum ! *N. Am.* Tempus accidit
Ut instruatur Regia, ut dignus colat (moram.
Quemque aparatus, antequam gressum inferant
Reges propinqui, temporis fluxus monet.

SCENA IV.

Adveniunt Astulphus & Dorontes Olai Duces, & nova sibi deferenda bella præsagiunt.

Astulphus. Dorontes.

Ast. MAvortiale sidus in cœlo vices
Tenet regentis, quodque rem in nostram facit,
Favens Olao. *Dor.* Regis exundans pio
Ardore pectus, Martium hoc sidus reor,
Quod se benigno fundit influxu in Duces.
Quas nos per arma metimus, has palmas suâ
Pietate Princeps impetrat. *Ast.* Semper minus
Viribus & armis credidi: quoscque attuli
Bello triumphos, tribuo pietati Ducis.
Dor. Illa involuta prælia, & pugnas graves
Confecit, illa Martis inimici igneas
Extinxit iras; illa momento propè:
Deposuit hostem, qui per Iliadem suas
Ardere flammas, ac inextincto urere
Mundum furore voluit. *Ast.* Hæc teneo probè
Sed militari more dicebam: polo
Nos Martialis aspicit stella, & favet,

Flammasq; subdit pectori, & pulchra in manus
Invitat arma. Trahitur è bello novum
Bellum; priore pejus exacto alterum.
Vocat in arenam: Jámque Canuti audio
Classica severum clángere, & tonitru suum
Animare Martem. Parte succisus levi est
Furor rebellis: pars adhuc major fremit
In Rege Canuto. Erro. quid Regem voco?
Dicere tyrannum debui, in Deum impium,
Cui sacra ludus; cuius ambitio suos
Egressa fines, purpuram alienam involat,
Aliena sceptra, capitis alienum jubar.
Sed veniat Orci partus, & regno facem
Spargat scelestus Latro: adhuc nostri calor
Ferri est superstes; quiquè victores cruor
Maculavit enses, hostium gaudet novo
Cruore tingi *Dor.* Verba quid serimus? via
Jam strata ad orcum est. Longa præcessit cohors
Per arma nostra missa sub Averni specus:
Hanc discat etiam terere Canutus viam,
Et quisquis operam Daniæ Marti locat.
Abstineo verbis pluribus. Belli Duces
Factis loquuntur plura, quã verbis *Ast.* Manus
Est os; at oris lingua, generosus chalybs;
Hunc cũ rotamo, loquimur? atq; hostes cadũt.

SCENA V.

Nuncius à gubernatore Hamariæ affert passim omnia impleri Danis, qui in

iti præsidia furtivè sint subingressi prætextu mercaturæ.

Nuncius.

RUptæ catenæ Tartari infami specu
Misêre furias: Omne parefacto fluit
Orbo venenum in Regis occasum pij.
Canutus ignes ructat, & crudo æstuans.
Livore & odio, vasta quà mundi patet
Area, superbum tendere imperium, scelus
Per grande tentat. Jamque non tantum
Trontòq; sese infudit occulto dolo; (Ustiæ,
Sed & per ampla Hammariæ hostilis fora
Miles vagatur? dumq; per fraudem exterum
Sese institorem simulat, alieno tegit
Sub nomine hostem. Multus Euxini accola,
Bliceseque multus incola, & Mæotidis
Qui lambit undas, multus è Dano solo
Hic sæpe coëunt, hic suos cudunt dolos,
Et alter animat alterum, ac sese invicem
Iiparia densant studia: nec, quamvis obex
Stent inde rupes: inde diffusum mare,
Et utrinque denso miles armatus globo;
Satis malorum cumulus arceri potest.
Suit forta quà protendit in pontum latus,
Portumque pandit; navium sylva erigit
In astra malos, prompta ad imperium mare
Tabulare classe: multa per varios sinus
Disposita navis; machinis aliæ pares,
Aliæ ferendo militi, plures gravi

Annonâ onustæ, singulæ intentæ sono
Dani vocantis Ista quò tendant, licet
Præcipere mente. Sancta, & innocua vetat
Me cogitare sæva Canuti indoles,
Animusque fuso, aut fictili adstrictus Jovi.
,Quid perdo tempus? cujus ut nunquã est levis
,Jactura, sic cum proxima impendent mala,
,Præoccupandum est. Dubia sint licet; sciat
Olaus ista: certa de dubiis leges.

SCENA VI.

Trugillus & Taletus intellecto Amundi & Jerislæi Regum ad Olaum adventu spem inter & metum versantur.

Trugillus. Taletus.

Trug. HÆc hora tandem tela vindictæ vocati.
Tenetur arctè cassibus nostris fera,
Cui nulla certam semita ad fugam patet.
Credidit Olaus littore in tuto suam
Sedere sortem, seque submotum procul
Agere procellis; nescius, nulli fidem
Servare ventos, nemini infidum maris:
Non esse somnum: discet at, damno suo,
Latrare Scyllas, volvere charybdes mare,
Surgere procellas, deprimi, & vario rates
Pulsare motu; quoque luserunt loco,
Perire eodem Typhis experti choros.
Parata magni bella Canuti mari
Terraq; fervent, prompta, quò nutus jubet,

Pro-

Proferre signa: jamque pars melior renet
Littus propinquum, tecta pars sylvis latet.
Phœbus priusquam capitis augustum jubar
Immergat undis, obvium & sesesuæ
Sistat soroti; pulchra libertas lares
Istos videbit. *Tal.* Parcius plenum spei
,Sinum relaxa. Qui nimis sperat, nimis
,Se fallit ipsum. Magna momento ruunt,
,Quæ spes spospondit. Fortè te Reges latet
In urbe adesse? *Trug.* Fingis? aut quales ais
Adesse Reges? *Tal.* Fingere ut tentem, dies
Hic veritatem prodet, & palam dabit;
Vix lumina Argi mille penetrandis dolis
Sufficere Olai. *Trug.* Potiùs optandos in hac
Convulsione mille Briareos puta:
Sed quos per æstum mentis incertæ tibi
Molire Reges? Somnium? an verum canis?
Tal. Vidi; ipse vidi: Regiâ pompâ inclyti,
Curruque vecti regio, & multo latus
Stipati utrumque milite, in Olai lares
Subiêre, Amundus & Jerislæus. Licet
Hinc ominari, quidquid occultâ coquit
Canutus arte; quidquid aut fraude, aut dolo
Mens fœta technis struxit, in apertum dari,
Et, quod propinquo fulmine in nostrum trahit
Caput ruinam, nostra consilia quoque.
Patere credo.
Trug. Grandè mihi cordi imprimis
Talete vulnus. Adde per nostros dolos,
Per tecta fraude verba: per technas nihil

Eruere licuit: callidè & Olaus sua
Meditata texit, callidè & Araldus sua.
, Sed quisquis umbras metuit, is speret nihil.
Tal. , At quisquis umbras metuit, is vitat malū.
Trug. , Qui metuit umbras, rarò consequitur bonum. (bonum.
Tal. , Qui metuit umbras, perdit haud unquam
Trug. , Viceris: at ire calle nos recto decet.
Tal. Rectusne callis ille, qui ad mortem patet;
Trug. At ille à morte callis abdúcit procul,
, Quem amica monstrant Numina. *Tal.* Ab-
, Si âmica faveant Numina. (ducit procul,
Trug. Hæc semper favent,
, Si nostra sit fiduciæ, & certæ spei
Constans favilla. *Tal.* Sæpe jam plenus spei
Fiduciæque Numini affudi preces,
Nihil impetravi. *Trug.* tempus hoc alia vocat,
Plus profutura. *Tal.* Conditæ tempus datur
Hoc veritati, publicam ut in auram exeat
Trug. Quo veritatem conditam quæris magis,
Magis hoc profundas illa sub tenebras abit,
Simulare quodsi perfidos tamen juvat,
Nobis laborant: hora consilijs datur:
Aut dubia fortè sensa Labyrintus tenet.
Penetrasse demus omnia, & nostros dolos
Regibus apertos esse; Canuto putas
Par esse Regum robur; æquales mari
Terraquè vires? experimentum dabunt,
Quid destituti viribus possint doli.
Abrumpo verba. Duplici nostræ polo

Res

Res ordinantur scire consiliâ hostium;
Vires, doloſque: deinde nos semper manu
Ad arma prompta stare. *Tal.* Sed Superi prius
Votis vocandi: deinde firmandum invio
Adamante pectus. Verba resecemus; Vocant
Nos acta facem.
Trug. Ad arma, ad sanguinem, ad ferrum &

SCENA VII.

Olaus init consilium bellicũ cum duobus Regibus, Fratre, & suis Ducibus.

Olaus. Jerislæus. Amundus, Araldus. Astulphus. Dorontes.

QUæ cura mole, Regium pectus premit,
Inobsequentem legibus Olaum facit
Urbanitatis debitæ in Reges meos.
Cumplector isthoc omnia: & regnum meum
Et me, meumque debeo vobis caput.
At quando modicum tempus indulget moram,
Consilia, jussaq; Principes vestra exigo.
Ieris. Res cum gigante vertitur: quanto tamen
Se mole rendit vastius, tanto amplior
Ensibus in illo corpore acuendis patet
Per vulnera locus. Danicum robur mari,
Terrâq; magnum est; sed tamen majus mari
Huc ergo agatur nervus armorum obvius,
Triplici diremptus ordine: unius caput
Amundus esto, medius ego classem alteram
Ducam, Dorontes tertiam: hinc juncti simul
Triplici impetemus latere Canuti rates.

Quem-

Quemcunque deinde militem terrâ trahit,
In hunc Araldus arma, & Astulphus ferant.
Tibi, magne Rex, Nidrosiam incumbat vigil
Custodiendi cura, & hinc nobis tua
Imperia dandi. *Am.* Sensa nisi fallunt mea,
Licet in Olaum tota tempestas eat,
Tamen, quod urget arma, commune est malum:
Nam par in omnes causa Canutum excitat.
Deinde tanta Regis ambitio calet,
Crescitque mentis avida regnorum sitis,
Ut per subacta sceptra satietur minus:
Quin totus illi mundus est arctus nimis:
Parem recusat, odit æqualem, impetit
Omne diadema, purpuram, sceptrum, thronum,
Nec ista causâ proprij sceptri adfero,
In hoc procellæ turbine æquali gradu
Periclitantis. Insidet menti magis
Salus Olai: cujus ut tantis caput
Redimam procellis, ipse turbatum libens
Subibo pontum, meque turbinibus dabo
Sponte tumulandum: at ista Canuti tumor,
Insaniensque mentis ambitio petit:
Ne, qui vorare cuncta molitus, trahat
Nos in ruinam. Quæ Jerislaus dedit,
Laudo, probo que sensa. At his addam tamen:
Non vi, nec armis arma Canuti, at dolo
Carpenda timidus viribus ademptis furor
In se recedet. Robur in fraudem dabit
Ulfo, benignos nuper expertus sinus
Canuti amanti, nunc potens hostis. Rate

Iste

Iſte numerosâ tergat ſulcabat maris,
Juſſu tyranni lugubrem Norvegiæ
Cladem daturus. Studia Canutò placent,
Acreſq; Martis ſpiritus! Ulfò gravem
Argento & auro vim impetrat, quam Rex dari
Jubet à Sorore, paginæ incautè adjcit:
Exequere, quidquid Ulfò petierit, ſoror.
His fultus ille literis præceps volat,
Subitq, fines Daniæ, Eſtritæ magis
Amore tractus, cujus à thalamo ſibi (bet
Sperabat aditum ab regna pandendum. Exhi-
A fratre ſcriptam paginam Eſtritæ. Legit:
Exequere, quidquid Ulfò petierit, ſoror. (tit.
Mox ille & aurum, & Conjugem Eſtritam pe-
Illa, arbitrata fratris imperium, annuit,
Et conjugalis jura firmavit thoris.
At Ulfo tactus corda Canuti metu,
Littore relicto Daniæ Eſtritam ſuam
Per alta ponti terga ſubductam, retro
Fugiente Nereô, Sueciæ regno invehit.
Et nunc remotus littore à noſtro parum,
Sua jactat arma, dubius in quodnam latus
Flectat furores. Ira Canuti nihil
Spondet benignum: ſolus affinis ſagum
Non ſuſtinebit. Ergo ſeſe Ulfo lubens
Noſtrum in favorem, in damna Canuti feret.
Eſt martiali ſpiritu, ingenio celer,
Manuque promptus, arte bellandi inclytus,
Solers, ſagaxque prævenit pugnam dolo,
Dolumq; pugnæ, & quidquid occurſum parat,
In

In apparatu sistit, & ferro opprimit.
Si sacra fidei jura Canuto scidit,
Non inde nostris ille fallaci fide
Illudet animis. Gratiæ nulla emicat
Spes obtinendæ: nimius est Dani furor,
Quem corde spirat: limitem excedit procul
Ulfonis ausum; genere quòd villi satus,
Natusque patre ignobili, & fraude, & dolo
Rapuit sororem Regiam, post tot suæ
Impensa dona gratiæ; post tot notas
Amoris ampli, & Regij affectûs. Nihil
Quod speret Ulfo, multa quæ metuat, habet.
Si nostra in arma trahimus Ulfonem (levis
Nec spes trahendi est) magnus abscedit vigor
Canuti ab armis, magnus accedit tuis
; Olaë signis. Sæpe, qui rupit fidem
, Primo, secundo servat, ubi nihil est super
, Quod gratiarum speret ad primum redux.
Exempla non resuscito. Expertis loquor,
Matura quorum sensa præpono meis.
Aral. Maturitatem Regiam sensa hæc probant.
Adjungo dictis pauca, quæque usus probat.
Pandatur auri vena, & è manibus fluat,
Etsi illa mentes tangit ingenuas minùs,
Avidasque veræ laudis; intentas tamen
Lucis parandis vincit, & blandâ trahit
In vota luce; tamque munitum est nihil,
Quod illa non expugnet: effringit fores
Aere obseratas urbium; marmor terit,
Adamanta rumpit, asperam emollit viam;

Rupis-

Rupisque cœlis æmulæ evertit caput.
Tentetur Ulfo gloriâ, at miles suus.
Milesque passim regius sparso die
,Tentetur auri. Fulgor ubi hic oculos capit
,Vacillat animus, & fides corde excidit.
Hac arte sperem castra Canuti suo
Decimanda flore. *Ola.* Vestra, generosi Duces.
,Sensa explicate. *Astul.* Bella non tantũ mănu
,Forti geruntur: suus & ingenio est locus
,In Martis æstu. Mach nas fœtas dabo
Et ferro & igne, tela queis uno impetu
Mille jaciuntur, totque flammarum globi,
Qui sparsi in auras, ferreo rupto sinu,
Et huc illuc depluunt flammam gravem.
Quodcunque tangit illà, momento vorat:
Durum tenace incendio ferrum liquat,
Saxis adhæret, donec in calcem ruant;
Si tecta tangit, nulla vis tanta est aquæ
Qua perdometur, si virum feriat, cadit
Non suscitandus, perque cruciatas fibras
Relaxat animæ lugubrem ad Lethen viam.
Doron. Fœcunda prompti consili mens, & manus
Ac arma prompta; Martis ubi fervet calor,
Tenuêre primas semper: at sua pars quoque
Danda est strategematibus. Hæc quantũ juvãt!
Et expeditam semitam ad palmas parant.
Parcunt cruori militum, & servant Duces,
Hostemque frangunt, dum tepentino dolo
,Consilia turbant. Palma, quæ multo venit
,Cruore sparsa, à clade discedit parum.

,Hæc

„Hæc gloriosa palma, quæ servat suos, [bo.
„Hostesque perdit. *Ola.* Prompta consilia pro-
Quibus nec addi plura, nec demi queunt.
Heroa Regum capita, & victi Duces.
Cassa omnis est vis nostra, nisi cœlo Deus
In vota veniat, cujus à nutu fluunt.
Eventa rerum. Causa cum nostras pia
Inflammet iras, esse pietatem loco
Decet priore. Caudine hoc quando vices
„Belli moventur, esse non faustum nequis.
Secundet ille, laurus in nostrâ est manu,
At si statuitis mœnia, & cives meâ
Manu tueri, placeat & socium mihi
Adesse Araldum. Multa momento accidunt,
Quæ studia Regis dividunt: fidus comes
Talis in procellâ Regibus fida est manus.
In reliqua pronus venio: si quidquam tamen
Mutare libeat, Regios nutus sequar.
Ieris. Omnia probantur.
Aimun. Omnibus spes, & salus
Innixa patriæ est: *Ola.* Ergo Mavortem crepet
Rauci per urbem tympani intrepidus sonus
Tubæq; clangor. *Ier.* Restat hoc unum, increpet
Arma, arma miles. *Aimun.* Armâ res nostræ vo-
Religio, cultus Numinis, patriæ salus. (cant.

CHORUS.

Docet vanas esse hominum spes.
QUàm non vanâ specie rerum
Ludit imago? Quidquid aperto

Sub

Sub sole micat, densis animum
Implicat umbris, mentemq; ligat
Errore gravi. Quærimus ire
Tempora dulci medicata favo,
Et nectareas fluxu æterno
Pluvias avidum ruere in pectus.
Pandimus ora: at miseri! dulci
Bibimus tectum melle venenum.
Primis labijs sapor arridet,
Viscera cruciat fellis amaror.
Sic nos vanâ specie rerum
Ludit imago! Longa sereno
Ire putamus gaudia bœlo:
At momento tota Aeolia
Fuit, & ventos laxat iniras.
Nubesq; cient, cœlumq; tegunt;
Et radiorum vice fenusta
Fulmina mittunt. Sic nos vanâ
Specie rerum ludit imago!
Quoties aureâ solij in luce
Nos radiorum spargere nimbum
Credimus orbi? sed pompa fugax,
Ludusque brevis! Dum se jactat
Medio ridens splendor in auro,
Fortuna totam vertit, & alti
Agit in præceps culmen honoris.
Sic nos vana specie rerum
Ludit imago! Qualis, amœnum
Imitata diem, pulchra sereno
Sedet argento Luna, & amico

Popu-

Populo astrorum cincta triumphat:
Mox tamen aurei fratris ad ortum
Pallet, & oris decus omne ruit,
Astraque fugiunt: Tales miseri!
Spacio Solis cœlum obeuntis
Orimur, morimur; sumus, & rursum in
Nihilum fluimus. Sic nos vanâ
Specie rerum ludit imago!
Tix bene cunas mater adaptat,
Prope funereis stat tumba minis;
Et Lucinæ gaudia luctu
Libitina secat. Nihil in rebus
Stabile humanis. Omnia fugiunt,
Omnia properant ire ad metam.
Quid malesani vota in longos
Tendimus annos? & spem vacuis
Pascimus umbris? Quid nos vanâ
Specie rerum ludit imago.

ACTVS IV.

SCENA I.

Gaudent Trugillus & Taletus machinas suas procedere, jamque Olao suprema minantur.

Trugillus. Taletus.

FOrtuna sæpe ludit, & cœlo altius
Sublime solium tollit, ut lapsu solum
Gravio-

Graviore plangas. Feriat elato polos
Incessu Olaus, astra calcatis premat
Ignibus Araldus: erigant mole arduâ
Turres olympo proximas: moveant Diis
Hostes Deorum bella; pigmæi vocant
Martem in gigantes: ibit Encelado hodie
Uterque socius, ut superstratum ferant
Prementis Ætnæ pondus; ubi tecti gelu,
Flammisque adusti Tartari, quanto minor
Nostro calore ferveat Averni calor,
Narrare discent. Sacrilega, superba, impia,
Nefanda capita! Nempe nemo alius sapit,
Solos Minerva peperit, Atlantis nepos
Solos amavit, nemini aperuit sua
Arcana Mavors, neminem ad belli faces
Bellona genuit, agere constantem manu
Solos bilancem docuit infragilis Themis,
Et jura populo, & urbibus leges dare.
Soli severæ jura pietatis tenent,
Solique Regum norma, & exemplar dati
Virtutis orbi: tota nostrorum patrum
Series in atro vixit errorum chao,
Quod Christiano Numini, & soli Deo.
Cultu negato, genua curvârit stygi
Orcique larvis thura scelerarit sacro
Cultu Deorum. Numen ô sanctum! pium,
Justumque! cujus odia, per summum nefas,
Divinitatis gloriâ extrudunt Deos.
Imo tyranne Numinum sæve, impie!

Talet, O sancta Regis indoles! Regis pij,

Regis-

Regisq; justi! Numinis sequax sui:
Quæ rapere lateris purpuram. ac frontis jubar
Decutere didicit Regibus! Vastum audeat
Tabulare pontum ratibus, & remis sibi
Mare subjugare; repleat ferro solum,
Omnemq; inundet segete Cadmæâ Plagam,
Regis Britanni purpuram audaci manu
Violare tenet, rapere regales notas,
Sceptra involare: nomine addiscat pio,
Titulo q; fictæ Themidis alienas opes
Vastare ferro: victima extremum cadet
Cœli ultioni. Qualis effracto ruit
Vulturnus antro, perq, Tyrrheri maris
Infusus undas navium incumbit gregi,
Et transtra rumpit, vela discerbit, rapit
Et huc, & illuc impetu vario rates:
Tumultuantes fluctuum montes jacit
Adusq; nubes, moxq; depressos mare
Hiante valle sepelit. Vt syrti rates
Scopulisq; adhærent, seq; confractas gemunt;
Aliæ sub ipsa sidera in ventos eunt,
Mox oscitantis ore sorbentur freti;
Aliæ sine hoste, sine odio pugnant sibi,
Crebroq; laterum verbere in tabulas eunt:
Si quæ supersint, Æolo in ludum datæ
Rapiuntur in diversa, & ignotâ procul
Pereunt arenâ: talis incensâ fremit
Canutus irâ; jamq; violento solum
Replet omne Marte; maria contabulat rate,
Ferrum, facemq; spargit! ad cujus minas
Mœnia

Mœnia fatiscent urbium, turres cadent,
Maria natabunt sanguine, & clypeos agent
Galeasq; fluctus, vallium tabo sinus
Profundi olebunt, montium albebunt juga
Osse in sepulto, classici immanis canor
Terrebit urbes; planctus & stridor poli
Terrebit astra, seq; sub tenebras agent.
Remugientq; planctibus Averni specus.
Eamus: hora fulmen, & flammas vocat.

SCENA II.

Dum Olaus multa, præsertim latentes dolos submetuit, & omnia diluit Araldus frater, nuncium accipiunt plebem pro Dijs tumultuari.

Olaus. Araldus Nuncius.

Ola. ITe hinc Aralde, luce si humanâ exigam,
Quæ sit meorum ratio bellorum, & status;
Anceps videtur: luce si cœli exigam,
Nobis favere sidera videntur: tamen
Incerta cuncta. Numinis nondum patet
Cortina tota. Quidquid intendat polus,
Nobis calore pectorum, & mente est opus.
Aral. Non intro abyssũ Numinis: quidquid placet
Illi jubere, id exequi servum decet.
Neq; mihi corda pulsat instantis necis
Discrimen ullum: quin sitibundam tenent
Hæc vota mentem, cadere pugnando. Tamen

Hominum loquamur more: quæ ratio metum
Suadere possit? Causa bellandi est Deus:
In arma socias adferunt Reges manus:
Adsunt periti Martis & palmæ Duces:
Gregariusq; miles antiquus tua
Vexilla sequitur; copia annonæ est, gravis
Sonantis auri numerus, armorum grave
Et grande pondus. Forsan & Magnus suas
In arma nostra copias velox trahet;
Magnus per omnem Martis invicti aleam
Exercitatus; Magnus & fortis manu,
Et mente prudens. Mitte non turos metus.
Timor imbecillus mentis enervat sinum,
Animiq; prompti spiritus lentos facit.
Ola., Laudo timorem, qui manum cautam facit,
Aral. Cautela prudentem decet, sed non timor.
Ola., Cautela non est, quando non subest timor.
Qui metuit, omne facilè prævertit malum.
Aral., Pervincit omne periculum, qui nil timet.
Sed quid moramur? nil timeo, spero omnia.
Tandem serenâ luce conspirat dies
In nostra vota, jamq; se pandit nova
Ad regna callis, Sæve, sacrilege, impie,
Ferox tyranne, barbare, atq; hostis Dei,
Ades: meorum robur armorum proba,
Horumq; fuso sanguine extingues sitim.
Rex magne Olaë, forsam urbanum induit
Canutus animum, teq; depositò, venit,
Ut honoret ostio, pronus & suum tibi
Sceptrum & coronam consecret. *Ola.* Cedo tibi
Sce

Sceptrum, & coronam, & purpuram, si nos bono
Respiciat oculo palma, & in manus cadat.
Non ego, meorum meta votorum, traho
In bella Martem: meta bellorum mihi
,Deus est meorum, Regna terrarum volant
,Ludus, jocusq; sortis. Hoc regnum ambio,
Ad quod nec hostis sæva pertingit manus,
Nec sortis ira robur extendit suum:
Ubi semper ætas florea, & primi viret
Juventa veris, paxq; tranquillos agit
Felicitati juncta sine nebulis dies.
Nec mihi subire mortis est scenam grave:
Moriar: quid inde? spiritus cœlos levi
Alâ involabit. Sed nec horrorem incutit
Canutus ære Martis inimici gravis.
,Nam vana vis potentiæ est, quando Deus
,Suam paratis viribus dextram negat.
Sed involutos timeo laqueorum dolos
,Latente ab hoste. Prima non facilè patet
,Textura fraudis. Ante Dædaleo exeas
Errore, vel per obvium Euripum rate
Ferare, quàm per hostis occulti minas. (latet.
,Vis medica fracta est, cùm malum occultum
Aral., Morbus reciſus spargere venenum nequit.
Ola., Pestis reciſæ toxicum auras inquinat.
Aral. Radice ab imâ vulsus est hostis furor.
Ola., Nunquam malorum semen eruitur satis.
,Uno reciſo capite, se denis ferax (Hercules
,Multiplicat hydra. *Aral.* Dena sed rursum
Detruncat aliquis; hydra, fœcundum malum,

Etiam perivit. Quisquis exsangues strues
Latè videbit corporum, & membris suis
Avulsa membra, fixa sublimi loco
Capita reorum; pabulum coruis data;
Non ille telam fraudis audebit dare
, Soli videndam publico. *Ola.* Paucos ferit
, Stimulus honoris.
Aral. Quisque præsentis tamen
, Mortis sagittam metuit. *Ola.* At mortẽ quoq;
, Se fugere credit, quisquis alterius parat
, In faia ferrũ. *Aral.* Quam fugam possint sibi
Spondere, quos exempla spes ludi docent?
Ola. , Virtus in auro talis est; oculum eruit,
, Cæcatq; mentem; talis invidiæ indoles,
Et talis odio: quodq; mihi mentem magis
Timore pungit; ille Canuti calor (jicit
Migrat in rebelles, spemq; non minimam in-
Menti impiorum.
Aral. Nec malo huic deest sua
Medicina Fida turbe amicorum est super:
Hi latere nunquam Regio abscedant: manus
Armata eunti semper incedat comes:
Quicunq; poscet Regis affatum, prius
Deponat arma, Clausus accessus malo est
Dum sic cavetur.
Ola. Clausus accessus malo est.
Cum nos olympus dexterâ fidâ tegit.
At mala minanti semper ad malum est via.
Nunc. Rex magne, plebis concitæ accensus furor
Confundit aulam, nilq; nisi veteres Deos,
Ritusq;

Ritusq, veteres, Cælitum & cultum sonat.
OL. Hoc mihi canebat animus: in nostrâ latent.
Domo venena, quæ ultimam cladem trahant.

SCENA III.

Nuncius â Magno Rege Olai filio missus nunciat Magnus in subsidium parentis cum instructâ classe advenire.

Nuncius Regis Magni.

HIc se Nidrosiæ erigunt turres polo?
Hoc pacis illud otium, & amicæ color
Fucatus auræ? Quidquid aut oculos ferit,
Aut ruit ad aures, sunt vel hinnitus equûm,
Vel classicorum clangor, aut miles gravi
Ære clypeatus, & querelarum soni
Missi per auras, omnium in vultu stupor,
Pallorq; & atræ mortis informis color.
O vana Regum nomina! ô regni decus
Instabile semper! quodq; deliro rotat
Fortuna motu! inanis ô fucus spei!
Favete Superi! tempori ut veniat meus
Rex Magnus! ille robur adjiciet spei,
Certamq; Olao tendet auxilij manum.
Magnus fideli nuncio ubi Dani impias
Detexit artes, spesq; sacrilegâ Deo,
Patriq; Olao bella, & extremam suo
Movere cladem Marte; non lentus rate
Multiplice classem format: inscendunt viri
Ad arma nati, Sirium & brumam pari

Tolerare sueti mentis invictæ statu,
Prompti sagittâ & arcubus, prompti manus
Armare ferri fulmine, atq; hastas levi.
Rotare motu, cursibus celeres, equos
Fræna re docti, robore valentes: viri
Quos ipse Mars optaret, ut certam sibi.
Spondere posset lauream: Superi, bono
Favete vento! Magnus indubiam suo.
Exercitu victoriam patri feret.
Hoc ego timenti nuncium Regi fero.

SCENA IV.

Datum dolis faustum initium *gaudet* Alindus. In secunda auguria narrat Orandus: ea in meliorem sensum interpretatur Alindus. Ad aulam properant, ut per simulatam fidelitatem sopiant tumultum plebis.

Alindus. Orandus.

Alin. AUguria mitte: video *principium boni*
Et inde finis magna melioris subit
Mihi spes medullas; signâ sint quamvis, tuâ
Opinione, opposita, & ambigua Deûm
Responsa nutent. *Oran.* Falleris. Si me libet
Audire, mente sensa meliora induces.
Alia videnda Numen objecit mihi. (regi
Alin. Et quæ? *Oran.* Stupebis; seque patientur
Breviore fræno vota, quæ mentem trahunt.

Dum

Dum cæsa sacris, vulnere accepto, hostia
Accideret aris, sequè prostrata in suo
Sanguine rotaret, lapsus è cœlo vapor
Tenuisq; mixta flamma, momento hostiam
Corripuit igne, Victima in cineres ijt,
Imò in favillas, quas tenuis aura extulit;
Nidrosiæq; laribus insedit cinis. (ambigis
An plura dicam? Sileo. *Alin.* Quid trepitâ
Hæresq; linguâ? Fratre: dum metuo nihil,
Nihil ipse metue. *Oran.* Basibus excussi suis
Cecidêre Divi, & igne populante in merum
Ivêre cinerem, voxq; delapsa hæc polò est:
Vincendo sic Nidrosiæ ardebunt lares.
Alin. Et istâ gemitum pectore profundo evocant?
Hæc crudæ sunt auspicia? non fausti notæ
Sunt Maris istæ? lumen extinxit tibi
Confusa rerum scena, & attonitus timor.
Orande, mente non tenes, semper loqui
Ambigua Divos? quæq; in aversam viam
Ire videamur? veritas sermo est Deûm:
Sed ille nube tectus ambigui soni.
Oran. Expone sensa pectoris. *Alin.* Certum puta
Oraculum istud Numinis: *Nidrosia*
Vincendo sic ardebit; at justâ magis
Correpta ab ira civium, quàm ignis face:
Ardebit ira Numinum, quorum manu
Urbs ista tegitur: siq; momentum rei
Exigeret, unà Civis & lares priùs
Exederet ignis, seq; sepeliret suâ
Moles ruinâ, quàm exules Divi loco

Hoc emigrarent, Clarus hic, probè ut vides,
Oraculorum sensus est. Nidrosiam
Respondit ergo vincere; At nec te metu
Teneat per auras raptus in flammis cinis,
Idem favere Numina huic urbi docet.
Nam quæ pavenda fulmini hostili magis
Tutela? quævè mœnia Gradivum procul
Arcent ab urbe fortiùs? quænam metum
Turres repellunt acriùs, quam obstans malo
Flamma imminenti? Talis est Nidrosiæ
Tutela: flammâ Cœlites urbem tegunt.
Oran. Desiderantis vota vox sequitur: tui
Conspirat oris lingua in affectum. Dij
Alio loquuntur, quæq; persuadent *metum*:
Vincendo sic Nidrosia ardebunt lares.
Sed pone liti terminum: judex Dei
Eventus ipse Martis ancipitis erit.
Hic sese aperiet, antequam Phœbus diem
Fessum recondat ultimis undis Tagi,
Quod nunc sagacis pectoris curas vocat,
Est, ut Trugillus & Taletus concitæ
Plebis tumultus frenet, & fictis dolis
Æstum frementum fluctum dextrè regat.
Hoc ratio poscit temporis, rei, & loci.
Alin. Sapiente suggeris ista consilio: at manu
Ferroq; Olaus litibus ponet modum.
Si tollat ense capita ferventis doli,
Occumbit omnis ira Canuti, jacent
Depositæ Divûm templa, calcati Dij

Pro-

Protritus omnis debitus cœlis honor,
Eamus illuc, cura quò major vocat.

SCENA V.

Narrat Taletus Trugillo sopitum à se plebis tumultum, suo quidem bono, ne doli nondum maturi aperirentur. Sperant inde se ab Olao inter fideles suos habendos. Statuunt rem eò dirigere, ut prompti sint ad Canuti adventum.

Trugillus. Taletus.

Trug. VElut unda populus fluctuat, & instar rotæ
Circumstrepentis volvitur, propè abfuit,
Nobis supremam ut ferret hic cladem dies.
Tal. Sinistra nobis astra ferali comâ
Minantur hodie, nec quid apportet mali
Dux hesperugo noctis, in apertum venit.
Sed quo procella fonte tam rapax fluit?
Non abs Alindo: cautus & prudens hic est;
Orandus est incautus, imprudens nimis
Ardentis animi, lubricæ linguæ nimis,
Pavidusq; semper, querulus, inconstans, levi
Mobilis aurâ: Orandus has turbas, meâ
Opinione, miscuit. *Trug.* Cautus satis
Orandus est, prudensq;, non isto venit
Procella vento, Fama Canutum propè
Adesse cecinit: populus hinc plenus spei

Excutere collo grande tentavit jugum,
Sed prompta tanto adhibita medicina est malo.
Tunc fortè uterq; (munus id cœli fuit)
Aulæ in recessu fuimus, ac omnem priùs
Æstum procellæ rupimus, quàm se redux
Olaus aulæ redderet; jamq; obrutus
Altâ quiete turbo popularis jacet;
Tul. Res ista nostris plurimum seruit dolis,
Suspicio si quæ fraudis instructæ fuit
Per nos Olao, fraude sopitur novâ.
Per te tumultum plebis oppressum sciat:
Olaus, inter candidæ fidei viros,
Puræq; mentis nomen adscisce tuum:
Meumq; pariter; inde pandetur via
Per plana eundi ad exitum, quem tam diu
Artesq; per tot quærimus. Sed jam vigil
Intendat animus, parte Canutus sua
Quâ prodat arma, nosq; reperiat manu
Ferroq; promptos. Omnis hoc uno salus
, Versatur apice. Vincere, aut vinci, aleâ
, Pendet ab eâdem. Ducta per tempus mora
, Semper periculum maximis rebus tulit.

SCENA VII.

Nuncius Amundi narrat, quo stratagemate interceptæ sint Canuti litteræ ad tres rebelles, easq; ad Olaum defert.

Nun-

Nuncius Amundi.

NIdrosiæ, ò Nidrosiæ invicti lares!
Quales cerastas alitis augusto sinu?
Quales Dracones? viperas? angues? hydros?
Quà se in propinqui terga Vitinsum maris
Effundit, alto mons supercilio jugum
Erigit in auras, undiq; herboso solum
Virore tectus; latera per girum frequens
Olvia cingit, brachia maritans propè
Se porrigenti pampino: clivus sacer
Bacho & Minervæ. Montis in medio situ
Fagus coronam nectit: ad montis pedem
Ubi sese in altum leniter terra levat,
Obeunt frequente palmites umbra latus,
Viridesq; frondes inter ostentant gravem
Nectare Lyæum: liquida per ramos obit
Cristallus undæ, seq; divisis liquat
Guttis in imbrem; dumq; per scissas dies
Subintrat umbras, irides gratas parit
Oculi ad stuporem: garriens nimbi sonus
Sirenas alti nemoris in cantum evocat.
Hic vasto hiatu panditur terræ specus,
Dulcesq; amarasq; ostio ex uno vomit
Præcipite lymphas impetu, Amundus rei
Novitate tractus, navis huc cursum suæ
Hiatum ad antri vertit, & trinat trahit
Post terga comites, Nereum vento levi
Equitare faciles. Interim, dextrum ad latus
Cœlo minantis culminis, classis maris
Sulcabat undas, & retro spumas dabat

Coëunte fluctu. Amundus ad fauces specus
Suspensus hæsit frigore afflatus, gradum
Deinde ad ima promovet: quando hic joco
Natura ludit! quanta miranti objicit
Oculo videnda! Hic ficta venantûm cohors
Feras agebat; dente compresso hic canis
Sistebat aprum: hic ungue suppositum Leo
Dilaniat ursum; illic cani insultat lepus,
Equusq; tauro: hic innatat piscis mari
Undisq; ludit: cuncta naturæ rudi
Expressa cœlo. Mira dum Amundus siti
Ridentis oculi spectat, auditur sonus
Latere à sinistro montis. Amundus ratem
Jubet expediri, & incito cursu rei
Spectare causam; jamq; provecta in sinum,
Navis volantis eminus vela aspicit,
Quantumq; produnt signa, Canuti argnit.
Ergo reflexis carbasis sese ad suos,
Velox reducit; vixque sub amœnæ specus
Evasit antra, sequitur hostilis prope
Urgente remo navis, atq; antri ostium
Intenta prædæ attingit, at voto irrito,
Fit ipsa prædæ præda speratæ. Hic specûs
Erumpit antro Amundus, & facto impetu
Cædit, necatq; quotquot infelix ratis
Vehebat hostes, antequam quisquam manum
Ferro applicaret. adeò vel mentes stupor,
Vel occupârat dextemis præceps timor.
Solus Biliffus verba meditatus stetit
Ore dubitante, dumq; jam parat loqui,

Im

In os arundo torta sermonem vetat,
Animamq; fibris extrahit. Postquam viris
Adempta vita, nuncius solus super
In arcta trahitur; quid ferat, sponte edere
Jubetur. Ille, sancta testatus, negat
Se scire, nisi quæ publicum ivêre in diem.
Scrutantur ergo vestium abstrusos sinus:
Et ecce scriptam protrahunt chartam è sinu
Ad tres rebelles. Nomina character tacet:
Edere jubetur nuncius, primùm Sinon
Astutus omnem lucis afflatum cavet
Latebrasq; quærit, donec admoto eruta
Tormento ab ore veritas. Nulli tamen
Aperire scelerum nomina, est cautum mihi,
Præterquam Olao: hic grande solamen feret.

SCENA VII.

Per alium nuncium eruditi rebelles, ad se scriptas à Canuto litteras esse interceptas, novas fraudes excogitant, quibus evadant.

Trugillus. Orandus. Taletus. Alindus.

Trug. DEcreta fraus est, Grande consilium vocat
Mentem, manūq;. Nuncius Dani, mala
Ferente sorte, Regis Amundi in manus
Incurrit, omnis tela detecta est doli.
Taletus, ego, & Alindus in sicco sumus.
Tormento adactus Cursor in apertum diem

Nomina reorum prodidit. Sic me erudit
Occultus indenuncius: Quid facto opus?
Consilio adeste; temporis nil est super,
Omnisq; pellit grande discrimen mora.
Oran. In hac procellâ plebis auxilio est opus.
Hæc fida nobis, fida Canuto, dabit
Immane scutum turbini. In plebem manus
, Se liberali munere effundat. Dij
, Etiam ligantur munere humano: magis
, Corda implicantur plebis, ut facilis ferat
, Illuc volentem dexteram, unde aurum fluit.
Sed nisi loquantur vana varaces Dij,
Ludantq; nostra vota, nondum hoc est satis.
Trug. Pellamus animo, si irrepsit, metum.
Talete mentis prompta consilia explica.
Tal, Simulasse necdum sufficit, fraude est novâ
Novæ obviandum. Promptus occurrit dolus.
Fingamus ista causa Canuti ad focum,
Ut nos Olai gratiæ extrudat sinu,
Adimatq; fidos Regio lateri, & manus
Roburq; Olai frangat, & totam exiret
Plebem intumultus, Regiam metu impleat,
Nidrosiamq; evertat. Hinc animi graves
Fingamus iras; astra Canuto invida
Ire voveamus, & procellosa Deos
Tonare flamma. *Alin.* Tempus hoc fraudes vetat
Venimus in arcta. Liberos vel nos facit
Hæc hora, vel nos carcere æterno ligat;
Hora est agendi. Quò nequit ferrum imprimi,
Adigatur ignis: quò nequit flamma injici.

Doli

Doli ferantur. Templa securum dabunt
Nobis asylum : regna Canutus suo
Refugio habebit. Ille volventem retro
Aget procellam, nosq; patietur suos
Et dici, & esse. *Trug.* Sana consilia probo;
Sequorq; : primum fraudibus cedo locum,
Armis secundum. Fraudis inventæ faber
Canutus arguatur : in plebem fluat
Manans ab auro vena : tum ferro & face
Res urgeatur : arma confundant polos,
Acheronta moveant, & solum & salum eruant.

SCENA VIII.

Olaus Araldo aperit detectas esse fraudes, & harum Auctores. Furit in hos Araldus. Olaus dolis adhuc dolo & dissimulatione occurrere statuit.

Olaus. Araldus.

Ola. ARalde mecum. cæteri firmâ manu
Tueantur aditus Regiæ. Pridem mihi
Dictabat animus, serpere internis malum
Vivax medullis, nosq; nociturum in sinu
Alere chelydrum. Cœlitum munus fuit,
Dolus retectus : unde proscriptus timor
Regno atq; mente. Recidat in fabrum dolus.
Trugillus, & Taletus, & Alindus (quibus
Orandus hæret) omne moverunt malum.
Aral. Trugillus, & Taletus ? O monstrũ bifons !

Ingra-

Ingratus animus! impiæ partus Stygis.
Juro rotantem sidera, minantem solo
Juro Tonantem, si quid hoc ferrum valet,
Aut hæc Araldi dextera, effuso dabunt
Pœnas cruore. Nempe jam voti patet
Aperta facies; Hæccinæ est tandem tenax
Mens illa recti, & integri cordis fides,
Quâ vel perire cœde Canutum ultimâ,
Vel tua vovebant sceptra proferri extimos
Adusq; mundi margines? Hocnè est fidem
Suâ tueri morte, & intactum Dei
Servare cultum? Larva pietatis! lues
Immane facinus. *Ola.* Istud in primas venit
Utriq; curas. Sed quis urgenti malo
Modus obviandi? Cedere? & cautâ omnia
,Simulare mente? Sæpe simulantem opprimit,
,Simulare qui scit.
Aral. ,Nemo dissimulat malum,
,Cui vis in armis Arte simulandi æmuli
Nostri triumphant. Abstine verbis; manu
Comprende ferrum. Si recidendum est malum,
Quid solvere juvat?
Ola Populus hic totus studet, (mare est,
Sequiturq; nutus. *Aral.* Populus, inconstans
,Vertitur in horas; moxq;, cui studit, nocet.
Ola., Indomitus ægrè suscipit frænos equus.
Aral, ,Sed facilè nervus bellluam infrenem domat.
Ola., Properata nimium flagra jumentum excitant
,Sæpe in furores, unde sessorem excutit.

Ejic

Erit hora ferro, tempus & flammis erit.
Dum se latere existimant, texunt dolos
Fraudum architecti; fingere & quid nos vetat?
Porrecta fraudis esca non cautos trahet.
Si mentis idem sensus est frater tibi,
Vadum experire: transitum si non negat,
Progredere contra, se suo laqueo doli
Stringent, eritq; præda prædator tua.
Aral. Si cogitatis facta respondent. Ratis
Felice cursu vehitur, instructæ nihil
Oppono telæ, cauta consilia probo.
Ol. Tollatur ergo, quidquid in morâ est moræ.

CHORUS.

Assentationis vitium detestatur.

Quis te stygijs amnibus erutam,
Falsis compositam blanditijs luem,
Vestitamq; dolis dulcibus, in diem
Assentatio taxit?
O si vel penitas ille latentium
Fibrarum tenebras, vel tua toxica
Spectâsset, nocuo quæ modulamine
Ima in pectora fundis!
Hæsisses colubris mixta Acherontiis,
Ad rupem Tytij, ad rostra Promethei,
Undâ in Tantaleâ, Ixionis in rotâ
Dignâ nocte sepulta.
Tu cor Tisiphones prima paludibus
Orci, non nocuam protrahis in diem,

Tu

Tu ſpumam glomeras tergemini canis,
Et totum inficis orbem.
Tu nunquam ſtabilis, nunquam eadem, vices
Immutas variâ fronte; Camelcon
Ut mutat ſpeciem. Nectar amabile
Monſtras; toxica præbes.
Frontis compoſitam porrigis aream,
Atq; aream cilij lege modeſtiæ
Complanas, oſculo ludis amabili,
Miſces melle loquelam.
Sed ſub compoſitæ frontis imagine
Turpis larva latet mentis, & abditus
Serpens contegitur, qui malè toxicat
Mortis corda veneno.
Ex arcu cilij ſpicula proijcis
Illatura neces: lumine decipis:
Confictosq; jocos dum ſeris, enecas
Et melle uteris, ut fel
Infundas animis. Dulcia guſtui
Quid ſuadere juvat, ſi ſubeat fibras
Corrodens gravibus vipera morſibus
Criſtatusq; ceraſtes?
Reges, & Proceres diſcite, parcius
Puvillos cubito admittere; byſſinis
Verbis blanditiæ credere parcius
Auri ſtulta canentis.
Quantam perniciem blanda loquacitas,
Sirenumq; malos, pſaltria Principum,
Et morbus Procerum proprius, attulit,
Aſſentatio fallax!

Con-

Concussit solium, Regia prodidit
Sceptra, & fronte jubar sustulit arduâ,
Commoto populum turbine misouit,
Sus, deq, omnia vertit.
Nec prudens animus, nec sapientiæ,
Sed nec judicij vis opulentior
Contra est cauta satis, flatibus incitam
Fluctu educere navim.
O Reges quibus ex portio maxima
Curarum, populum pacis in otio
Servare innocuum, nec fua devio
Freno flectere regna,
Hoc curate; fides blanda loquentium
Ne prima imperium vendicet aurium;
Ne germana fides, vera loquentium
Vestris exulet aulis.

ACTVS V.

SCENA I.

Olaus acceptis à Canuto litteris, quibus petit sibi regnum cedi, communicat cum Araldo consilia. Statuit respondere, ut ipse Canutus veniat, & regnum adeat.

Olaus. Araldus.

QUi fræna ponit Æolo, & motum mare
Sternit quiete, turbines inter meam

Re-

Regat carinam; quæq; dubitavit diu
Jactata ponto, teneat optatos sinus.
Canutus æqua postulet. Olaus dabit.
Hactenus iniqua poscit, ut regno exeam
Solioq; cedam, nomine aut suo regam,
Non Rex, umbra Regis. Utrumq; hoc sacro
Juri repugnat. Trahere consilio moram;
Inhonora res est, nec statum Regis decet,
Negare Postulata, res poscit quidem,
Sed inde ad arma primus utriq; est gradus.
Electionis titulus aliquantum favet
Iniquitati; namq; quos feci reos
Rebellionis, iratò Norvegiæ (*Jubet*
Dixére Regem. Aralde, quid suades; *Aral.*
Ipsum venire, Regis ut solium adeat,
Et jura regni. Quidquid audenti sit
Aliud reponis, perdit & moram, & locum.
Præter rebelles, nemo Canuti probat
Præsumptuosa jussa: si minimum times,
Animo insolentis subdis ardentem facem,
Rebelliumq; machinas escâ foves.
Nec est timendi causa Canutum: tamen
Si spes superbum fascinet iniquâ siti,
Ut regni habenas Marte conducto ambiat,
Felicitatis plurimum accedet mihi.
Namq; ipse lateris ensis in plausum salit,
Martemq; poscit. Veniat, hæc callem suis
Votis aperiet dextera. A nobis Deus
Stat ipse, causa Martis & justa, & pia;
Regum trias conjuncta, populorum fides;

Du-

Ducumq; robur fortium. Sed nec quies
Capiet Araldum, donec immanis Leo,
Immane potius invidæ monstrum stygis,
Gravem superbi pectoris pestem vomat,
Subiensq; regna Ditis, augustam mihi
Cedat coronam, purpuram, & regni notas.
Ola. Ad facta tempus dexteram nostram vocat.
Prudentis animi Aralde consilium probo,
Illud reponam: Veniat, & sceptrum manu
Diripiat ipse, capite dejiciat jubar,
Aralde, libeat interim fratris vice
Obire campum, militis nostri obvium
Censere robur; cernere quid addi exigat,
Quid ordinari postulet. Tempus breve est;
Abi, rediq;. *Aral.* Promptus obsequijs tuis
Araldus animam, sanguinem, & vitam dabit:

SCENA II.

Rebelles duco acceptis à Canuto literis, quibus jubet Olaum sibi vivum sisti, vel occidi! fraudem inveniunt, qua possit occidi.

Trugillus. Taletus.

Trug. SImulare, Regum propriã malè æstimat
Olaus artem; cujus ego primis bibi
Præcepta ab annis, doctus in partem dolos
Omnem implicare. Fraudibus sed quid refert?
Hæret charybdin iter & scyllam. At sciet,
Quid sit Deorum fana, & antiquis sacra

Bene

Bene culta patribus tollere, & ritus novos,
Abominandos, impios, orco editos
Inducere orbi: quid sit effusus cruor
Tot innocentûm, cujus è cœlo sonus
Vocat Ultionem: quid sit adversus Deos
Rotare ferrum, & prælio indicto polos
Vocare in arma. *Tal* Porrigat Araldus tumens
Frontis theatrum, vibret ex oculis faces;
Ex ore spumas; spargat, ut taurus, pede
Calcatam arenam rugiat ut atrox leo,
Ut lupus acerbus ululet, ut monstrum fremat,
Totumque rabidis aërem infestet nimis,
Corripiat ensem dexterâ, ferrum vibret
Per innocentûm colla, confundat mare
Cruore mixtum, sanguinis spargat notas
Adusq; cœlo, astra confundat solo,
Acheronta Superis; induat capite jubar
Regale frontis; purpurâ incingat latus,
Aurata Regi sceptra Canuto auferat;
Totoq; jacter orbe terrorem sui.
Trug. Quid ista prosunt? verba per ventos volant,
Aurasq; feriunt: prosequi cœptam magis
Telam necesse est. Arma, quæ nostro mari
Utriusq; fratris classe numerosâ innatant,
Frangenda, vel mergenda sunt: Quæ Rex jubet
Canutus, exequenda: captivum trahi
Imperat Olaum, pariter & Araldum: tamen
Adversa nobis fata si vivos negent,
Nolente fato vulnus extremum dari
Imperat Olao. Si quis est, cujus calet

In

In ista pectus ausa, vincatur die
Sonantis auri, cujus illecebra animat
Etiam timentes, Estnè, quem tanto putas
Aptum facinori, fidus? audacis manus?
Cautæq, mentis? *Talet.* Cura sit tanti mea
Facinoris; hominem ponderi inveniam parem.
Trug. Tua sit Talete cura: sed modum doce,
Hominemq; pande, cujus hoc factum manu
Censes patrandum, fraudis intentæ diu
In hoc rotatur cardine extremus labor.
Talet. Tanto labori idoneam aptabunt manum
Balistus, & Moraldus, arte arundinis
Uterq;, uterq, plumbeo cannæ globo
Scopum ferire doctus, ad vocis sonum
Olai, uterq; viperam corde induit.
Utrumq; uterq; odêre. Causa odij est Diis
Jurata pietas: deinde, quæ miseros facit,
Feritas Olai. Namq; Balisto pater
Vir mentis altæ, & integræ fidei in Deos;
Charus Moraldo filius, fesso patri
Unum levamen, nec minus gratus Diis,
Custos severus rituum, ob nostris focis
Incensa thura, & templa constanti manu
Defensa, tracti in carcerem, & sævam in necem
Crudelitatis regiæ abierunt siti.
Et hinc uterq; sortis opulentæ ex sinu
Vi devoluti, grande subierunt opum
Damnum suarum, & pauperem vitam trahunt:
Quantoq; cogit in arcta paupertas magis,
Graviore tanto aguntur argenti fame.

His

Hi, quà superbâ mole sub nubes abit
Immane templum, seq; conjungit polis,
Habitant propinqua tecta: Balistus latus
Lævum, Moraldus dexterum templi tenet.
Huc sæpe Olaus tendit: hinc sæpe exiens
Subsistit, & dum corpore expositò patet,
Stat certa utiq; meta, seu libeat levi
Mortem sagittâ jacere, seu plumbi globo:
Librata postq; funera à tergo fugæ
Utriusq; porta panditur, quâ se ferant
Portus propinqui ad ostium. Si sit fugæ
Hic apta navis, antequam jacti locus
Teli notetur, navis obsequio maris
Altum subibunt, seq; surripient *neci*.
Trug. Dixisti abundè. Nuncio Dani lubet
Aperire telam fraudis instructæ, & suæ
Accipere mentis sensa. Non vanus labor,
Ut opinor, iste est. Perge, quò tempus vocat.

SCENA III.

Nuncius significat Vlfonem à Canuto ad Amundum transijsse, & quo stratagemate Canuti classem confecerit.

Nuncius Amundi.

QUemcunq; sortis aleam, & varias vices
Juvat experiri, quamq; stet dubio gradu
Fortuna felix, discere; in castris agat,
Suæq; sortis experimentum grave
Capiat in armis. Vlfo Canuti intimus

Ami

Amicus, Ulfo media pars cordis, cui
Sua sceptra, lateris purpuram, & regni notas
Danus tuendas tradidit; cujus fide
Sibi subjugari regna Nordmanna ambijt;
Et in hoc frequente milite, ac opibus graves,
Aptasque in hostes ire commisit rates:
Ulfo, sorore Regis in leges thori
Fraude implicatâ, sceleris in pœnas trahi
Metuens, ab aulâ fugit, in Regem grave
Odium professus; inde Canuti in probrum,
Sua arma Amundo sociat, ingenio ferox,
Sagaxque mente, providus, prudens, manu
Animoque fortis, Martis in arenâ diu
Versatus, audax, æmuli impatiens, licet
Bello probati, transijt Amundi in latus;
Et jam sagacis cordis, & fortis manus
Grande documentum in arma Canuti dedit.
Cautè, volantûm navium ex cursu, & loco
Ulfo notârat anchoram jactam in mare
Non posse figi, nisi ubi se vasto explicat
Spelunca hiatu, ponsque vicinus jugo
Ad littus aperit marmore instratam viam.
Ergo fluentem aggeribus objectis aquam
Agit in tumorem, & machinis fluxum vetat,
Ut intuentes eminus toto mari
Undam altiorem, crederent clivo edito
Lacum natare. Hic ignibus, flammis, focis
Aptas rotandis machinas circùm locat.
Fortè & propinqua sylva densatis comis
Utrumque clivi stantis abdebat latus:

Hic ille in umbrâ militem armatum tegit
Ad jussa promptum. Vixque constiterant suo
Ordine locati milites, cùm se mari
Delati Dani classis ad ripas agit,
A mœnitate nemoris, & blandi situs
Allecta fraude. Jamque, nullius timens
Hostis propinqui, navium gyro specum
Circùmcoronat, contrahit vela, anchoras
Immittit undis; pars cibo famem levat,
Pars in quietem lassa procumbit solo,
Altumque stertit: ecce diluvium rates
Aggere soluto replet, & plures maris
Demergit undis: si qua clementes aquas
Experta, flammis præda fit. Namque evolant
Latere ab utroque machinâ incensâ globi,
Igneque mortis bajulos navi inferunt,
Qui pertinaci cuncta consumunt pice.
Ardere visa sidera, atque ipsum mare
Perire flammis. tanta tempestas fuit.
Miles perivit omnis, aut spolium maris,
Aut esca flammæ; si quis in sylvam fugam
Quæsivit, ensi spiritum impurum dedit.
Magno hoc Olao facinus *Ulfonis fero*,

SCENA IV.

Timido Alindo majorem timorem incutit Sacerdos, narratione malè ominosi sacrificij: spem tamen iterum facit per vocem ex nube auditam.

Alin-

Alindus. Orandus.

NEscio, quis animum rumor infaustus quatit,
Orand. Pejora ad aures nuncia vehentur tuas,
Nisi astra mentiantur, & constans fides
Dijs abrogetur. *Alin.* Prima laniârunt nimis
Mihi signa pectus. *Oran.* Gravius aliorũ dabunt
Tibi sensa vulnus. Candidus stabat mihi
Pinguisque ad aras agnus, & ferrum gravi
Collum premebat pondere, repentè atrium
Impletur omne noctuis; multus volat
Bubo in securim; stridor ex lacu redit,
Et aura lamentabili gemitu sonat.
Corvorum iniquus atrium nimbus tegit,
Parumque Solis arcet aurati iubar,
Pulsuque pennæ, & unguium affrictu mare
Ditemque terret. Ecce, momento nigror
Invadit agnum, quæque candebat prius
Nivem æmulata, sumpsit atrorem cutis,
Adstupuit oculus, horror invasit fibras.
Tum convoluta ardente tempestas polo
Fulminat, & ignes inter allapsa est sono
Ter vox ad aures: *Fugite Nortmanni: fuge Canute.* Dumque vocis intendo sono,
Tanto fragore fulmen elisæ sinu
Nubis rotatur, ut solo allisum ultimus
Tremor occuparet, perque confusas gelu
Iret medullas. Palpitant adhuc horæ
Frigoreque gelidus stagnat in venis cruor.

Alind. Trepido timores addis, & pectus grave
Majore lassas pondere. *Oran.* Excussit pavor
Animo timentis plurima. Hoc animo tamen
Memore retinui. Nube cum ruptâ fragor
Animo insonaret, lapsa vox est cum sono;
Fulmen in Olaum tende: sic palmam refers.
Alind. Vox ista cœlo lapsa?
Oran. Non dubijs notis.
Alind. Spes à timore surgit, & mentem excitat.

SCENA V.

Nuncius adfert auro corruptos aliquos Duces à partibus Olai cum navibus & milite ad Canutum defeciſſe.

Nuncius Dorontis.

,VIs grandis auro est. Nullus Orator magis
, Inflectit animos. Quanta momento erigit!
,Sed rursus uno quanta momento eruit!
Fortuna nos crudelis à tergo premit,
Et nisi remedia statuis, omnino opprimit.
Danus suorum flebilem casum *dolens*,
Quos ulso fraude nuper incautos sua
In retia egit, perque labentes aquas,
Per ignis æstum, & obviam ferri sitim
Transmisit Orco, fremuit: & plagæ ultimum
Parans remedium, nobili argenti dolo
Aurique fraude corda pulsavit Ducum.
Nec vana fraudis tela conceptæ fuit.
Nam, quos nec hostis fregit in bello, Duces,

Nec

Nec ira ferri stravit, aut volantia
Grandinis ad instar tela pulsârunt metu,
(Pudet profari inertiæ tantæ probrum)
Capti dolosâ luce pretiosæ manus,
Et sponsione munerum illecti, fidem,
Vænum dederunt, & sacramenti impiè
Rupêre jura: jamque bis centum rates
Cessêre Amundi latere, bis centum Duci
Raptæ Doronti, in jura Canuti suas
Vertêre vires. O probrum nullâ satis
Pœnâ eluendum! quodque plorandum magis,
Quidquid repostum nobilis prædæ fuit,
Unà abstulêre; resque Canuti & viris
Auxêre, & auro. Triste documentum sumus,
Quid eloquentis possit argenti dolus.
Olaë, Olaë! magna momento ruunt,
Remedia nisi suprema jacturæ admoves.

SCENA VI.

Duo rebelles se invicem erudiunt, omnia jam instructa esse, ut Canutus hodie urbem occupet, & Olaus occidatur.

Trugillus. Taletus.

Trug. ORandus imas pectoris fibras mihi
Metu occupârat. Tanta prodebat Deum
Contrariorum signa, tam certas minas,
Sed esse credo somnia Orandi magis.

Placent Alindi sensa, quæ dixit, loqui
Obscura Superos. Palma jam nostræ venit
Non dubia fraudi. Vesper hic nostros pedes
Laqueis Olai solvet, & tutos bonæ
Restituet auræ. Danus hos urbis lares
Hodie tenebit, seque Regali inclytum
Aget triumpho. Si tamen nostros dolos
Fata improbarent, & suam nostræ manum
Arti negarent: estnè Balisto suus
Paratus arcus! estne cordato tumens
Pharetra Moraldo? *Tal.* Tensus est arcus, *tumet*
Pharetra sagittis: Toxico telum illitum
Non grande vulnus imprimet, at ictum gravem,
Mortisque plagam. Tela, Canuti pia
Ad jussa, fervent. Nutus accedat, dabunt
Fatale vulnus. An quid Orandus novi,
Vel Alindus habeant, prima curarũ hoc loco est.
Id agamus; anceps alea ut firmet gradum.

SCENA VII.

Nuncius adfert post defectum navium, venisse in succursum Magnum, confligere feliciter, & jam Canuti naves succumbere.

Nuncius Magni Regis.

PIetas Olai servida, atque animus Deo
Conjunctus, omen rebus optatum dedit.
Jam res cedebat omnis, & Olaus suo

Regno

Regno exuendus tragica non faustæ dabat
Exempla sortis, quando tot Duces fidem
Rupêre Regi; quanta sed magno in Deum
Spes fuit Olao, tanta fuit unâ & Deo
Cura adjuvandi. Stabat ancipiti aleâ
Suspensa pugna: fracta jam classis mare
Dubium legebat, pronior turpem in fugam,
Quàm vela in hostem vertere, & forti manu
Consulere causæ; turbo ceu subitus, venit
Magnus recente milite, & Regem premens
Post terga Danum; spiritum, atque iras novas
Imprimit Olai militi, at Dano eripit.
Turbata classis hostium, quò iras ferat,
Quò vertat arma, dubitat: à tergo ferox
Magnus furores Marte veterano imprimit,
A fronte classis spiritu pugnat novo.
Canutus undique cinctus huc illuc volat,
Et expeditam quærit effugio viam.
Brevis hora partæ nuncium palmæ dabit.
Præcurro tantæ nuncius ad aulam rei.

SCENA VIII.

Alindus Orando exponit post acceptam in mari cladem, militem Canuti jam esse ante urbem. Interveniunt alij duo rebelles, gaudent Smerilium jam esse in urbe, jam arcem occupaturum.

Alindus. Orandus. Taletus. Trugillus.

Alind. QUis mihi Trugillum? & tempus, & votum fugit.
Quis mihi Taletum? Orande, de somno Deos
Exsuscitandi tempus est. *Oran.* Quis te novus
Agit in pavores rumor? in qualem Deos
Vocas dolorem? *Alin.* Turbo Canutum novus
Involvit æstu. Marte funesto alea
Siniſtra cecidit. Magnus à tergo suas
Naves adurſit. Unde Canutus sibi
Adversa in undis fata jurgari videns,
Tentare Martis aleam terrâ petit:
Et jam corona militum Nidrosiæ
Muros coërcet, sperat assultu unico,
Sui absque cæde militis, densâ hostium
Cæde occupare mœnia: in votum favet
Numerosus, & par miles in tantæ rei
Non in secundos exitus; favet quoque
Araldus absens. Robore urbs magno caret,
Dum caret Araldo. Si tamen voto minor
Fortuna caderet, prompta Baliſti manus,
Prompta & Moraldi muneri invigilent suo.
Oran. Sed en Trugillus tempori, & voto tuo
Adest Taletus. *Alind.* Iſte properantum gradus
Num quid siniſtrum adportat? *Trug.* In medio est (sinu
Smerilius urbis; ariete erupit fores,
Irrupit ingens militum torrens simul;
Qui per plateas fluctuat, & aditum propè
Jam pugnat arcis: quæ reluctatur manus,

Impar

Impar furori cedet, & noſtro dabit
Arcem calori; ac inde ſub frenis erit
Nidroſia omnis. Juſſa Canuti tene:
Si primus armis fallat aſſultus fidem,
Cedat Smerilius; ſeque cedendo neci
Surripiat; at Baliſtus in promptu ſua,
Et ſua Moraldus arma non mittat manu.
Tal. Huc ducitur tragœdiæ iſtius labor.
Oran. Huc cura vergit Numinum, quorum furor
Fulmen in Olaum librat, ut Dano aſſerat
Palmæ virentis gloriam. *Trug.* Quis ſe fragor
Inſolitus auri infundit? Arma, arma evocant:
Viri Talete dexteram, & mentem indue.

SCENA IX.

Oppugnatur arx à Smerilio: defenditur ab Olao & Araldo: Smerilius in fugam vertitur.

Olaus, Smerilius, Araldus.

Ola. GEneroſa Martis pectora, Heroës viri,
Pallere ad arma neſcij, & mortis metu
Nunquam ſubacti, gloriæ hic veſtræ patet
Inſtructa arena: gloriæ antiquæ novam
Adijcite laudem. Cauſa pro vobis, Deus,
Fideſque pugnat: certa ſtat victoria.
Quæ quiſque rapiet ſpolia, rapienti cadent.
Arma, arma miles, arma. denſentur viri.
Smer. O ſocij, in omni pulvere Gradivi inclyti,
Suſpicite, quo ſe præda conſtituit loco,

Rapienda ferro: sede quâ argenti latet,
Aurique nervus Marte frangendus calet,
Novum undè regnum prospicit vestrâ manu
Danis parandum. Huc arma densatis viri
Agite catervis.

Aral. Barbara! & cœlo & solo
Invisa capita! cæde, detrunca, eneca,
Fugit, volantis ocyor pennâ Æoli.
Insequere, siste morte fugientûm pedem.

Olaus. Debetur istud Numini palmæ decus,
Libeat subire templa, ut auctori Deo
Victoriarum gratiæ cedant suæ;
Et vos futuris prælijs robur novum
Capiatis animis. Grande momentum datum est:
Sed hydra nondum tota concisa est. Dies
Auspicia fecit iste: complebit sequens.

SCENA X.

Nuncius adfert fugisse Canutum, totam ipsius classem concisam, victorem Magnum redire.

Nuncius Regis Magni.

QUi sceptra Regum, templa moderatur Deûm,
Hodie sereno respicit Olaum polo,
Hodie recessus intimos cœlum sui
Favoris aperit, duplice dum Olai caput
Lauro coronat. Qualis à tergo cane
Premente cerva timida per saltus fugit,
Et certa in omni fata latratu pavet;

Talis

Talis Smeriliùs avia viarum sequens,
Sparsumque secum militem trahens fugit.
Felicitas hæc prima, sed primæ adijcit
Magnus secundam. Hic ubi supinato levat
Sese tumore clivus, & propè aspicit
Arces Olai, stabat, ut pugnæ ordinem,
Finemque, qualem finxerat vano sibi
Canutus animo, cerneret, plenus spei,
Et jam triumphos mente designans. Ubi
Magni cohortes propiùs accessum videt
Urgere; præceps collis è clivo ruit,
Timidusque pugnæ, carbasa in fugam explicat.
Advertit ista Magnus, atque agilem citans
Remis celocem propiùs admovit gravis
Animi furores; unde Canutum petit
Volante telo. Frontis in mediâ aream
Hæsisset ictus, nisi coruscantem celer
Scuto arcuisset miles. Hinc ipsâ ocyor
Canutus aurâ, arundine impulsâ ocyor,
Urget celocem per flagellatum mare
Labore remi, seque præsenti necis
Discrimini agilis eripit turpi fugâ.
Poterat fugacis assequi Magnus gradum
Volante velo; vita sed tanti fuit
Servanda Regis, ne sacrum solus caput
Daret in pericla: namque non procul hostilæ
Naves secabant pelagus. At Magnus tamen
Velocitate concitâ ad Reges duos,
Unâ & Dorontem socius accedit. Movent
Vires in hostem; qualis in pontum ruit

Boreas, vel Auster, perque discerptas volat
Metuendus undas. Nec moræ tantum datur,
Ut vela sese vertere, & naves fugæ
Aptare possint. Pars maris hiatu perit,
Pars fracta pulsu dissilit; pars in manus
Captiva trahitur; Vixque Canutum fuga
Celoce ternâ funeri eripuit suo.
Et jam superbus laureâ Magnus venit
Patri daturus gaudium. O quantâ fluet
Lætitiâ Olaus, quando spectabit sui
Nati triumphum, & filio adjunget suum?

SCENA XI.

Narratur qualiter Smerilius *in fuga ab* Astulpho interceptus & occisus sit.

Nuncius Astulphi. Olistus Civis.

O Digna scena Cynthium, & mundi aureum
Oculum occupare! digna narratu fui
Diem vorare facta, quæ Astulphus dedit!
Sed prohibet hora; namque regalis calet
Pompæ apparatus; Regia ornatu poli
Astra æmulatur, gemma corridet frequens
Gemmæ frequenti, & altera infusum alteri
Geminat nitorem: nobilis Regum trias
(Tres esse Soles diceres) magno parant
Pretio triumphum ducere. nec ultra moror,
Avidus videre regiæ pompæ diem.

Olist. Da curioso paucula: Astulphi decus
Describe verbo. Tantus in plures abit

Horas

Horas paratus. Ut potes verbo expedi.
Nun. Qualis sagitta nervi ab impulsu volat,
Celerique raptu lumina videntûm fugit;
Talis Smerilius, alite accinctus metu,
Iras Araldi fervidâ evitat fugâ,
Ut vix subactum premere videatur solum.
Certus futuri Astolphus, in prædam vigil,
Latet sub umbrâ nemoris, & casses feræ
Parat implicandæ: dumque prospectat propè
Smerilium adesse, prodit è latebris manu
Forti expeditus. Hæsit aspectu viri
Ille tremefactus; dumque meditatur loqui,
Gelantur ipsa verba; pallescunt labra,
Omnisque trepidâ fronte decedit color,
Et, quod gerebat dexterâ, ferrum excidit.
Pugnæ paratus hæsit Astolphus, rei
Novitate dubius, an sua imbellem Ducem
Dignetur irâ: moxque non dignum æstimans
In quo inquinaret dexteram, ridens ait:
Hos nempe Danus præficit Marti Duces?
Per hos pavendo bella circumfert sono?
Per hos in arma nostra terrores movet?
Hæc fatus iram domuit, & dextro impulit
Pede trepidantem: labitur tactus joco,
Vereque moritur. *Oh!* Facinus egregium Ducis!
Animosa cordis ira! Canutum suum
Ita æmulantur Regis invicti Duces,
Qui fugit ipse, milite in prædam dato.
Hunc. Nimium moramur, pompa nos Regum vocat,

SCENA XII.

Rebelles rebus Canuti omnino desperatis sua damna deplorant, & in fugam convertuntur.

Alindus. Orandus. Trugillus. Taletus.

FOrtuna semper impia! inimicæ mea
In vota stellæ! fata perversa! & Dij
Cæci ac inertes! Tanta Canutus gerit
Vestro favori bella; pro vobis calet
Sub arce miles tanta, & tantæ mare
Naves flagellant, sanguinis tantum damus,
Ut proferatur vester in populos honor,
Ut asserantur cultui vestro sacra,
Et templa, & aræ. Has gratias demum datis
Nostro labori nosque vindictæ hostium
Datis pudendam victimam? Ingrati Dij!
Periêre longo exerciti bello Duces,
Canutus ipse versus in turpem fugam,
Ægrè probrosam prælio vitam extulit.
Quid casta prosunt verba? quid mendax sonus?
Fulmen in Olaum tende: sic palmam refers.
Dum nempe tumido subdimur Olai pedi,
Dum servitutem discimus, palmam manu
Victrice bello efferimus? Ingrati Dij!

Orand. Hodie peribit stirpitus cultus Deûm;
Hodie eruentur templa; nec stabunt suâ
Delubra sede: Palladis, magni Jovis
Honor interibit; Mercuri, ac Martis gement
Eversa sacra; nemo Lucinam colet,

Apol-

Apollinemque nemo; calcatâ Dij
Cervice Regem in alta Norvegum efferent.
Alind. Meruêre plura perfidi Danis Dij.
Trug. Perijtne Olaus? *Alin.* Fata si nondum impium
Rapuêre, fatis proximam vitam trahit.
Ictus sagittâ duplici ad templi fores
Sese in suorum brachia infudit cadens.
Trug. Servate questus tempori, nunc ad fugam
Vertendus animus. Ibimus, quò nos ferent
Violenta fata. *Tal.* Nempe ad occasum ibimus;
Unà sed ibunt ipsi in occasum Dij.

SCENA XIII.

Dum ad Olai aulam procedunt Reges, de victoria gratulaturi, & triumphum acturi, nunciatur Olai mors, & ejus cadaver adducitur, ac deploratur.

Rex Magnus. Rex Jerislæus. Rex Amundus. Araldus. Astulphus. Dorontes. Nuncius.

Com. COmmune robur militum, & Ducum labor
Commune laudis præmium, ac plausum ferat.
Solis triumphus Regibus cedat; quibus
Est parta palma. *Ierit.* Solus augustum feres,
Ergo triumphum Magne; supremum decus
Solus mereris: perditam palmam tuâ
Tu vendicasti dexterâ; impulsum ultimum
Tu hosti dedisti; Danus in fugam tuâ
Virtute terga vertit. *Amun.* At quinam manent
Plausus Olaum? Quidquid ad nostræ decus

Face-

Facere videtur gloriæ, totum suâ
Virtute claudit. Vicimus? Olaus prior.
Ille obsequenti regulam Marti dedit;
Ille imperavit ordines terrâ, & mari;
Ille pietate traxit in nostros Deum
Pronum labores: ille Smerilium sua
Mœnia tenentem retudit, attonuit, ruit,
Fregit, cecidit, egit inhonestam in fugam.
Aral. Excelsa Regum capita, & invicti Duces,
Cujusque vestrum debitum nemo negat
Meritis triumphum, nec adimere cuiquam licet
Partem paratæ gloriæ: atque ipsum hunc reor
Sensum esse Olai. Si tamen mentem magis
Placet experiri. Regiam adeamus, brevi
Humanitatis causa pugnantis modum
Finemque capiet. Plausus hac idem viâ
Profluet in omnes, parque lætitiæ seges.
Ieru. Suades amanda, Aralde.
Amund. Quæ votis placent.
Mag. Desiderata semper. Hoc pridem mihi
Voto æstuavit pectus, ut salvum patrem
Cernere liceret, ejus amplexu frui,
Totumque natum fundere in patris sinum.
Nunc. Olaë! quò me nuncium infaustum vocas?
Mag. Quis hîc repente nuncius mœsto replet
Auras dolore? Causa quæ fracto sinu
Lamenta trudit? *Nun.* Olaë! meditatos sonos
Gemitus reforbet.
Mag Explica, quidquid tibi (loqui
Dilacerat animum, *Nunt.* Olaë! me prohibet
Ins-

Immane vulnus. *Mag.* Fare; discerptum mora
Convellit animum gravius, & acerbat dolor.
Nunc. Cecidisti Olaë!
Mag. Monstra quæ verbo, & dolos
Comprendis uno? fræna mœrori injice,
Totamque acerbi nuncij seriem explica.
Nunc. Cecidisti Olaë vilis in telum manus.
Mag. Mortuus Olaus? genitor extinctus meus?
Nunc. Extinctus.
Mag. Ubi? qua fraude? vel cujus manu?
Expone. Justas fulminis sævi Deus
In ultionem sceleris intorque faces!
Nunc. Jam vota cœlo dederat, & sacram preces
Fuderat ad aram, victor & partam Deo
Palmam retulerat; jamque rediturus fores
Templi tenebat; ecce momento volant,
Et utrumque gemina tela configunt latus.
Nec ante per auras prodidit stridor prius,
Quàm jacta tela vulneri hærerent. Stetit
Vultu sereno Olaus, & mente integrâ,
Ridensque: qualis manè venientem mari
Rosa purpurato spectat è folio diem;
Sed mox severæ grandinis ab ictu cadit.
Languebat anima, & funeri accedens suo,
Grates rependo Numen, ajebat, tibi,
Qui liberali præmium hoc reddis manu
Meo labori. Morior in causâ tui
Quæsiti honoris. Causa non melior potest
Vel tibi placere, vel mihi æternæ dare
Laudis tributum. Morior; at vivant mei

Ami-

Amici Amundus & Jerislæus; fidem,
Me functo, eandem filio præstent meo.
Vive ô superstes Magne, morientis patris
Imago viva: tuque pars melior mei
Aralde vive? Dixit & sensim ruens
In sulcientûm brachia, in cœlum levat
Bis, terque vultum pallidum, & magnæ viam
Relaxat animæ. *Mag.* Fata! cui Magnum malo
Huc advocastis? Post tot annorum fugam
In hoc redivi, ut mortuo, infelix! patri
Tumbam appararem! Dic ubi exuviæ *patris?*
Ubi est cadaver?
Nunc. Mœsta jam raucum tuba
Sonat, & propinquum nunciat *funus patris,*
Tuos dolores pompa feralis trahit.
Mag. O magna amoris scena! nec minus mei
Spectaculum doloris! O quis viscera
Sub fræna cogat? verba quis linguæ ingerat?
Quis sensa menti? verba non reperit dolor.
Mi Rex! quid istud: esse me hæredem patris,
Sceptri & coronæ? Genitor! ah! dixi parum.
Carne induisse nobilem mentem, *parum est.*
Vita, anima, mens & spiritus: sæpe in rei
Antro hospitantur pectoris. Dicam omnia:
Rex, genitor, anima, spiritus, vita & salus.
Rex sceptra ponis; exuis patrem pater:
Deserit anima cor: spiritus cœlum petis:
Vita in sepulchrum conderis: salus fugis.
Rex! genitor! anima! spiritus! vita & salus!
Talem videre meruit infelix nimis

Sobo-

Soboles parentem! Martis exemplar pij,
Fortisque, Olaē! Fortis in bello, pius
In pace Princeps; norma prudentis Ducis,
Et æquitatis regula, & custos Dei,
Idemque propugnator; in populos manu
Fluente semper largus; immensum omnium
Laudum theatrum; Olaë, cecidisti in necem!
Erro: stetisti: qualis invictus solet
Belli Imperator stando venientis necis
Excipere telum, Mortuum tamen, dolens,
Et penè moriens, video: sed vivit tua
In fronte pietas, blanda majestas, rigor
Attemperatus oris, & clementiæ
Amica nubes. Video; decessit calor
Corde, color ore, gratiæ vultu, artubus
Vigor omnis; omne robur extinctum jacet,
Video heu! cadaver. Luminum binas faces,
Ad quas tremebat hostis, ad quarum diem
Ridebat orbis, alta nox tenebris tegit,
Immota languet dextera, à sceptro aurea,
Ab ense rigida; cujus ad motum graves
Cecidêre Reges; quæque si terrum extulit,
Ad sua coëgit genua magnanimos Duces,
Edomuit urbes, regna concussit metu,
Ipsisque Averni sustulit monstris diem,
Obmutuêre labra facunda in rosas,
Obriguit illa lingua, quæ sanctis dabat
Vel jura dictis, melle vel verba illita
Auribus amicis, fulmina inimicis, pios
Superis precatus. O sacræ capitis comæ,

Di-

Dignæque & auro, & laurea! O vastis pares
Ponderibus humeri! quos nec Atlantis potens
Æquet facultas! Quid loquor? cuinam loquor?
Non audit ille; pectore increscit dolor!
Melius loquemur lachrymis. O quis dabit,
Ut pectus istud induat fontis vices!
Ut gemina lumina fluminum ritu fluant!
O chare genitor! quis dabit natum mori,
Ut vindicari genitor à letho queas!
Cur lentus ad te pertigi? cur non steti
Clypeus paterno pectori, ut vires suas
Prius hebetaret pectore in nostro furor?
O anima nati genitor! ô cordis vigor!
O si hoc daretur spiritu exuvias tuas
Animare posse, teque redivivum in tuos
Reponere artus! viveret natus tuus
Meliore vitâ. Barbari! crudi! impij!
Geniti parente tigride, aut orco sati!
Quicunque telo Regis innocui latus
Ausi ferire, Regis in Superos pij,
Suorum amantis, publici auctoris boni,
Justi tenacis, fortis in bello Ducis,
In pace Jani! Dicite extremo sitæ
Mundi cadentis margine, aut maris ultimo
Gentes repostæ littore, ubi puerum vorat
Saturnus artus, ubi patres morti dare
Est filiorum ludus, ubi patrum est jocus
Perimere natos; vosne tam dirum nefas,
Crudele, sævum, barbarum, immite, impium
Vidistis unquam? Filijs vitæ pater

De-

Dedit perennis lumen; à natis pater,
Crudelitate barbarâ occisus, jacet.
Jam lachrymarum vena siccatus mihi:
O filij Nidrosiæ, Norvegiæ
O chara soboles, si qua vos pietas movet
Tantùm in parentem, vestra lamentis meis
Jungite, paresque lachrymis lachrymas date,
Jactura tanti patris hoc unum petit:
Hoc filiorum est debitum in charum patrem.

COMMUS.

HIc ille, Deo juratus amor,
Fidei assertor, Superûm vindex,
Spes redivivæ relligionis?
O quàm tragicâ morte peremptus!
Dignus Pylios vivere in annos.
Hic ille stygis terror, & imi
Hostis Averni, cujus ad æquas
Horruit iras, quidquid piceo
Fudit ab antro styx inamæna?
Cujus ad ignei sulmina ferri
Malè possessis eruta templis
Simulachra Deûm vertêre fugam?
Heu! quàm tragicâ morte peremptus,
Dignus Pylios vivere in annos!
Hic ille Ducum grande exemplar,
Regula morum, viva in Superos
Lex pietatis, normaque Regum;
Cujus jussum, fuit exemplum,
Qui, quod agendum, prior ipse egit;

Cujus honestæ ratio vitæ
Alijs morum censura fuit.
Heu! quàm tragicâ morte peremptus
Dignus Pylios vivere in annos.
Nos, nos fuimus tanto indigni
Principe cives, tantoque patre
Nati indigni. Quamvis fuerit
Trux illa manus, quæ vjolento
Impete telum in pectus adegit:
Culpa at nostra est: pœna merentûm
In colla ruit. Præpete nobis
Funere Olaus jacet extinctus.
Sed tamen abiens miseris grande
Dat medicamen vulneris acti.
Nos hæredes jubet esse suæ
Vitæ & morum. Quisquis tanti
Filius ambit vivere patris,
Non segnis opes patrias adeat;
Semperque memor patris amantis
Non degeneres eat in mores.
Sic sibi semper mortique suæ
Longa superstes sæcula vivet.
Optima Regum vita bonorum
Virtusque Ducum, nunquam moritur:
Si continuo per nos fluxu
Eat in seram à patribus sobolem.
Parcite luctu, tergite fletus:
Condite sacros tumulo cineres:
Sed post cineres credite vestrum
Immortalem vivere Olaum.

FINIS.

DAVID

Per Saulis persecutionem ad regnum Israelis evectus.

Ex Tancredo Cottono Soc. Jesu.

ARGUMENTUM.

DAvid post occisum Philistæum à Saule in generum assumitur. Sed occasione plausûs, quem populus Davidi victori fecit, venit Saul in suspicionem regni à Davide affectati: ideoque hunc varijs modis è vita tollere nititur, nequidquam Jonatha filio suo, ut Davidem servet, laborante. Demum ut Davidis nomen obscuret, ipse contra Philistæos procedit spe victoriæ allectus, quâ datos Davidi plausus sepeliret. At Deo aliter disponente & ipse, & filius ejus Jonathas in prælio occumbunt. Inde David Rex Israëlis acclamatur.

INTER-

INTERLOCUTORES.

Pluto.
Sulphurinus genius Infer.
Saul.
Jonathas.
David.
Eliab.
Abner.
Joab.
Mosue miles.
Capitaneus Moab.
Dochim Pastor.
Charon cum Cerbero.
Nuncij.
Chori.

ACTUS I.

ACTVS I.

SCENA I.

Pluto, quòd non ignoret de stirpe David nasciturum eum, qui infernum sit domiturus, mittit Sulphurinum genium infernalem, ut vel Davidis animum perverterat, vel eum occidat.

Pluto. Sulphurinus.

CRudele Numen! Numen inimicum meo
Semper labori! semper infestum stygi!
Quousque mentis ambitum, & cœcam exeris
Sitim imperandi? Quidquid ignitum supra
Micat theatrum siderum, quidquid supra
Ardentis ignes Cynthii illustrem diem
Admittit oculis, jussibus studio tuis
Obtemperandi parat in obsequium pedes.
Nec adhuc resedit æstus insatiabilis
Regni ampliandi limites? Patria tenes
Tu regna, mecum sorte quæ decuit pari,
Parique titulo dividi; & necdum satur,
Hæreditatis jura funestis meæ
Invadis armis? pacis evertis statum,
Et pacta laceras? Jura mihi in homines data
Abinde teneo, quando libratus suis
Cardinibus orbis constitit, & avidâ fame

Malum momordit primus. Hoc morsu mea
Sub sceptra sponte venit omne hominum genus,
At tu regendi cupidus, aut mihi invidus,
Mihi execrandam generis humani excitas
Rebellionem. Juro Diis sacram Stygem,
Vulgusque Averni! Juro tergemini canis
Iram trifaucem: jura, quæ patriâ mihi
Hæreditate competunt, nunquam eripi
Patiar inultus. Stirpe non clarâ puer,
Non luce avorum nobili, aut factis patrum
Illustris orbi, nostrum in exitium suas
Acerbat iras. Stemmate illius (nisi
Auguria fallunt) sanguinem quondam trahet,
Qui nostra regna clade funestâ ultimam
Premat in ruinam. Sæva prô! regni lues
Probrumq; nostri! Sceptra, quæ pridem colunt
Uterque mundus poplite lunato, quibus
Cervice flexâ regium inclinant jubar
Mundi Monarchæ; sceptra, quæ tellus pavet,
Avernus horret, Jupiter cœlo invidet,
Illa æviternùm perdita subibunt jugum?
Et servitutis arduæ infames ferent
Collo catenas? Pluto, si fibris adhuc
Furor ardet aliquis, exere supremum malo
Oestrum opprimendo. Fide tu semper meis
O Sulphurine fraudibus, doctus ferum
Genus Israëlis trahere sub nostrum jugum,
Qualis per artes mille, & ingenii dolos
Tuam probasti rebus in dubiis fidem;

Talis

Talis supremas evoca mentis facet,
Manûsque robur. Cernis, ut David puer
(Ferale nomen! nomen invisum stygi!)
Jam se per arma jactat, empturus fidem
Plausumque populi? Si quid antiqui calet
In te furoris, vel dolosarum viget
In mente fraudum, pectoris sinum excute,
Invade technis, frange marmoreum gelu
Rigentis animi, & flexilem puerum mea
Trahe sub tributa. Si dolum elidat, via
Audax per omnes, quære, quo vitæ impiæ
Trunces furore stamen; & qui se negat
Mihi in tributum vivus, extinctus cadat
Victima Acheronti debita.

Sulph. Hoc curæ meæ
Permitte Pluto. Luna radiantûm priùs
Quàm ducat agmen siderum, & fratri obvios
Evolvat ignes; aut caput, nulli hactenus
Flexum Deorum, Numini inflectet tuo;
Aut obstinatum spiritum in Averna evomet.
Si res, locusque postulet, formam induam
Vertumnus omnem, belluas ritu horridas,
Ursos, leones nemoris ex antris traham
Puero opprimendo. Si manu audace enecet
Vim belluarum, monstra Cocito eruam,
Ut insolenti spiritum puero extrahant.
Si monstra victor cogat in turpem fugam,
Monstris Averni gravior in puerum ardeat
Saulis ira. Facilis ad scelus hoc via est,
Regnare cupidus æmulum regni timet,

Oditque. Timeat, oderit puerum Saul?
Peracta causa est. Verba quid ventis fero?
Agenda res est. Victimas vel det Stygi,
Vel ipse cruda victima occumbat Stygi.

SCENA II.

David, an cum fratribus ad bellum contra Philistæos descendat, an in solatium patris remaneat, anceps hæret.

David.

QUis pavor inertes militis nostri manus,
Et corda stringit? unus insultans metu
Percellit omnes? Israël, probrum tuum!
Sic ille avorum spiritus, virtus patrum?
Roburque gentis omne succisum perit?
O si cruentus ille terrarum pavor,
Stuporque nostræ gentis, & murus suæ,
Contemptor ille juris, atque odium Dei
Gigas superbum daret in occursum caput!
Quantus colossum carneum aut fundâ, aut manu
Victor domarem! quantus oppressum pede
Premerem gigantem, & ense divulsum caput
Ferrem in triumphum, corpus alitibus darem!
Hâc insolentes bellua in flamma tui
Furoris æstus: huc ubi rivus strepit
Cadente lymphâ, & lambit herbosam levi
Spondam natatu: Suavis hic cytharæ modis
Te funerandam bellua in arenam voco.

Hic

Hic exigatur causa, quæ populum trahit
Utrumque in arma. Sed quid ignavo loco
Fugitivum euntis temporis cursum moror?
Illuc eundum est, sese ubi jactat ferox
Tumor gigantis mole confisus suâ.
At sic leonum rictui, ursorum fami
Gregem vorandum deseram, & pinguem lupis
Prædam relinquam? Patiar at fratres meos
Periculosam Martis in campo aleam
Subire, & atrex sanguine illorum sitim
Satiare monstrum, perque cognatum impiâ
Crudelitate ludere cruorem, & nece
Vivere meorum? Me Philistæus trahit,
Et experiri carneæ turris manum
Roburque cogit. Quid agis, infelix? Pater
Regni in salutem prole vacuavit domum,
Suæque justit studia virtutis dare,
Regi tuendo, & Numini: solus senies
David superstes; tu quoque in campum evola,
Ut una cædes filios omnes patri
Auferat, & omnis damna patiatur gregis.
An esse tantùm poteris ingratus patri?
Quid agam? gregemne tuear? an Martè petam?

SCENA III.

Intervenit Eliab frater, ex quo intelligit hodiernum diem pugnæ contra Philistæos designatum esse, consiliumque accipit, ut in solatium patris ad greges remaneat.

Eliab. David.

QUis mœror atrânube violatum tegit
Frontis serenum, & corde confuso exprimit
Voces doloris? fortè quòd fratres tuos
Imperia Regis Martis in campum vocent?
Deterge nubem fronte, mœrorem fibris
Absterge frater: longa non nobis mora
Fluet sub æris pondere, repositos patri
Natos videbis, perque victorum caput
Serpere virentem lauream Phœbus priùs
Quàm subeat iste fessus Hesperiæ sinum
Liquidum Amphitrites, fronde redimiti comam,
Palmâque dextras inciti oppressam metu
Urbem erigemus. *David.* Ergo qui surgit dies
Cursum auspicatus, iste coëuntes globos
Utriusque Martis cetnetrhic Regem suo
Miscebit hosti, patriæ ut excutiat jugum,
Pressosque cives sancta libertas beet?
Eliab. Hic ipse nostræ sortis optatâ sinum
Implebit aurâ, vana nisi forsan spei
Me ludat umbra: te tamen Martis calor
, Non urat ullus, Dubia res belli alea est:
, Incerta palma. Spes quidem certam facit,
Tamen ipsa pendet. Ergo si eventu cadat
Res in secundo, nosque destituat Deus,
Quam spe voramus, laureâ; ac uno cadant
Fratres perempti prælio, afflictus pater
Obitu suorum funus extremum occidet.
At si superstes funeri nostro dies

Frater

Frater secundos protrahis, mœsti patris
Leviore pectus dente mordebit dolor.
Nam vivet in te grande solamen domûs,
Generis paterni sanguis, & stirpis decus,
Pater ipse vivet. Jussa quò Regis vocant,
Ego verto gressum: tu prece secundum vove
, Rebus meatum. Sæpè quæ geminum stetit
, Inter Gradivum palma, cui sese daret
, Ambigua, tandem partis alterius sinum
, Vocata precibus involat. Frater vale.

Dav. Gemina sagitta pectus attonitum ferit,
Geminumq; vulnus figit. Hinc animum trahit
In bella justus in Philistæum furor,
Fataleq; odium generis invisi Deo,
Pietasq; patriæ debita; at retrahit gradum
Pietas parenti debita. O Numen, cui
Imi recessus cordis abstrusi patent,
Tu, quæ cupido teneat ancipitem animum
Optima sequendi, cernis. O Numen, tuæ
Consilia mentis pande, & ambiguum rege,
Miseramq; præsens patriam auxilio tege.
Gregem reviso pascuum, an forsan vagus
Et dissipatus erret, an pascat simul,
An turbet ursus, an leo prædas agat.

SCENA IV.

Pulsus ab urso Dochim pastor in Davidem incidit; hic primò ursum, deinde leo-

nem confieit. Hinc animum sumit contra Philistæum procedendi.

Dochim. David.

Doch. QUò fugio? quò non fugio? præcipiti famâ
Insequitur ursus, & ferox tergum premit.
Fortè & leonem sanguinis adurget sitis.
Non lentus ille dormit, ubi odorem gregis
Sentit propinquum. Cùm dies præceps heri
Fessis sub imum mergeret pontum rotas,
Hac ille sylvæ parte rugitum dedit,
Visusque pingues quærere in cœnam dapes.
Non hinc remotus pendulam labris famem
Acuit, sitimque sanguinis: sed abest procul
Animosus ille juvenis, in atroces amans
Feras volare, & dexterâ impavidâ obvium
Lacerare rictum. Fortè pertæsus gregis
Vitæque sylvas inter obscuræ suam
Marti locavit dexteram. Nôvi igneam,
Quâ pectus ardet, gloriæ & honoris facem.
„Avidum eminendi pectus haud *unquam* diu
„Sub rusticana sorte se patitur premi.
Heu me! quis isthic rumor exterret nemus?
En pecoris hostis ursus, at terror meus
Hiante rictu & dente venatur dapem.
Fugio Sed isthic rorvus immanes agit
Leo furoros, sequ[illegible] ardentem excitet
Iram, flagellat. David! ah ubî es? tuo
Succurre Dochimo David! O cœlum! ò solum!

David.

David. Quæ te timoris umbra solicitam in fugam
Dochim coëgit? *Doch.* Aspicis coràm mei
Causam timoris?
Dav. Erige oppressum, Dochim,
Animum pavore. Retro trepidantes move
Post terga gressus; hostis hic poscit virum
Vacuum timoris. Æmulum hunc pridem meis
Votis petivi. Dexteræ fisus meæ
Suo natantem sanguine videbis feram.
En adsum inermis æmulus, solùm meo
Armatus animo ac dexterâ, huc totas age
Laceras ursum.
Vires, tyranne nemoris. O utinam obvius
Adesset ille generis sacidûm pavor,
Præsumptuosus latro, Philistæus gigas!
Tali involarem cæde, lacerarem manu,
Occiderem, ossa minuerem, eruerem fibras.
Doch. Heu! parte ab illa tacitus adrepit leo
Famente rictu. Cernis, ut prædam igneo
Vestigat oculo? *Dav.* Præda jam pascit tuos
Deposita vultus, & metu trepidat adhuc
Imbellis animus? Occupa dextrum mihi
Latus, nec inde cede: quò verto gradum,
Tu verte pariter. Goliath, ô monstrum horri-
dum,
Infame monstrum, proditum Acherontis lacu!
Tecum in leone consero, & victor tuæ
Lacerat leonem.
Præludo cædi. Talis afflictum solo (hus!
Lacero gigantem. *Doch.* Juvenis, heroum ge-

Et patre licet ignobili natus, tuæ
Stirpi daturus nomen, ætherea trahis
Virtute robur. *Dav.* Estne, qui nostros greges
Terrere possit, alius in sylvis pavor?
Doeh. Est victus omnis: hactenus nullus leo,
Aliusq; nullus ursus infestus fuit
Nemori, gregiq; Tertius jam annus polum
Ingreditur, ex quo patris his sylvis gregi
Invigilo custos; præter hunc hostem hactenus
Non visus ullus. Unde securas tenet
Pax alta sylvas, grexq; non trepidis meat
Et huc, & illuc passibus. *Dav.* Spes hæc meas
Etiam medullas lactat, & certum facit
Animum futuri. Jamq; me major subit
In bella fervor. Antè dubitantem patris
Amor tenebat, cæde ne prolis senex
Unà peremptæ caderet: at certus spei
Nunc stimulat ardor. Perge vicinum gregem
Quà pascit herba; terge trepidanti metum,
Et tuta sponde pascua: ego cœlum sequor,
Quò me vocari sentio. Qui intùs meum
Inflammat animum genius, hic certam mihi
Hodie salutem sponder, & patriæ, & patris,
Et Israelis gloriam. O tanti Deus
Auctor parensq; spiritûs, facilem rege
Ad arma dextram; quiq; promittis tuo
Palmam Israeli, studia pugnantis juva!

SCENA V.

Dolet & indignatur Saul, sibi tam indignè

dignè à Goliatho insultari, nec quemquam esse in toto suo exercitu, qui ei se opponere audeat: Abner suadet, ut promissis agat, spemque facit repertum iri aliquem, qui congredi cum gigante petat.

Saul. Abner.

Saul. ERgo ego pudendum primus exemplum Saul
Dabo Israelis Regibus, quantus timor
Effœminati exercitûs, quantum metus
Regis inhonorus publicum in probrum queat?
O dura cœli sidera! adversæ faces
Stellantis axis! militis nostri ô pudor!
Unus tumente spiritu in arenam vocat
Omnem Israelem miles, & fastu arduus
Omnem Israelem terret, ut nemo obviam
Porrigere frontem, nemo conferre audeat
Manum colosso carneo? Vilis jocus,
Ludibriumq; barbaræ gentis canar?
Et tu Israelis populè, dilectum tuo
Genus Tonanti, cujus auxilio & manu
Tot inter hostes semper invictus, tuus
Semper stetisti, probra tot cœlo jaci,
Tot impudentis ore Goliathi Deum
Inultus audis impeti? & segnis jaces,
Nec in ultionem corripis ferrum manu?
Et ego pudenda larva regnanti tum, feram

Opprobria aviti generis, opprobria mea,
Injuriasque Numinis, quibus tumens
Vilis parentis filius, terrâ satus
Lacessit astra, militem nostrum, jubar
Regale frontis? Anxia ô semper meæ
Vertigo sortis! funeri indictus dies
Nostro supremus! Estne vel via, vel modus
Quo tam probrosi jura frangantur mali?
Abn. Compone fluctum mentis, & pectus suæ
, Tranquillitati vendica. Nullum probis
, Tam pertinace pondere incumbit malum,
, Ut non meantis temporis fluxu cadat
, Quæ longa pressi credimus, brevis mora in
, Nihilum resolvit. Quod procul *distat malum*,
, Ingens videtur; cùm propè adstiterit, *leve est.*
Saul. Sed in propinquo, quo premor, gravius malum est.
Instat tyrannus, exprobrat inerti suum
Regi timorem: Ve per hic fluctum ultimum
Capiti minatur, nosque per ferrum & faces
Morti immolandos flebile in funus vocat.
Abn. Id grande pondus æstimo *malorum*; cui
Amoliendo nullus est *arti modus.*
, At cui mederi possumus, leve est malum.
Saul. Quibus remediis? aute quâ valeam meos
Metus fugare? quando, qui præstant manûs
Animique firmo robore, gelantur metu,
Visuque monstri concidunt in non viros?
Nec ullus audet primus atroci obviis
, Occurrere armis? *Abn.* Militi in pugna vigor
, Vir-

,Virtusque crescit. *Saul.* Militi in pugna cadit
,Virtus vigorque, quando pugnanti comes
,Timor it ad arma.
Abn. Sæpè, quod animis negat
,Natura, vi necessitas summa exprimit.
Saul. Pectus animusque prima scintilla est boni,
,Si robur absit, prima scintilla occidit.
Abn. Quoties minore in corpore est major vigor?
,Collecta fortem dexteram virtus facit:
,Quæ dissipatur, semper est seipsâ minor.
,Quod mole grande est, esse quoque timidum solet.
,Invicte Princeps, præmia irritant viros
,Generosa in ausa. Statue mercedem viro
Te Rege dignam quisquis audacem sibi
Petere gigantem fidat, & arenam obvio
Tentare Marte. Milite ex tanto virûm
Extabit aliquis fortè, cui grandis sedet
Sub corde virtus, quique non timidus morî,
Sed vincere avidus, spiritum grandem excitet,
Et in duello carneam molem opprimat,
Et ante Solis funus illustret diem
Victoriosâ laureâ. *Saul.* Assensum tua
Fides meretur. Quære, num quisquam gravis
Amore ductus præmii immani audeat
Conferere monstro. Statuo, quod suades; feret
Quodcunque statuo, quisquis hoc animo meos
Vultus subibit. Astra consilium regant.

CHORUS.

Probat bonum Davidis animum contra Goliathum procedendi.

,UBi magnanimi pectoris ardet
,Flamma, timori locus est nullus.
,Ubi prudentis regula mentis
,Omnia librat, sine defectu
,Omnia currunt. Nihil est fortis,
,Nisi sit prudens. Noxia vis est
,Vigor Herculeus, nisi prudente
,Ratione regas. Junge utrumque,
Prudentem animum, fortemque manum;
Geminum regni firmamen habes.
Utraque David tibi debetur
Gloria; fortis, prudensq; idem,
Hostes nemorum lacerare feras,
Hostemq; hominum flectere Martem.
Perge, calorem quò tua virtus
Evocat animi: Deus eventu
Felice tuos probat ardores.
Ubi justitiæ, rectiq; tenax
Princeps regni flectit habenas,
Et sceptra manu, Themidos lancem
Oculo observat; serie legum,
Ordine juris, duce consilio,
Cœli placitis omnia currunt.
,Bene compositæ soboles mentis
,Actio recta est Sola sed animum
,Tenet in recti limite constans

,Re-

,Regula cœli. Mens ubi juri
Numinis instat, Themidosq; sacrum
Sequitur ductum, digna imperio
Facta sequuntur. Laus ista tibi est
Debita David. Quidquid agendum est,
Ad sancta Dei jura coerces.
Perge, calorem quò tua virtus
Evocat animi. Deus eventu
Felice tuos probat ardores.
Ubi constantis pectoris ignis
Documenta sui dedit ardoris,
Facta heroæ grandia mentis
,Sperare licet. Semper eodem
,Inclyta virtus pondere fertur,
,Similisq; sui fortis in omni
,Pugnat arenâ; crescitq; rei
,Crescente gradu. Dextra probata
Cæde ferarum discit ab uno
Præda in aliud vertere vires;
Quæque leones ursosque prius
Victrice manu stravit, in hostes
Pectoris ignem vertere discit.
Hæc te David gloria honestat!
Virtute tuâ leo contritus,
Et laceratus concidit ursus.
Unde gigantî, virtute tua,
Vitam admendam, spes magna subit.
Perge, intrepidum quò tua virtus
Evocat animum. Deus eventu
Felice tuos probat ardores.

ACTUS

ACTVS II.

SCENA I.

David intelligit accuratè ex Mosue, quæ sit statura, robur, & fastus gigantis, & quòd à Saule præmium sit appensum ei, qui Goliathum prostraverit.

David, Mosue.

Dav. POrtenta narras, Qualis est frontis tenor?
Qualis character oris, aut vultus color?
Quis tractus humeri? qualis est *vocis sonus?*
Qualis statura corporis? an *urso magis*
Famente sævit? an leoninâ *magis*
Ferocit irâ? Si quis hoc monstrum opprimat,
Sperare num quod præmium victor potest?
Mos. Qualis colossus nubium excelsas domos
Fastigiato vertice superbus ferit;
Aut qualis altum culmen immergit polo
Elata turris: talis immani *gigas*
Tumore surgit, & sui aspectu procul
Spargit timorem: pectus obmunit gravis
Lorica, quæque pondere fatiget viros.
Solido ære fusa cassis obnubit caput,
Trucesque vultus asperat; ab humeris fluit
Immane pondus *clypeus*, à dextra eminet
Aptus ferendis nivium antennis scapus
Præfixus ære; ferreum est illi caput,

Pectus

Pectus, humerique ferrei, & cubiti, & manus,
Suræ, pedesque ferrei: Frontem occupat
Nubes opaco turbine, & cœcâ sinum
Gravis procellâ; fulgura ex oculis micant,
Ex ore fulmen; vocis horrendæ sonus
Tonitrua æmulatur. Totus est, verbo, stygis
Partus inamœnus, Eumenis, Erynnis, Draco,
Panthera, tigris, ursus, & si quid magis
Crudele, dirum, barbarum, execrabile
Vel lustra gignunt Africæ, vel alit cavis
Avernus antris. *Dav.* Iste mons rosi est vir?
Totus character? Ista portenti est nota?
Sit tigre sævâ sævior, & urso magis
Famente præceps, sanguinis siti leo,
Furore sit panthera, sit pardus ferâ
Immanitate, mille monstrorum horridum
Sit unus hic compendium, vili potest
, Manu interire. Nemo, cùm justè furit,
, Non entheatam dexteram in cædem gerit.
Quid spe lanista inutili applaudit sibi?
Hac ille dextrâ (vana non tacito mihi
In corde Numen loquitur) hac dextrâ cadet
Vilis tyrannus, morte testatus suâ,
Quid agente cœlo possit imbellis manus.
Sed perge: quæ Rex dona victori dabit?
Mos. Virtute quisquis masculâ excitus, suum
Viscera bus atræ belluæ immerget scapum,
Aut toxicatum spiritum corde extrahet,
Hunc Rex tributis eximet, & omnem retro
Seriem nepotum liberæ turpis dabit

Gau-

Gaudere donis: addet ingentes opes
Argenti & auri, spatia terrarum, domos
Tectis minantes ætheri, saxo inclitas,
Gemmisque cultas, quoque non majus queat,
Ad regna socium assumet, & partem imperi
Dabit regendam, & sorte felicem novâ
Generum jubebit esse regalis domûs.
Quid poscere ultrà possis, aut votis tuis
„Optare David? Nemo fortunam in sinum
„Sponte influentem respuit. Quodsi tibi
Mens est duello congredi, id libeat quoque
Oculis videre propriis monstrum priùs,
Quàm tela stringas. Astra si faveant tuæ
Benigna dextræ, carneam ut molem pede
Victore calces; pulchra libertas redit,
Et servitutis solvitur collum jugo:
Securitate patriam, optata beas
Regem salute; nominis famam tui
Per posterorum secula extendis; seni
Vitam parenti prorogas. At si (Deus
Id vertat omen) sorte non fausta occidas,
Victorq; tencat insolens campum gigas,
Succumbit una patria libertas, patrum
Fundata factis gloria, antiquum decus.
Generis Abrami, conjugum & prolis salus,
Et servitutis subdimur turpi jugo.
Hoc ille per ludibrium & fastum gigas
Ingeminat audax: Si quis in vobis virûm est,
Prodite Martes Israel; si unus cado,
Omnis Philisthim populus in me uno cadit;

At

At si interemptus Apella sub calcem ruit,
Hebræus omnis induet collo jugum.

Dav. Jactare multa pectus ignavum solet:
Generosa virtus loquitur & facto, & manu.
Sic multa latrat catulus, at digiti levem
Motum expavescit: grandior presso silet
Molossus ore, at vulneri dentem imprimit,
Libet ire contrà: at corporis vasti prius
Cernere gigantem, & fulmini torto parem
Audire vocem, & vulneris fausti locum
Signare. Perge, jam mora est omnis gravis.

SCENA II.

Sulphurinus irridet inconsultum Davidis desiderium, & parat ex orco terrores opponere.

Sulphurinus.

INerudite juvenis, & belli vices
Experte nunquam! quò calor præceps trahit
Manum imbecillam? credit insanus, parem
Non esse dextram dexteræ, cujus vigor
Exunguârit belluas, cujus manus
Lacerârit ursos, vividus cujus calor
Sævi leonis fregerit anhelas minas,
Rictumque hiantem sanguine humano suam
Sitim edomare. Nescit infelix puer,
Quæ vis Averno, quàm sit indomitum stygi
Robur, quis atris inferi monstris vigor.
Documenta puero modica inexperto dabo.

Unam

Unam evocabo belluam: O quantum gelu
Per ossa currit! quantus in membris rigor,
In fronte sudor, pallor in vultu, tremor
Fluet per artus! Frondium qualis viror
Humore noctis roridus, si fors gravis
Incumbat Aquilo manè, vel rigidus furat
Boreas nivali ab axe; momento gelu
Concrescit omnis; quæque vernabat novo
Honore sylva, frondium amittit decus:
Talis, gigantis mole conspectâ, metu
Stringêris ossa, & mente cum pavidâ color
, Decedet ore. Mitiùs mentem malum
, Absens flagellat, sæviùs præsens gravat.

SCENA III.

Indignatur Jonathas ignaviæ totius Israëlis, quòd ne unus reperiatur, qui audeat cum gigante congredi, decernit ipsè, etsi se imparem agnoscat, contra eum procedere: dissuadet Abner, suadet autem opponendum Davidem.

Jonathas. Abner.

FAtalis iste militi & regno est dies,
Si vera patri dictat aut Deus, aut metus
Hodie cadendum existimat. Trepidus timor
Id suadet animo. A milite in Regem hic meat,
Equidem pavorem exercitûs vanum reor,
Umbrasque inanes: inde non video tamen

Nos

Nos usque tutos. Militem in totum fluit
Communis horror, publica animorum lues
Terror, pavorque castra conturbat. Malum
Minus esset istud, sola tyronum metus
Si corda quateret; sed, quod indignum est viro,
Duces in ipsos, inque veteranos, nece
Et cæde multâ nobiles, multâ inclitos
Ex hoste partâ laureâ, hic migrat timor.
At, quod medullas viscerum torquet magis,
Si cum gigante nullus in aperto manus
Conferere fidat, nullus in arenam pede
Succedere ausit; quanta nos manent probra?
Quæ macula tanti nominis, nullâ die
Delenda quondam? mille quam seris adhuc
Canant nepotes seculis. Meliùs foret,
Ah meliùs, inter arma venalem dare
Letho cruorem, subque ferientis manu
Cadere, & supremum gloriæ extremæ decus
Sanguine notare, quàm superfuso probro
Sine honore spretos vivere, infamem jocum
Vilemque ludum gentium, & nostræ domûs
Olim pudendum dedecus. Fixum mihi est,
Dum quisque metuit alius, exemplum grave
Dare Israëli, quamlibet pares neget
Natura vires, ire in occursum feræ,
Tentare sortem cominus ferro & manu,
Utrâque palmâ stringere, nec antè impium
Mittere colossum liberum, quàm unà cadat.
Si vincat ille, perque devicti fibras
Scrutetur animam, sanguine effuso notam

Ob-

Obliterabo ignaviæ, & turpem omnium
Maculam lavabo. Solus in campum tuam,
, Pugnabo solus *Abn.* Rebus in magnis priùs
, Libranda sunt consilia, quàm facto impotens
, Manus applicetur. *Ion* Qui diu librat, diu
, Non vult. *Abn.* Diu nõ velle prudentem decet.
Ion. Sed non amantem gloriæ, aut timidum probri,
Abn. A gressu in ipso prævide egressum rei.
Ion. Quisquis sequatur exitus factum hoc, nequit
Esse insecundus. Namque vel victor ferum
Cædam gigantem, vel cadam victus: cadens
Delebo probrum, gloriam victor feram.
Sine experiri dexteram: aut cædam, aut cadam.
Abn. Invicte Princeps, major est animo calor,
Quàm vis lacertis. *Ion.* Mitte.
Abn. Sed prohibet fides.
Ion. Auctoritate jubeo. *Abn.* Quod possim, jube.
Ion. Non invidere gloriam Domino potes.
Abn. Sed præcavere debeo in pendens probrum.
Ion. Quodcunq; probrum est, gloriâ est partâ min'.
Abn. Quodcunque probrum est, gloriam partam
opprimit.
Ion. Patrem elevabo. *Abn.* Deprimes.
Ion. Cædam. *Abn.* Cades. (dabis
Ion. Tegam cadendo ignaviam. *Abn.* At cunctos
In servitutem. *Ion* Nimius incumbis.
Abn. Fides
Obstricta cogit. *Ion.* Solvo, quam debes, fidē.
Abn. Sed, quam parenti debeo, solvi nequit.
Ion. Nec, quam parenti debeo, arceri decet.

Abn.

Abn. Necessitatis tempore hæc solùm ligat.
Ion Hoc tempus illud *Abn.* Alia consilia rei
Periculosæ suppetent *Ion.* Istud malum
Præsens deposcit, Tu quoque ignavus times,
Dimitte: solus hostium in ferrum ruam.
Abn. Non solus ibis. Latere me nullus tuo
Furor revellet: ibo, quaquà ibis, comes.
Neque primus ictum dexteræ hostilis feres.
Quodcunque telum vertici incumbet tuo,
Priùs per istud pectus illapsum suas
Infringet iras, seque lassatum atteret,
Quàm tua per ossa sanguinis sedet sitim.
At res minora postulat. Vivit super,
Qui bellicosum pectus & queat, & velit
Opponere hosti, juvenis infractus manu
Fortis lacertis, corde non pavidus; patris
Qui frænat iras cythará, & insanos modis
Reprimit furores. Ille (sic fama est) nihil
Pavet ad gigantis carneam turrim; nihil
Grave impotentis pectoris fulmen timet.
Quin provocare, congredi, pedem pedi,
Manumque manui opponere, & tantæ rei
Per singulare prælium finem dare
Certus salutis spondet. Hunc ajunt feras
Stravisse sæpè, sæpè congressum lupis,
Ursisque sæpè, belluas timido gregi
Ludum dedisse: quin leoninum impetum
Fregisse dextrâ, vique generosæ manûs
Laceratse rictus. *Ion.* Vera narrasti. Mihi
Juvenilis ille semper arrisit calor,

Te-

Tenorque prudens mentis, ac hominem supra
Generosus ardor. Ergo quæratur puer:
Edicat ipse, quid suæ vires sibi,
Quid flamma cordis spondeat. Quivis suos
„Novit lacertos; quisque, quid possit manu,
„Tentando didicit: experimentum optimus
„Rerum est magister, inde num velit quoque,
„Scire est necesse. Posse nil prodest, nisi
„Adsit voluntas: velle nil prodest, nisi
„Adsit facultas. Brachia hæc gemina benè
„Gravem salutis publicæ molem ferunt:
Et multa posse, & velle, quæ possis, simul.
O David! ô spes Regis! ô regni salus!

SCENA IV.

Dum David Mosue recensetvisum à se gigantem, apparet à Sulphurino in terrorem submissus ab orco Charon cum Cerbero: quod monstrum David cytharæ sono mitigat.

Mosue. David. Charon.

IPse insolentis carneam molem viri
Intuitus oculis; ipse, quod linguâ jacit,
Et voce fulmen horridâ audisti. Tibi
Quis fuit in animo sensus? aspectus trucis
Non ille vultûs pectoris movit fibras
Irâ & timore? *Dav.* Visus accendit quidem
Justum furorem cordis; at nullo metu

Incre-

Increpuit animum. Qualenã monſtrũ impium,
Atrox, ſuperbum, Numini inviſum, ſolo
Abominandum, ſceleris ac omnis putri
Lue inquinatum, ut audeat cœlo palàm
Teſte, & vidente Sole, viventis Dei
Populo exprobrare, vile ludibrium & jocum
Facere profanis gentibus, & uni ſibi
Omnem arrogare gloriam, ac noſtros Patres
Trahere in tributum? Juro ſpectantem omnia
Tonantem olympo, vita ſi faveat, manum
Hanc vindicantem ſenties, Sceleris tui
Hæc fuerit hora, ſed ſequens pœnas feret.
Tunc in tumores arrige ſuperbum caput,
Cùm bilioſo dente mordebis ſolum
Humi profuſus, & tuo jugulo chalybs
Incumbet ultor, deque truncati impio
Colli canali ſanguis impurus fluet.
Tunc me vorandam belluis eſcam paret,
Ferisque vile pabulnm alitibus coquat,
Quando ipſe pingue prandium corvis dabit,
Et putre corpus paſcet agreſtes canes.

Moſ. Quæ monſtra diro Avernus effundit ſinu?

Dav. Quis ora pallor? quis timor mentem occupat?

Moſ. Heu! monſtra ab Orco! Cernis, ut trifaux canis
Deſignat eſcam pendulæ è labris fami?
O nauta Averni! ô cymba ſulphurei lacùs!

Dav. Comprime tremorem cordis, & vultu ſuum
Retine colorem: hæc monſtra non ferrum domat,

Non vis lacerti, aut brachii infracti vigor?
Sed vis canora barbiti; & cytharæ volans
Per fila digitus!

Char. Flammeâ tandem è stygè
Mundi sepulti venimus purum in diem;
Diem malignum Tartaro, nostro diem
Oculo execrandum. Cerbere trifaucem erigè
In prædam hiatum: digna se denti tuo
Propinat esca, digna quæ triplicis famem
Irritet oris. Surge, quid stertis reses?
Exurge, Charon imperat, Pluto jubet.
Accurre, dente aggredere, comprende, oppri-
Artusque sciffos dente rabioso vora. (me,
Ego solutas vinculis animas, rate
Per mœsta flammis stagna, & ardentis pice
Acherontis undas, perque Lethæos lacus
Barathrum sub imum proveham infernæ stygis.

Dav. Orbis sepulti civis, antrorum incola,
Quæ sulphuratus igne perpetuo Acheron
Circuit, & atrâ nube Cocytus tegit,
Quis te Deorum sede ab infausta evocat
Vivas sub auras, Solis exosum in diem?
Quid sede in ista semper invisâ stygi,
Nobis amicâ? Verte, quàm frustra ratim
Trahis has in auras; verte ad obscuras domos
Ditis latentis, ubi superfusâ dies
Tumulatur umbrâ, noxque perpetuis pavet
Horrida tenebris. Si trahis longas moras,
Fatalis isthæc aura te, simul & canem
Perimet trifaucem, quique Sol medio diem

Dispen-

Dispensat axe, luminum extinguet facem.
I, perge cæca ad antra, & horrentes nigri
Acherontis umbras. Patriũ hîc regnum tibi est,
Hîc ejulatus Manium, & crebris sonans
Verberibus antrum, querula lamentis vada,
Flammæ crepantes, & catenarum sonus,
Et murmur auræ, & dentium stridor dabunt
Amœniores auribus vestris modos:
Char. Quæ lenis auræ suavitas sese meo
Insinuat animo, cujus afflatu furor
Mitescit omnis? Cerbere, antiquum stygis
Ponis venenum corde? latratus silent?
Et mitigata dentium rabies cadit?
Cerbere, retrorsum, Cerbere ad navim redi:
Mora brevis omnem pectoris flammam oppri-
Et nos pudendam victimam puero dabit. (met,
Mos. Cessêre monstra, cecidit absorptus solo
Hiante fluvius. O potens cytharæ sonus!
Ad quem pavendæ Tartari larvæ stupent,
Et mitioris indolem mentis trahunt.
Dav. Hinc de futuris conjice. Favebit Deus
Cœlo secundus: ut Philistæus gigas
Spumans hiante mordeat rictu solum.
Hæc ipsa forsan hora speratam dabit
Nobis salutem. Pergo, quò cœlum vocat.
Mos. Sed inde victor gloriam & laurum refer.

CHORUS.

Invocat benigna sidera, ut contra gigantem processuro Davidi faveant.

Astra cœli, quæ benigno
Lucis aureæ tributo
Fluctuantium timorem
Martiales in furores
Excitatis, & valentis
Ausa dexteræ ad secundos
Exitus deducitis:
Astra cœli, vos Hebræo
Præbuistis ignem Ephœbo,
Sævientes ut leones
Involaret, & famentes
Dexterâ ursos enecaret,
Monstra Ditis indecoram
In fugam converteret.
Astra cœli, vos amico
Rursus igne nunc eunti
Horridi sub ora monstri
David orbitam notate;
Prævia que luce callem
Destinate, quo gigantis
Ante vultus mente sistat
Expeditâ & integrâ.
Astra cœli, quæ notatis
Temporum vices fluentûm,
Et secunda & insecunda
Fata mundi lineatis;
Et faventis, & labantis
Fila vitæ, vel trahenda,
Vel secanda proditis;
Vel rotatis fata David,

Et

Et trucis dies gigantis:
Ille fortis, & pavendus;
Imbecillus hic pavensque
Martis occupent arenam:
Ille victor, iste victus
Arma Martis exerant.
Ille victor calcet hostem,
Iste victus conteratur;
Ille lauream reportet,
Iste sanguinem profundat.
Astra cœli sic jubent:
David armis præliatus
Pace regnum fulciat.

ACTUS III.

SCENA I.

Eliab exprobrat Davidi, quòd relicto grege ad castra venerit.

Eliab, David.

HAc horâ? in ista castra? vesanum caput
Pueri insolentis! hocne prudentis rear,
Qualis videri postulas? edic tamen,
Quæ causa adegit Martis in campum pedem
Te ferre, David? Hoccine est vigilem gregis
Habere curam, belluis illum feris
Deserere prædam? ut possit aut atrox leo,

Aut rabidus ursus, dente vel rigido lupus
In ovile nostrum vertere cruoris sitim.
Fortè hîc rapaces esse rebaris lupos,
Quos in duellum quæris, aut fulvâ horridos
Jubâ leones? Nempe ubi populi graves
Undant procellæ, & martiæ clangunt tubæ,
Fremitusque gentis perstrepit, degunt lupi,
Ursi, & leones: at sub umbroso lare
Nemoris opaci, ubi inhospito tellus riget
Deserta saxo, & antra nativos feris
Pandunt recessus, nullus hîc ursus rapax,
Leoque nullus ponit insidias gregi.
Secura sic sunt omnia. Hinc possunt oves
Tutæ vagari, tuque tantis per gregis
Vacuare curâ pectus, & spectaculis
Animum explicare. Cura quæ porrò patris
Fessi senisque; lætus, an mœstus sine
Ope filiorum vivat; an aliquod suo
Lenimen habeat vulneri; hoc nati nihil
Tangit medullas? O patri ingratum caput!
Novi ego superbæ mentis insanum ambitum,
Avidumque pectus gloriæ, & famæ sitim.
Quid te parentis tædia, & mœsti dies
Noctesque ductæ lacrymis, quid te movent
Fratrum pericla, & prole viduati lares?
Pereat avitus sanguis, & nomen patrum
Oblivionis tumulet injectus cinis:
Pereat supremum germen, ut nemo amplius,
Qui vendicare stemma ab interitu queat,
Vivat superstes: ista Davidis nihil

Sunt

Sunt digna curis, dummodo laudem sibi
Vanæque fumum gloriæ ambitio paret.
Nempe insolentis arrogans cordis tumor
Huc me coëgit. Astra sed juro poli,
Et qui vagantûm regimen astrorum tenet!
Quid ago? quid egi? plura prohibemur loqui.
Sed non inultus iste morietur dies.
Dav. I, quò furentis impetus mentis rapit.
Insanus æstus verba non sana exprimit.
Sed non movebor. Ibo, quò Numen vocat.

SCENA II.

Sulphurinus irridet Davidis temeritatem, quòd sibi spondere ausit victoriam à gigante reportandam.

Sulphurinus.

QUanto tumore turget, & cœlum minis
Terrere vanis arrogans audet puer?
Quaiis lupatis aream excussis equus
Volat per omnem liber, & colli jubam
Et huc & illuc jactat, hinnitu sibi
Applaudit ipse, calcibus ventos ferit,
Sed absque vulnere, Quantus in arenam puer!
Quàm trux, feroxque prodit! Insultat, furit,
Fremit, ferocit, æstuat, cilium erigit,
Verborum inanes jactat in cœlum minas.
O nane miles! comptùle in bellum puer.
Non res aguntur cantu, ubi Mavors calet,
Non voce cytharæ: sed nec invictum tibi

Suspensa collo barbitus scutum dabit.
Distende modici corporis molem culex,
Montesque spira, projice ingentes polo
Minas cicada: at perge, quò tumidi calor
Te pellit animi; solo ab aspectu feri
Gigantis, omnis concidet mentis tumor,
Leporemque prodet, ore ventoso cui
Mars spirat arma. Si tamen contrà, probro
Cogente, steterit, qualis immanem hauriet
Hastam medullis? qualis impressum fibris
Excipiet ensem? Perge servilis puer,
Quò major animi flamma, quàm virtus vocat,
Adero subipsum prælium, & plausum dabo,
Et cùm patente vulnere emissus fluet
Cum sanguine animus, primo excipiam manu,
Et per tenebris obsitas ductum vias,
Stygis æviternis ignibus prædam dabo.

SCENA III.

David offert se contra Philistæum Sauli: enarrat suæ fortitudinis argumenta: experitur, & rejicit armaturam regiam: cum funda & baculo dimittitur, quem Abner cum mandatis regiis comitatur.

David, Saul, Abner, Jonathas.

SAUL. GIgas Tonantē calcat, & in omnes necem
Effumat unus ore ventosus thraso:

Sed

Sed pavor in omnes transmeat, nec qui audeat
Illi duello congredi, est ullus super.
Dav. Probrum Israëlis! corde si cunctis vigor
Trepidante cecidit, unus ad monstri manum
Nil David horret. Magne Rex, mandas? ego
Ego lacessam belluam; in arenam necis
Ego provocabo. Dexteræ par est mihi
Mentisque robur. *Saul.* Tu gigantæo arduam
Tumore turrim? cujus in chalybe furor,
In ore fulmen, robur in dextra sedet,
Et par leoni pectus insumit calor?
Tu triste monstrum, immane, terrificum, hor-
Tibi David ætas flore primævo nitet, (ridum!
Vernantque vires; ille robusto sedet
Ætatis apice: mole tu parvâ erigis
Exile corpus; ille procerâ altior
Quercu intumescit: sæviinexperta hactenus
Tibi dextra Martis, ille jam multam tulit
Hyemem sub armis, cassidem multâ face
Æstatis ussit, deque superato inclitas
Portavit hoste laureas; at tu agmina
Parata in arma quando vidisti? Gravis
, Virtutis æmulus æmulum poscit parem.
Dav. Sua licet acta promere, superbi queat
Animi videri; de mea quando tamen
Virtute dubitas, cogis istius manûs
Narrare facta, brachio ut parvo scias
Grandia patrari posse, cùm Numen favet.
Prædator alti nemoris ardentem leo,
Vel ursus antris extulit opacis famem,

Pinguemque rapiut arietem è medio grege
Siti daturus sanguinem, carnes fami:
Et jam sub alta pondus abreptum juga
Tardus ferebat; specto, quam carpit viam,
Sequor famentem, dentibus prædam eruo:
Clavâ obstinatum verbero; audentem suos
In me furores vertere invado feram,
Rictusque hiantes involo, in partes trabo.
Lacerumque monstrum pabulum corvis sacro.
Ego, Rex timende Regibus, servus tuus,
Ausus leoni congredi, atque ausus trucem
Ursum involare, dexterâ hac letho dedi.
Et hic pudendus gentis Hebrææ metus,
Cœlo execrandus, Numini invisus tumor,
Quantus vel ursus ungue, vel rictu est leo?
Quàm torvus, asper, rabidus, indomitus, ferox?
Ut unus omne stirpis Isacidûm genus
Aut dissipare speret afflatu; Notus
Qualis Novembres arborum spargit comas?
Aut interemptum excindere, & turpi decus
Oblivione tegere? Monstrorum omnium
Monstrum! quid ista funda, quid possit manus,
Docebo, si Rex magne concedis. Pedem
In castra ducam; stabo, quo steterit loco,
Frontem irretortam porrigam, sequûm exprimam
Sinistrâ, & hastam dexterâ, & capite graves
Truncabo cristas, latere mucronem auferam,
Et impiato demetam collo caput.
Saul. Juvenilis iste mentis animosæ calor
Non hoc meretur præmium, ut præsens sui

Capitis periclum subeat.

Dav. Opprobrium tamen
Quod in Israëlis manat antiquum genus,
Meretur, ut sit ultor. *Saul.* Opprobrium minus
Majore tolles. *Dav.* Omne cùm tollam, minus
Majusque reprimam.

Saul. At omne non tolles, nisi
Monstrum trucides, sed neque hoc ætas tua,
Neque pollicetur corporis moles. *Dav.* Malè,
,Rex magne, mole corporis, et annis, vigor
,Exigitur animi. Corpore in parvo latet
,Quandoque virtus major. Ursorum unguibus
Avido leonis ore, qui illæsum Deus
Servavit, ille manibus ereptum impiis
Victrice ferre lauream dextrâ dabit.

Saul. Periclitantem publicæ statum rei
,Fundare in uno juvene, qui sapit, nequit.

Dav. Sed est necesse, quando maturus deest.

Saul. Maturitatem firma si penset manus,

Dav. Pensat, favillâ quando cœlesti calet
Pugnantis animus.

Saul. Unde de cœlo hæc probas
Ardentis iræ semina? *Dav.* Hoc stratus leo,
Ursusque fusus, genius internus probat,
Qui me relictis gregibus in campum tulit.

Saul. Quid ais ad ista Jonatha? *Io.* Virilem probo
Mentis favillam, quæ mihi certam facit
Spem comparandæ gloriæ.

Saul. Imprudens ferar.
Abner, quid arbitratis? *Abn.* Ubi factis priùs

Documenta robur mentis excelsæ dedit,
Sapientis esse credo, non dubium exitum
Sperare rebus. *Saul.* Regium armorum date
Huc apparatum. Clypeus in lævam trilix,
In pectus umbo, in dexteram aptetur chalybs,
Frontemque cassis. *Abn* Pectus ærato indue
Umbone, galeâ verticem, ferro latus,
Lævamque scuto *Jon.* Talis in bellum move,
Talis peracto victor ex bello redi.

Dav Quid me catenis stringitis? pectus gravor
Caputque ferri pondere, & pressum riget
Ab ære corpus. Tollite has ferri moras:
Pugnare qui vult, liberos nervos amat.
Nudus ferarum rictui occurri, & sine
Ferro leonis ora laceravi manu;
Nudus gigantis vile truncabo caput.

Saul. Talis in arenam David, et Martis ferum
Procede campum, qualis ex campo redux
Referre speras lauream. At magnâ hîc opus
Prudentiâ et vigore: sed utroque inclitum est
Tibi pectus Abner: sequere, quò juvenem trahit
Honesta flamma; sique (quod Superi vetent!)
Casu sinistræ sortis occumbat prior
Juvenis subactu, fronte non timidâ injice
Novos calores militi: optatam suis
Sedere in armis lauream, & totam sacræ
Patriæ salutem ostende: virtuti suum
Promitte pretium; Regis è censu fluet
Duplicata merces, Efferat mentes nitor

Spe-

» Speratus auri; quæque prostratæ jacent
» Vires ad arma, tinnulo argenti sono
» Animos resumunt. Adde, succursum novum
Novi parari militis; Regem quoque
Assumere arma, ut aleam sortis parem,
Discrimen æquum subeat. Ut verbo omnia
Complectar, Abner militem intrepidum suâ
Statione retine. Victor at David pede
Si calcet hydram sanguinis, nullâ morâ
Principia adurge læta, & attonitos suæ
Stupore cladis ocyor vento obrue.
» Cùm prima sors aspirat, utendum impigrè
» Favore primo est. Dubia cùm nutat semel
» Fortuna, facili tota conatu ruit.
» Velocitati junge cautelam. Duo
» Sunt ista Martis brachia, virentem quibus
Præcerpit hosti lauream, & victum opprimit.
Abn. Accipio jussa Regis, & factum paro,
In nostra pronus vota conspiret polus.

SCENA IV.

Inter spem metumque secuturi eventûs anxium Saulem Jonathas filius ad spem firmiorem erigit.

Saul. Jonathas.

Saul. AMbigua aguntur fata, nec certum licet
Videre finem prælii. Hinc terret Gigas
Suâ pavendus mole, & aspectu ferox,
Onustus armis, sola quæ tenerum queant

Sepelire juvenem pondere: at contra erigit
Animum cadentem juvenis infracti vigor,
Et apta bellis indoles. Qui ursos manu
Exungulare potuit, & stare obvius
Leonis iræ, perque laceratum feræ
Rictum innocente ludere triumphans joco,
Virtute quâ sit, experimenti satis
Dedit ambigenti, quo sit in tantis malis
Pede constitutus, quantus adversâ impium
Arte ruiturus æmulum, ut rerum statu
Periclitante plurimum adnitet spei.

Jonat. Verum est, amate genitor; incertis volat
,Fortuna pennis. Sæpè, quem lætat diu
,Spe comparandæ laureæ, mortis reâ
,Taxo coronat: sæpè cûi palmam abstulit,
,Iterum redonat. Plurima ad lauru a est via:
,Sed quæ sub ipsum prælii ingressum latet,
,Campoque in ipso nascitur: binis tamen
Spes tota belli basibus inniti solet,
Viribus, & arti: viribus potior tamen
Esse ars videtur. Grande documentũ exhibent
Bella anteacta. Vidimus turmis gravem,
Numero potentem exercitum, palmâ inclitum
Sæpiùs ab hostis manibus extortâ, æmuli
Clarum trophæis, cujus in ferro salus
Sedere visa patriæ, & lauri integram
Spem polliceri: vidimus contrà manum
Exiliorem viribus facto impetu
Pugnare, ruere, frangere, fugare, insequi,
Instare tergo, cædere, & strage ultimâ

,Si

„Signare campum. Nempe consilium sagax
„Natum ex arena viribus præstat. Suâ
„Succumbit ipsa mole rationis face
„Vis destituta. Corporum vires probo,
„Si temperentur mentis auxilio, nisi
„Consilia fortem viribus mentis juvent,
„Segne in cadaver corporis moles cadit,
Quod si duelli proprium expendas modum,
„Per pauca robur, plura dexteritas potest.
Saul. Sic est: sed armis quando non paribus calor
Par prælliatur, remque in angustos fremens
Fortuna cogit limites; qui plus potest
Viribus & armis, nec tamen scitis caret
Doli, vel artis; ille victricem feret
Ex hoste palmam. *Ion.* Reliqua si steterint pari
Suspensa libra, nec bonum forti neget
Fortuna vultum; viribus qui plus potest,
In martiali pulvere peremptum pede
Calcabit hostem. Casus at præsens pari
Non cuncta lance ponderat. Non par vigor
Est brachiorum, aut æqua dexteritas manus,
Aut providentis cordis ingenium est idem;
Sed ampliora fulcra sunt nostræ spei. (gor,
Saul. At unde? fare. *Ion.* Virium in juvene est vi-
Prudensque mentis sensus in arena capax
Excogitandi consili, & dexter modus,
Celerque flexus corporis, jacta ut sciat
Vitare tela, dumque librandum gigas
Metitur ictum, levior illapsu irruat
Ipsum sub ictum, & carneam molem solo

Affli-

Affligat, hebetet, calcet, enervet, necet.
Specimina confer edita. Hic nunquam gigas
Quid arte posſit, docuit. Ostendit gravem
Molem staturæ, nulla generosæ dedit
, Documenta dextræ: fastus in verbis, iners
, Pectus revelat: pondus armorum impedit
Depræliantis dexteram: vastus tenor
Tractusque molis arduæ certum facit
Ictum minantis æmuli. At David suæ
Sæpè in leonem robur expertus manûs,
Sæpiùs in ursos vicit, oppressit, tulit
Prædas ademptas. *Saul.* Grande momẽtum spei
, Minate dictas: quando sed lævum ferunt
, Sinistra casum fata, nil robur valet,
Nil mentis altæ flamma, nil flexus levis,
Facilisque motus corporis. *Ion.* Fateor quidem,
Eventa belli nocte tenebrosâ tegi;
Victoriamque pendulam ancipite loco
Volvi, & revolvi: temporis lapsi tamen
Si facta repetas, sæpè qui victus priùs
Succubuit hosti, jamque labentem in caput
Vidit securim; mentis auxilio, & *manûs*
Vi provocatâ, victor evasit sui
Victoris, & quem sensit immiti pede
Sua jam jacentis membra calcantem, & sinus,
Mox ipse stravit, perque calcatum caput
Adegit ensem. Dexteræ tantùm potest
Vis, mensque celeris consilî in arena ferax.
Utroque pugnat David, & mente, & manu.
Utroque firmat, quod deest nostræ spei,

Sed

Sed quod labantes erigit mentes magis,
, Est justa belli causa. Quod animum efferat,
, Viresque præstat militi, est causæ æquitas.
, Quod in hoste vires adimit, est causa impia
, Belli inchoati.

Saul. Mentis hoc recreat sinum:
Si reliqua desint, æquitas causæ favet.
, Causæ æquitatem faustus eventus beat.

SCENA V.

Dolet Eliab, quòd fratrem suum Davidem solùm dimiserit; properat: ut cum eo aut vincat, aut moriatur.

Eliab.

VOluit, abivit. David! ô frater! mihi
Tam pectus excors, vile, & ignavum fuit,
Ut nec luberet cernere cadentem, cui
Subsidia in ausus Martios sociâ dare
Manu timebam. Nimius aut juveni calor
Nomen perenne faciet, aut longum retro
, Probrum sequetur. Pauca juvenilis calor
, Expertus audet multa, nec cernit satis
, Quid timeat, aut quid caveat; ad primas faces
, Improvidentis pectoris flammam capit,
, Et imperitus regere, quò fertur, volat,
Nec in calore sana consilia capit.
Sed quis dolendum nuncium patri feret
Davidem amatum, filium tantæ spei,

Gem-

Gemmam parentis, nobile augendæ domûs
Stirpisque columen, triste properatânece
Jacere funus? lene quis acerbæ dabit
Plagæ levamen? David ô patris dolor!
Vulnusque fratris! Si tamen frater tuus
Mereor vocari, quando Neſtoreos dies
Vivere merentem mortis in vulnus dedi.
Ego te peremi frater ego ferro tuum
Hauſi cruorem, quando inexpertum ſeri
Mavortis, iræ ſuſtuli in crudi manus
Vulnusque monſtri. Nullus excuſat color;
Me nulla cauſa ſceleris abſolvit. Reum
Me ſponte fateor. Debui aut mentis tuæ
Æſtum reprimere, latere nec fratris latus
Unquam avocare; aut debui tecum parem
Subire ſortem, teque ſi caderes, meâ
Morte comitari: debui ardorem tuum
Arcere campo, & aream belli prior
Metu repreſſo adire, qui vixi prior,
Ætate qui te vinco, qui Martem diu
Secutus ante, chalybis exerti minas
Tractare didici; ſæpè qui in pugna ſteti,
Et Marte & arte doctus hoſtiles retro
Agere phalanges. Serò ſed nimium meum
Deploro crimen, corrigi præſtat ſcelus
Nondum expiatum. O Eliab, ô fratris ferox
Frater tyranne! Flebili quid me juvat
Laceſſere auras voce? ſupplicium ſcelus
Suum meretur. Perge, quâ campus patet,
Quâ ſe duelli fervidus jactat calor;

Cum

Cum fratre vince frater, aut victus cade.
Imò ut superstes vivat, in arena prior
Pro fratre morere. Meruit hanc pœnam scelus.

SCENA VI.

Nuncius narrat ingressum duelli inter Goliath & David.

Nuncius.

RES est sub ictu. Tacitus ex campo advolo,
Ut quæ aguntur, nunciem Regi. Stetit
Jam geminus Heros Martis in arena. Calor
Utrique par est, mentis incensæ furor
Utrumque stimulat. Agmina utrumque in latus
Diffusa stabant: hinc Philistæi ordines
Ad arma prompti, corporum aspectu ardui,
Rigido timendi in ære, quadrata explicant
Specie cohortes, jamque prægustu fluunt
Palmæ, sedante prælium: hinc noster fremit
Æquo calore miles, & avarâ siti
Hostilis ardet sanguinis. Binis grave
Lunatur agmen frontibus, & amplo sinum
Dilatat agro. Prima, quæ cornu tenet
Acies, sagittas acuit, ut feriat procul
Hostem involantem, & impetum primũ arceat
Utroque latere: ponè stat tereti manus
Armata fundâ turma, quam custos propè
Eques tuetur: Agminis medio in sinu
Metuenda pilis horret hastatis seges:
Sequuntur equites, stabile post equites locum

Agmen

Agmen habet; equites rursus extremum tenēn
Clauduntque campum. Media, quæ utra sq; in
Inter cohortes, area, duello patet. (teres
Et jam coibant propiùs, hinc Goliath truci
Metuendus hastâ, & ære Mavortis gravis;
At inde fuste David & clavâ manum
Armatus. Altum miles utrinque adstupet,
Siletque pugnæ cupidus. Ubi juvenem Gigas
Spectavit oculis, voce ferali intonat:
Quæ musca Goliath æmula in pugnam venit?
O rusticelle miles! ô Martis probrum!
An me canino genere prognatum putas,
Ut fuste solo dexteram armatus meum
In arma robur provoces? Goliæ pudor
Pugnare puero! At perge in occursum puer,
Accede propior, ossa comminuam, feris
Carnes vorandas avibus, ac ursis dabis
Exhauriendum sanguinem. Risit gravem
Vocis tumorem juvenis: & contrà, impiè,
Crudelis, inquit, barbare, & ferro magis
Quàm mente fortis! fide loricæ tuæ,
, Galeæque & hastæ. Nempe, qui *metuit, suum*
, Umbone pectus armat, & ferro manum
, Caputque galeâ: primus invenit timor
, Ferrumque & arma. Vera quem virtus tegit,
, Solidumque robur, non eget ferri morâ
Prohibere vulnus. Sed veni, qualis riges
Metuendus, an ridendus? ego inermem tuo
Manum tumori conferam, at certâ Dei
Ope clypeatam. Senties, quid sit polo

Pugnare

Pugnare læso; quando qui rides Deum,
Vindex per omnes retro ridendum dabit
Deus nepotes, teque juvenili jocum
Ludumque faciet dexteræ. Lassabo te,
Girabo te, luxabo te, mactabo te,
Truncabo te, te belluis escam dabo,
Et insepultum corpus aërei greges
Lautè vorabunt. Hinc Philistæus tumor
Deum Israëlis discet; & serò sciet
Non insidere laureas ferri minis,
Clypeis, vel hastis, vel lacertosis virûm
Equitumque turmis. Dixit: ego propero gradu
Excedo castris, nuncium Regi bonæ
Spei daturus: alter à tergo premit
Nuncius euntem; jamque (non vanè auguror)
Adfert gigantem mole collapsum sua
Sceleràsse terram sanguine, & putri solum
Natare tabo.

SCENA VII.

Sulphurinus *victoriæ Davidis infremens abit, in hunc odia Saulis concitaturus.*

Sulphurinus.

O fata! quis nostris Deus
Inimicus ausis, quidquid aggredimur, vasto
Prævertit ictu? Quis Deus fundam dedit,
Lapidemque torto verbere excussum impulit?
Cecidit colossus (ô stygis acerbus dolor,

Vul-

Vulnusqque Averni!) cecidit, & rabido solus
Momordit ore. Ridet Hebræus puer,
Festoque turri carneæ insultat joco.
At sulphurata juro Cocyti vada,
Et amne Ditem flammeo innantem Stygis!
Tibi hic dolorem pectoris pariet jocus,
, Risusque lacrymas. Æmulum nemo imperî
, Sceptrique patitur. Hæc via ad fraudem patet,
Ardere regni amore Davidem Saul
Concipiat animo, parta jam sceleri ultio est.
Jam per medullas æstus ardentes aget
Odii favillas: nullus innocuum teget
Locus tenebris, nulla Davidem satis
Defendet umbra: quò gradum vertet fugâ,
Sequetur ultor; sede, quâ tutum suæ
Saluti asylum quæret, insidias strui
Vitæ reperiet: omnis in damnum tuum
Mens occupata machinas, fraudes, dolos,
Decreta mortis, funera, et cædes coquet,
Nil tunc juvabit funda, vel tortus lapis.

CHORUS.

Docet veram fortitudinem non esse in mole corporis, vel in armis, sed in animo sitam.

NImis imprudens, mentisq; expers,
Quicunque suâ mole superbus,
Sese immunem vulneris alti
Putat à modicis viribus esse,

, Nihil

„Nihil infirmum crede, nocere
„Quodcunque poteſt. Nil tam firmum
„Crede, cui manus nequeat grandi
„Vulnere vaſtum frangere pectus.
Tuus inſanus tumor eſt, Goliath,
Furor eſt Goliath tuus amentis
Animi partus; qui virtutem
Roburque manus malè metiris
Vaſto tractu corporis alti.
„Non hoc fortem eſt eſſe, immane
„Efferre caput, tendere vaſtos
Corporis artus, nubibus altâ
„Mole minari. Sæpè in parvo
„Corpore major ſpiritus ardet.
„Sæpè in magno corpore minus eſt
„Animi robur. Quæ magna, tument;
„Collecta, vigent. Sed neque Medi
Robore ferri, neque loricâ,
Caſſide, et haſtâ, clypeoque gravi
Fortis virtus pendenda viri eſt.
„Arma ignavus timor invenit.
Timidus lepus eſt, quamvis galeæ
Caput immergat, rigeatque æreis
Undique ſquammis corpora clauſus:
„Inſita vis eſt, quæ magnanimum,
„Fortemque facit. Quæ circumſtant
„Arma, ignavi nota ſunt animi.
„Vis generoſi maſcula cordis
„Non eget armis; nec peregrino
Nobile robur ſumit ab ære,

Quem

Quem ſua mentis pulchra favilla
Urit, quamvis modicos corpus
Tendat in artus, quamvis nullâ
Caſſide frontem, clypeo pectus,
Enſe armatam rigeat dextram;
Audet inermis ferro armato,
Ære rigenti, ac enſe minaci
Ferre Giganti bella, poteſtque
Sternere molem, pede calcare,
Enſeque proprio reſecare caput.
Docet id David, docet id Goliath:
Ille triumphans, iſte peremptus.
, Dicite: fortem non facit enſis,
Duroque rigens dextera ferro;
Non umbo nitens, non haſta *minax*,
Non caput horrens caſſidis igne:
Non excelſi capitis moles,
Quæque propinquis nubibus altam
Frontem abſcondit, vel in affinis
Seſe immergit fidera cœli.
, Inſita vis eſt, hoſpita cordis,
, Quæ magnanimum, *fortemq; facit.*

ACTVS IV.

SCENA I.

Adfertur Jonathæ nuncium de Gigante per Davidem proſtrato.

Jona-

Jonathas. Nuncius.

Jon COepti duelli nuncius primus spei
Alimenta magna præbuit, dubio tamen
Mentem reliquit pendulam, in cujus caput
Se palma flecteret. Exitu optato quidem
Rem constitisse credo: sed nondum patet,
Uter in arena victor, aut victus fuit.
Avidus peractæ nuncium expecto rei.
Sed ecce! paucis fare, quo res est loco?
Dextro, an sinistro? *Nunc.* Lætior nobis dedit
Fortuna vultum. Cecidit immanis gigas;
Victoriosus David ex campo redit,
Pompâque cinctus nobili plausus agit.
Jonath. O mea voluptas David! ô animæ meæ
Anima! triumphas! Nobilis pugnæ juvat
Audire seriem: stringe, quàm paucis potes,
Lætitia inundans odit alloquii moras.
Nunc. Rescindo prima verba pugnantûm. Eminus
Postquam giganti visus est David, levat
Immane corpus sede, venientem aspicit
Minace vultu, mox gigantæum gradum
Lentum ac superbum promovet: contrâ pedem
Modicùm repressit David, et tacitâ manu
Silicem latentem pendula è pera eximit;
Moxque incitato spiritu in pugnam volat,
Volansque fundam girat, et forti impetu
Elidit ictum: silicis elisæ sonus
Acer per auras ivit, et mediâ aream
Hæsit superbæ frontis. Attonitus gigas
Nutare primùm; deinde fatalem manu

Dimittere haſtam, cadere ſanguineo minax
Horrore clypeus: moxque collabi feræ
Immane corpus, perque diſtentum ſolum
Diffluere cæſæ belluæ impurus cruor.

Ionat. Sic ille noſtri ſanguinis anhelus ſiti
Draco interivit.

Nunc. Pondere armorum, & gravi
Lapſu cadentis corporis circùm ſono
Gemuêre montes: quale cùm fulmen coquunt
Multiplice nubes murmure, ignavæ ſonant.

Ionat. Hunc dirus ille meritus eſt plauſum *draco*,

Nunc. Diffuſa poſtquam membra jacuerunt ſolo
Monſtri inſolentis, dumque diſtentos pedes
Manusque mortis quateret extremus tremor;
Veloce victor impetu accurrit, pede
Proculcat hoſtem, quemque ſuſpenſum jacens
Gladium gerebat latere, vaginâ eripit,
Vulnusque librat; perque cervicem viam
Sortitus enſis truncat à collo caput.
I tumida, dixit, bellua, rapaces lupos
Corvosque paſce, corpus inhumatum vorent
Tigres famentes. Dixit, & dirum caput
Spectante utroque exercitu è campo tulit.

Ionat. Quid ad hæc Philiſtim? conſtat? an pactâ fide
Superatus herbam porrigit? an omnem fugâ
Vacuat arenam? noſtrâ quid ſpirat cohors?

Nunc. Non ſic volantis fulminis telum ruit
Sciſſas per auras; arduo avulſus jugo
Non ſic ruinâ fertur in præceps lapis,
Ut hoſtis omnem corripit campum fugâ,

Late-

Latebrasque metui quærit. Ad festum diem
Nostræ cohortes gestiunt, rident, micant,
Hilarique lætas increpant valles sono.
Mox arma jungunt, quaq; rapiuntur fugâ
Hostes, sequuntur impetu unanimi ad juga
Usque Accaronis. Cæsa sparguntur vias
Latè per omnes funera: his mortem procul
Volans sagitta portat, hos mucro ferit,
Illos securis truncat, hos calcant equi:
Fratris cadaver frater incumbens premit,
Amicum amicus, filius patrem, pater
Letho peremptum filium: quaquà patet
Camporum arena, sanguis & tabum natat,
Cadaverumque sparsa congeries jacet.
Jonat. Meos amores David, affectus meos
Tibi obligâsti, Vive! Sed quis se tubæ
Insinuat auri clangor?
Nunc. Est juvenum chorus,
Qui de gigante perdito plausum facit,
Festoque David carmine triumphum canit.
Jonat. Invicta David dextera meretur cani.

SCENA II.

Plausus juvenum, qui victori Davidi occurrerunt, eumque reducunt.

Festus alterno choro
Plausus absumat diem,
Nostra respexit Deus
Vota: truncatus jacet,

Qui colossæum caput
Nubibus cœli gigas
Miscuit, quique æreo
Robori armorum nimis
Fisus Hebræam manum
Risit, et fecit jocum:
Ille, monstrorum omnium
Maximum monstrum, jacet,
Viribus David tuis
Pabulum objectus feris.
Pulchra quem victoriæ
Scena delectat, cane:
Mille truncavit Saul,
Dena David millia.
, Proprio virtus quidem
, Pulchra splendore emicat;
, Nec magis nitidam facit
, Laudis impensum decus;
, Debito tamen sibi
, Jure laudari petit.
Quod Philistæus fugam
Victus imbellem arripit,
Nec tamen cædem effugit;
Dexteræ est robur tuæ
David, ô magnum decus,
Et levamen patriæ!
Si quis hoc facinus probas,
Voce sublatâ cane:
Mille truncavit Saul,
Dena David millia.

Mentis excelsæ vigor,
Dexteræ infractæ calor,
Spiritu magno ebrium
Pectus, ac industria
Prompta in omnem lubricæ
Aleam sortis, fuit
Hactenus virtus Ducum:
Nunc & ex vili casâ
Prodeunt magni viri;
Ora qui lacerant feris,
Quos rapax ursus timet,
Quos leo obtritus pavet,
Qui gigantæam facem
Cordis insani opprimit,
Non sine opprobrio Ducum.
Hoc fluens loquitur dies:
Patre non claro fatus,
Non domo illustri editus,
Sed gregi assuetus puer
Rusticâ eductus casâ,
(Quod Ducum invidiam queat
Tangere) illustrem abstulit
Hostibus victoriam,
Nulla quam taceat dies,
Nulla quam celebret satis.
David hinc magnum decus
Fama victura efferet
Ad nepotes ultimos.
Si quis hoc factum probas,
Voce sublatâ cane:

Mille truncavit Saul,
Dena David millia.

SCENA III.

Saul Davidi reduci à duello filiam suam Merob in conjugem offert, ac generum suum constituit.

Saul, David.

Saul. QUâ gente juvenis, quo loco, aut patre es fatus?

David. Parente genitus Isai, ubi parvis micat
Despecta Bethlem turribus, parvum gregem
Pastor secutus, *Saul*, Dexterâ attritus tuâ
Humum momordit ore funesto gigas.
Sed, quod mereris, victor è campo meus
, Gener rediisti. Non decet meritam suo
, Carere dextram præmio. Marcet vigor,
, Si caret honore. Merita quod poscunt tua
Virtusque adulta, conjugem intactam thori
Meroben habebis.

Dav. Merita qui pensas mea,
Invicte Princeps, sanguinem & tuum æstima.
, Conditio patris rustica augustæ domûs
, Derogat honori.

Saul. Supplet id virtus benè.

Dav. Privata virtus sanguine excelso est minor.

Saul. Cùm fulcit illa publicæ clavum rei,
, Privata jam esse desinit. Quò ambis minus,
, Magis hoc mereris.

Dav. Facilè si inscendi gradus
, Valeat honoris, non facilè tamen potest
, Is sustineri. *Saul.* Congruum fulcrum dabit
, Probata virtus. *Dav.* Illa privatum potest
, Servare paucis: nobilem ut teneat gradum,
, Pluribus egebit.
Saul. Pulchra cui virtus domi est,
, Et inquilina pectoris, nullis eget.
Quem Rex in altum sublevat, lapsu quoque
Prohibere debet. Quem levo vulgus supra,
Pro dignitate stare quo possit, dabo.
Deliberatum est: Conjugem, David, meam
Meroben habebis. Unicum id posco, fidem
Intaminatam pectore probato fove.
Pro Rege, legeque publica in bellum para
Fortes lacertos: de Philistæis mei
Nominis honorem vindica, cæde, & neca,
Reparata donec fistat in tuto salus.
Dav. Si quis sub isto pectore ebullit cruor,
Et corde fervet spiritus, id unum petit.
Suo ut labore turpitus acerbum eruat
Nomen Philistim, & limites regni tui
Ad utramque sese porrigant Phœbi domum,
Seu quà renatus arduum inscendit polum,
Seu quà sub undas mergit emoriens diem.
Saul. Hac mente consta, vota complebis mea.
Tuumque amore totus in sinum fluam.
Sed jam subire placeat augustos lares;
Hîc de gigantis cæde, conjugio tuo,
Virtute sponsi, dotibus natæ meæ

Milcere multa dabitur.

Dav. O Rex, quò trahis
Me non merentem? *Saul.* Quò trahis Regem tuâ
Virtute; gener ut sis meus. *Dav.* Vili loco,
Vili parente natus? *Saul.* At patrem elevat
Virtute natus. *Dav.* Nostra conditio id vetat.
Saul. Mensura dignitatis est virtus. Huic
Majus superbâ stirpe debetur decus.
Huic regna, sceptra, purpuras, frontis notas,
Famam ac honores astra decernunt. *Veni.*
, Qui fugit honorem, propior hunc *sequitur*
honor.

SCENA IV.

Sulphurinus indignatur favori, quem David experitur à Saule: hunc tamen confidit extinguere æmulatione Regis excitandâ, ex occasione plausûs, quem populus Davidi dedit.

Sulphurinus.

INfauste Princeps! quem foves? *qualem sinu*
Concludis hydrum? Nempe qui telo tibi
Fibras venenet. Non vides, quantos agit
Plausum ad triumphos? Vilis, et inermis puer,
Et imperitus Martis, illustrem feret
Solus triumphum? solus à populo cani
Meruisse visus? Perfide, superbe, impie,
Laudis alienæ prædo, victoris decus.

Tibi

Tibi arrogabis? Unus occisus jacet
Tuis lacertis (si tamen jacet tuis,
Et non volantem calculum casus tulit,)
Unus peremptus occidit: honorem puer
Furatur omnem: *Mille jugulavit Saul,*
At dena David millia: Ingratum caput!
Sic te secundo pateris applausu cani?
Inter triumphos evehi, & Regi tuo
Palam anteponi, cujus auspiciis tua
Dextera gigantem contudit? Regis tui,
Vicisse, laus est. Illius nomen trucem
Hostem cecidit: ille bellorum arbiter,
Et Dux, & architectus est. Plausûs facem
Tibi arrogando, nomen obscuras Ducis.
O quàm vovebis parciùs laudum tibi
Fluxisse carmen, parciùs Phœbum tibi
Tulisse lucem! laureæ exosus decus
Latuisse amabis. Serò sed menti suus
Patebit error: Serò, quid possit, scies,
Vis suspicacis ingenî, & Regum lues,
Timor invidentis æmuli. Noxæ color
Addatur iste: *Mille jugulavit Saul,*
Sed dena David millia: ardebit furor,
Suspicio pectus tabidâ absumet lue,
Tuamque Princeps totus in stragem ruet.
Hoc est agendum, & callidè, & cautè, & citò:
Meditata magna facilè languescunt morâ.

SCENA V.

Joab dolet mutatum Regis animum in Davidem; abit ut huic manifestet, Regem de ejus interitu cogitare.

Joab.

O Semper anceps, semper inconstans tenor
Vitæ fluentis! vix bene micantem explicas
Serenitatem frontis, & pulchris diem
Radiis jocantem; turbo mox atrâ tegit
Cœlum procellâ, & lugubres mortis vices
Medio fluentem gaudio vitam occupant.
Generosus ille victor, & cæso inclitus
Gigante David, scelere non alio reus,
Quàm quòd cruoris prodigus vitam, caput
Pro Rege, lege, ritibus patriis, Deo,
Venum exposuerit, quòd Philistæo metu
Eliberârit patriam, turpem ad necem
Per fas, nefasque quæritur. Nempe hoc labor,
Ardorque vitæ prodigus meruit, suâ ut
, Victor periret laureâ? O sortis fidem
, Semper minacem forti, & ignavo piam!
Lætum renidet ore mentitus novos
Saul favores, viperæ arcano gerit
Pectore venenum; nectar in verbis fluit,
In corde fervet toxicum; ac tantò magis
Periculum urgent odia, quò latent magis
Sub umbra amoris. Heu! cave, David, cave
Anguem dolosum! te Philistæo dare

Præ-

Prædam furori destinat. Quid non potest
„Libido regni, quando suspicio æmuli
„Mentem occupavit! Omne rationis jubar
„Extinguit, omnem juris evertit statum,
„Legumque robur frangit, & præceps ruit
„Scelus per omne. Tu quoque, infelix puer,
Mutata primi pacta conjugii, & Merob
Nuptam Hadrieli, ferre debebas pari
Et fronte, & animo. Nec tamen justo Saul
Exin furore exæstuat. Fictam dolis
Prætendit umbram: causa, quâ insanus furit
Regni est libido, & æmuli impatiens dolor,
„Licet innocentis. Regii hoc vitium animi est,
„Si cûi laborat publicus vulgi favor,
„Hunc suspicari publici damni fabrum,
Et æstuantem perfidâ regni siti:
Ibo, monebo David iratum Saul,
Instare crudæ mortis extremum diem,
Urgere fluctum propiùs; ut capiti suo
Caveat, & ictum celere præveniat fugâ.

SCENA VI.

Saul prophetat: repentè furit: in Davidem cytharâ ludentem hastam jacit. Patrem Jonathas placare nititur.

Saul. David. Jonathas.

O Urbis almæ pulchra majestas! Situs
O urbis amplæ nobilis! digni Deo
Solymæ penates! Video vos alto caput

Inferre olympo: video vos gentes supra
Efferre dominum verticem, & sceptro ultimis
Dare jura populis. Quanta cœlesti lares,
Opere, Tonantis cultui sacri lares,
Miscent olympo tecta! Stat turbæ capax
Immanis ædes, cujus auratas trabes,
Pario columnæ fulciunt saxo graves,
Mera hîc cupressus halat, hîc longam cedrus
Æternitatem spirat; hîc puris micant
Asarota gemmis, ludit excelsus probo
Fornix in auro; læve parietibus vitrum
Lybica æmulatur marmora. O suavis loci
Odor beati! totus ad nares fluit
Halitus Orontis. Quale de cœlo melos
Labitur ad aures? Vocis Angelicæ audio
Dulce modulamen. Quanta vasorum sacram
Series adornat porticum, purum quibus
Aurum per ansas ludit, & solida basis
Est una gemma. Quis Sacerdotum chorus
Cano verendus ore venerandas adit
Tonantis aras? Tersa majestas loci!
Augusta scena siderum! Angelicis pares
Vultus, & ora! Sed ô brevis cœli favor!
O cruda fata! Quis per exultas volat
Violentus ædes? jamque pendentis nitens
Aurum revellit fornicis? gemmas rapit?
Dilacerat ostrum? denigrat byssum? sacrum
Pede apparatum calcat? ornatum impiat?
Vasa dehonestat? quidquid illustre est, fole
Affligit, atrat, abjicit, laniat, terit?

Heu.

Heu me! dolendâ strage venerandum ruit
Templum in favillas! Liberum Solymæ decus.
Quis cogit in tributa? Quis collo jugum
Imponit alto? Quis triumphali prêmit
Cinctam coronâ Martis? aut lapsam suâ
Tumulat ruinâ, ut nec lapis lapidem premat?
Heu me! quis intra viscera atroces agit
Cruciatus ignes? Ardeo! ô flammæ! ô faces!
O monstra Averni! ô dira furiarum cohors!
Quis terret oculos anguis? aut quis me rapit
In Aveina vivum, in flammea Acherôtis vada?

David ludens. Horrida tetri monstra Acherontis,
Stygis horrores, squalida soboles
Noctis opacæ, diræ Eumenides,
Viva audetis regna subire,
Puroque domos Sole micantes?
Patrio cœlo pridem expulsæ
Turpi exilio ad regna ruistis
Pallida Ditis, subque cavernis
Orci meritas luitis pœnas.
Turpes furiæ, spectra sacrilega
Ite sub antrum nocte sepultum
Stygis ad manes, ubi lamentis
Antre reorum lassata gemunt,
Tortisque flagris sibilat aura.
Ite ad Lethen, ubi sulphureis
Incuba flammis nubila pendent.
Ite Eumenides, cedite Furiæ.

Saul. Imprimite capiti viperam, telum fibris,
Lacerate membris membra, Sceleratum caput

Sævæ architectæ fraudis, indignis adhuc
Implebis auras quæstibus? Telo peri.
Ionat. Genitor, calentem pectoris flammam preme
Lege rationis. Nam quid admisit nocens,
Quod glorioſum reddidit Regis jubar?
Quod roboravit publicæ clavum rei?
Ille evidenti ſpiculo occurrit necis:
Unus, quod omnes terruit, bello ferum
Monſtrum interemit, hoſte vacuavit locum,
Omnem Philiſtim vertit in turpem fugam,
Patriæ ſalutem ſanxit, & vitam tibi,
Ac Iſraëli gloriam. Hoc ergo putas
Meruiſſe juvenem innoxium, ut Regis manu,
Palmæ relatæ in præmium, mortem ferat?
Sic ergo poſthac Iſraël forti ruet
In arma Marte, quando, quem bello nequit
Hoſtis perimere, Rex manu interimit ſuâ?
Saul. O matre nate pellice! an credis tuos
Latere amores? quamque Davidi fidem
Arctè obligâris? Ille in opprobrium tuum
Vivet ſuperſtes. Quamdiu ſoſpes trahet
Vitalis auræ ſpiritum, nunquam tuam
Secura regni ſceptra boneſtabunt manum.
Qui regna quærit, quodlibet tentat nefas,
Calidamque in omne crimen exercet ſitim.
I, perge fili, ſiſte ſceleratum patri;
Perire meritus pereat Auguſti manu.
Ionat. Quæ cauſa duræ legis? aut quali ream
Scelere impia vit dexteram?
Saul. Nondum vides?

Regale

Regale solium sanguine attingit: meus
Gener est, tuusque affinis: & nondum satur
Lamenta geminat, Regiæ ad frontis jubar,
Ad sceptra, regna, ad purpuræ aspirat decus.
Quid plausus ille: *Mille jugulavit Saul,*
At dena David millia? Hoc furtum meæ
Immane famæ est, Regis æternum probrum.
Quid restat ultra? Sanguinem ut regis petat,
Calcata perque capita generosæ domûs
Regale solium teneat, & sceptrum occupet,
Sed non feremus. Quà Philistæis calet
In arma flammis campus, & avarâ ruit
Siti cruoris hostis, huc vindex mei
Dedecoris ibo; quidquid in venis latet
Flammæ, evocabo; diruam, sternam, obteram,
Pulchrâque belli laureâ, & palmâ inclitus
Victor redibo; meque restituam mihi,
Famamque turpi opprobrii tumulo eruam.
Sed te cruentis hostibus prædam dabo.

SCENA VII.

Joab Davidi aperit, quibus odiis æstuet Saul, & ut tantisper fugâ se subduçeat, suadet.

Joab. David.

Joab. SIc est: perîsti David; excusso obice
Violenta tectis flamma grassatur. Tuum
, Caput ad securim poscitur. Nunquam est levis
, Regum ira, Multum qui potest, etiam solet
Nocere

Nocere velle. Tota momento salus
Dependet uno. *Dav* Jonathas pacto suam
,Eidem obligavit. *Ioab.* Pacta non semper suo
,Stetêre fine. *Dav.* Pectus ignarum doli
,Nunquam fefellit. *Ioab*, Fallere ignarus potest
,Soletque falli. *Dav.* Quidquid attentet pater,
Eidus monebit Jonathas *Ioab*. Sed non pater
Æquè monebit Jonathan.
Dav. Nato intimos
Cordis recessus aperit *Ioab.* Ubi natus potest
Prodesse, non obesse. Quis nodus liget
Utrumque amoris, quantum amicitiæ duo
Stringat ligamen corda, non latet patrem.
Hinc suspicacis mentis indicia premet,
Ne quas revelet cordis offensi notas.
Dav. Quid ergo agendum? *Ioab.* Sana consilia accipe
,Fidelis animi: Regis irati furor
,Non facilè sidit, quando materiam videt
,Coràm furoris. Subtrahe aspectum tui.
Dav. Quâ sede? *Ioab.* Quâ te nesciat Regis furor.
Dav. Fuga ipsa sceleris arguet mentem ream.
Ioab. Ubi patet innocentia, excusat fuga.
Dav. Sed quid juvabit degere alieno solo?
Ioab Ut mentis æstus Regiæ fluctum premat.
,Tempore resident ira, & affectus subit
,Serenus animum. Tempus adducet diem
Securitatis, quoque desertos lares
Repetere liceat. *Dav.* At quis huc gressum movet?

SCE-

SCENA VIII.

Intervenit Jonathas: confirmat Joabi dicta: Suadet, ut David Saulem declinet: exiturus ad castra cum parente valedicit Davidi.

Jonathas. David.

Jon. SPes nulla supereſt David. O quantum ferit
Hæc plaga pectus! Vulnus incumbit tibi,
Me dolor acerbat. Te patris ferrum petit,
Mihi sed amantem spiritum expellit fibris.
Dav. Hæc sors amantûm est, mutuis tangi malis.
Sed quem procella spectat hæc tandem exitum?
Jon. Deliberatæ mortis.
Dav. Et cûinam? *Jon.* Tibi.
Dav. Quo scelere merui? *Jon.* Sceleris immunis, luis
Scelus putatum. *Dav.* Morte?
Jon. Sic genitor jubet.
Dav. An hoc amicâ nuncias mihi fide?
An executor Regiæ mentis venis?
Jon. O David! ô cor Jonathæ! ô anima animæ!
Priùs medullis spiritum eruerem meis,
Quàm tam cruenta sequerer imperia patris,
Sed me scelesti nuncium arcanum mali
Facit obligata vinculo æterno fides.
Dav. Sed prome causam, conscium nullus premit
Animum reatus.

Jon

Ion. Suſpicax mentis malum eſt
, Libido regni. Plauſus offendit patrem
Popularis auræ, laude quâ facinus tuum
Eſt proſecuta: *Mille jugulavit Saul,*
At dena David mill'a. Hinc regni arguit
Ardere te libidine, & ſceptri decus
Ambire fraude: plebis affectum tuis
, Servire votis. Plauſus affectum indicat.
, Quem quisque laudat, diligit. Regnum duos
, Non patitur. Ergo David (ajebat) meo
Perimatur enſe. *Dav.* Plauſus hic populi meus
, Non eſt reatus. *Ion.* Suſpicio, Regum malum,
, Facit nocentem quemlibet, de quo improbas
Offundit umbras.

Dav. Nullo medicina eſt ſuper
Malo obviandi? *Ion.* Modicus hinc fulgor ſpei
Allucet. Icti gloria gigantis faces
Livoris animo ſubdidit, facto tuo
Sui ſepultam nominis famam ratus.
Hinc bella, & arma clamat, & ſpumans fremit,
Medioque mixtus milite in campum volat.
Hac, inquit, arte diluam probrum; & mihi
Decus omne laudis congeram, & *plauſum,*
& diem
Pulchrum triumphi, queq; mihi mordet ſinum,
Davidis omnis gloria in tumulum ruet.
Quin ipſe patri ſocius in bellum manus
Conferre jubeor. Ibimus, vel ſe bonus
In noſtra vota ſortis evolvet dies,
Ut martialis ambiat laurus comas:

Vel

Vel in sinistrum rapta fortuna exuet
Natum patremque gloriâ & vitâ simul;
Si vota cedant, Regis aspectum fuge.
» Cùm glorioso pectus affectu tumet,
» Minus furorem regere violentum solet.
» Furax: quid inde? Regis absentis furor
» Est mite fulgur; ira præsentis tonat.
Sed lætus igne Phœbus accendet diem,
Quo restitutis mutuo amplexu frui
Iterum licebit. Sorte si lævâ cadant
Delusa vota, nosque Libitinæ hostias
Fatalis ensis immolet; regnum arripe,
Felixque populis impera. Cœlum jubet,
Quod destinavit dexteræ sceptrum tuæ
Diadema capiti. Plura properantis vetat
Horæ volatus. Evocor: miles calet,
Properatque genitor. David, ô charum caput!
A te revellor. Quantus incessat dolor
Animi medullas, lacrymas testes loqui
Ipse intueris. Unde divellor, meus
Ibi remanebit animus. *Dav.* O cordis mei
Cor vivum, amande Jonatha, & amoris mei
Amor reciprocatus! & tuus fui,
Et sum, & ero semper; quamdiu cœlo diem
Disperget orbi Phœbus, & noctem colent
Suspensa olympo sidera, nec atræ necis
A te revellent jura, nec vitæ vices.
Ite, & redite laureâ cincti comas,
Clari triumphis. Candidus mentis sinus
Hoc poscit unum (quamlibet cogat vagus

Errare)

Errare, semper hospes alieni laris)
Per mille felix genitor imperium suum
Extendat annos, filius totidem regat
Judam per annos; nomen at decimos eat
Usque ad nepotes. *Jon.* Iste complexus tui,
Gemini catena cordis est. *Dav.* Voces dolor
Absorbet; animus loquitur affectu tamen.
Jon. David valeto. *Dav.* Jonatha, ô felix redi.

CHORUS.

Docet regnandi libidinem nulla *bonorum* merita æstimare.

Quid non ambitio impotens
Regnandique sitis movet;
Quando suspicionibus
Mentem sollicitat metus?
Illi, si medio die
Puro fulget in æthere
Æstivâ face Cynthius,
Atris Tartarus horridam
Mentem noctibus obsidet.
Quas natura parens dedit,
Extinguit penitus faces
Mentis; quas amor indidit
Flammas lucis amabilis,
Densis noctibus obruit.
Hinc quidquid pavido videt
Obtutu, timet anxia:
Quidquid mente recogitat,

Culpæ

Culpæ sit licèt innocens,
Vultum criminis induit.
Qui blanditur amoribus
Purâ progenitis fide;
Illum sanguinis impiâ
Exardere libidine:
Quem plebs laudibus evehit,
Illum per scelus æmulum
Regni credit; et effera
Cœcos fertur in impetus,
Cædem, vulnera, funera,
Et disjecta cadavera,
Immanemque tyrannidem
Irâ sanguineâ notat.
Nil impensa laboribus
Virtus prodiga sanguinis,
Nil prodest studio gravi
Hostis fulmen, et igneam
Repressisse ferociam:
Nil venale caput neci
Objecisse, vel obvio
Scuto pectoris impias
Avertisse tragœdias.
Mens regni rabie incita
Cœca est ad meriti decus.
Nil prodest diademata
Regum, aut publica commoda
Per calcata pericula
Defendisse, vel integram
Conservasse potentiam

Regis,

Regis, vel reverentiam
Legum, juraque Numinis:
, Mens regni rabie incita
, Cæca est ad meriti decus.
Felix Isaides magis,
Si felix poteras minus
Esse; aut victus in area
Martis spargere sanguinem!
Cûi vis non potuit feri
Monstri demere lauream;
Hûic vis invida pectoris
Vitam demere nititur.
David! ò nimium miser
Victor! casibus eripe
Indignis meritum caput.
David! Rex sequitur minax,
Teque in funera destinat.
Quamvis tot meritis gravis
O David, fuge regia
Sævæ fulmina dexteræ.
Mens regni rabie incita
Cæca est ad meriti decus.

ACTVS V.

SCENA I.

Sulphurinus irridet spem Davidis in *Jonatha* repositam; confidit in astutia Saulis; abit hujus animo acriores faces admoturus.

Sul-

Sulphurinus.

FAtale telum, Regis ejectum manu,
Debebat ictum ferre supremum necis,
Volabat hasta vulneris certa, & suo
Telo imminebat pectori: at juvenis fugâ
Elusit ictum, Quale momento cadit
Elisa flamma nube, subtraxit pedem,
Sed ultionis animus intentus dolis
Non graditur unâ semitâ: plures parit
Fraus una fraudes, Retia tetendi mea
Et hinc, & inde. Cautus incedat, licet,
Vitabit unum, aut alteri in prædam cadet.
Confidit ille Jonathæ; tutus sinu
Hujus quiescit. Credit incautus puer
Arcana Regem condere in nati sinum,
Qui facilè credit, fallitur facilè. Sinon
Astutus ille, multa si pandit, silet
Permulta. Novit vinculo quo sit fides
Obstricta utrique, mutuæ quæ sint faces
In utroque amoris; quidquid in juvenem Saul
Molitur atrox, Jonathæ studio regi,
Ut ictus omnis irritâ plagâ cadat.
Frustra profundum Jonathas tentas mare
Bolide experiri: quando vindictam coquit
Rex corde; vultu simulat, & linguâ silet.
Aperta perdit ira vindictæ locum,
Simulata reperit. Hoc die
Scelerate disces, lege quâ Reges colas, serò licet
Ambire quid sit regna, vel avarâ siti
Inhiare sceptris. Marte jam sanguis calet.

Jam

Jam fervet ira prælii, et geminæ ruunt
In mutua acies vulnera: hinc præceps volo,
Quà Martis æstus fervet, ut flammæ ingeram
Flammas, et Æthnam Regis accendam fibris.
Spes acue vanas interim, David: brevis
Succidet hora dulce lenimen spei.

SCENA II.

Eliab Davidi fratri jam ad Regiam affinitatem evecto suadet, ut Regis odia fugâ declinet; iste eventum prælii expectandum reponit.

Eliab, David.

, TUnc explicanda vela, quando auræ favent:
, Quando procella volvitur, portum tene.
Mea sensa, David, percipis. Quidquid potes
Ambire votis, obtines. Splendor tui
Nominis honoras spargat in mundum faces,
Quamdiû relapsa flumina in pontum fluent:
Quamdiû procellis *scopulus opponet latus*,
Tibi fluente purus in domum Tagus
Labatur auro, latus exundet grege
Ferace campus; fausta, quà graderis, trahat
Fortuna tersâ fronte geniales dies.
Auctore te jam patris illustris domus;
Illustris? imò Regia exurgit, gener
Ex quo Saulis diceris: jam tu occupas

Omnes

Omnes amores Jonathæ, ut quando patris
Assumet ille purpuram, & capite jubar,
Sceptrumque dextrâ, tu pari possis locum
» Sperare solio. Non capit quodvis duos
» Regnum imperantes, sed capit solium tamen
» Duos amantes. Sed quod oppositò objice
Nunc vota sistit, Regis est odium: tuum
Caput ille sævo destinat letho; tuum
Haurire crudo sanguinem ferro parat.
Quod ergo ratio postulat, vitam fugâ
Amande frater redime, dum tumidas furor
Ponat procellas. Ni fugis, grandis patrem,
Fratresque, conjugemque tempestas premit,
Omnisque splendor stirpis electæ perit.
Pietate si non tangeris, frater, tui,
Nec te virentis pulcher ætatis vigor,
Rubensque malis purpura, ac auro coma
Pendente ludens, spesque regnorum movet,
Moveant parentis lacrymæ, & tristi cadens
» Ab ore gemitus. Innocens, verum est, nihil
» Formidat animus; fit tamen læsâ nocens
» Pietate, si sors durior saxo preces
» Lacrymasque patris spernat. O frater, tui
Consilia fratris sequere, si patrem velis
Servare vitæ, conjugem stirpi, tuam
Regnis salutem. *Dav.* Vera dixisti: neque
Ita pietate pectus exhaustum, neque
Ratione vacuus animus, ut stultè velim
Nocitura quondam; perdere indeptum decus,
Famamque magni nominis, vitam meam,

Et spes meorum, conjugis, stirpis, domûs,
Lassique patris: quod tamen Regis furor
Telum minatur, pondere in nostrum caput
Toto recumbit; non tamen toto ferit
Adhuc quietum Tempus indulget moram.
Hæc est trahenda, quamdiù pugnæ calor
Utrimque fervet. Pendet ambiguis adhuc
Fortuna pennis, quamque se in partem ferat,
Perplexa dubitat. Certus eventus rei
Consilia sana suggeret. Quidquid priùs
Aggredimur, animi improvidi est casûs labor.
Eliab. Brevis hora fractæ terminum pugnæ dabit.
Quidsi superbus laureâ victor priùs
Redeat, & urbis compita triumpho impleat,
Quàm fama palmæ nuncia antevolet gradum!
Serò voles fugisse; sed nullus fugæ
Locus patebit. Dum potes, rebus cave
Malè ominosis, teque fortunæ eripe
Telo sinistræ. *Dav.* Providus rerum mones,
Sed antè memorem. Quidquid eventus potest
Adferre, cautus mente discussi: mei
Cura est amanti Jonathæ. Quoquò rotam
Fortuna vertet, nuncium Princeps dabit.
Tum prodet ipse casus, an vitæ fugâ
Sit consulendum. Si fugam indicat, locus
, Est fixus animo. Casus immutat vices,
, Et agenda dictat. Quando res anceps fluit,
, In utramque partem aptare consilia decet.
Eliab. Quocunque sortem casus urgebit tuam,
Meam vocabis: socius ad fratris latus

Hæ

Hærebo; sive profugus incerti laris
Vageris hospes; sive non nocuus reus
Regalis iræ victima in ferrum cadas.

SCENA III.

Nunciatur Davidi jussu Jonathæ prælium jam fervere, viderique victoriam ad Saulem inclinare.

David. Moab.

Moab DAvid. *Dav.* Quid isthic?
Moab. Jonathæ imperium fero.
Dav. Fidele pectus Jonathæ, & constans amor!
Etiam furore Martis in medio sui
, Meminit amici. Vera sic semper fides
, Huc sensa mentis dirigit, ubi amor trahit.
Sed quid te amato ferre Davidi jubet?
Moab. Quis sit calentis prælii, armorum, suus
Status, & suorum. *Dav.* Fare; quo res est loco?
Moab. Ambigua fervet.
Dav. Castra collisis agunt
Jam bella turmis? *Moab.* Omnis impulso latet
Fervetque campus milite, & mixto polus
Pulvere serenum Solis extinguit jubar.
Pars tela librat arcubus, sed pars manus
Onerata ferro, funera & cædes agit
Pares utrinque; damna momento pari
Cadunt utrinque. Dubia cui palmam ferat
Victoria alis pendula, animosos stupet
Et hinc & inde spiritus. Quippe in neces

Agit unus omnes ardor, atque unus furor.
Dav. Quâ castra sede fixa sunt? cujus situs
Hosti premendo melior?
Mab. Æquali ferè
De sede pugnant. Jonathas dextram tamen
Quà flectit alam, terra clementi jugo
Porrecta surgit, & Philistæum propè
Despectat hostem. Læva pejori loco
Luctatur ala. Namque divisas secat
Torrens cohortes, & paludosum solum
Nec facili in hostem patitur obstantem gradu
Urgere Martem; nec retro cautum pedem
Referre, si sors cogat, & pugnax calor
Hostis, tumore cadente torrentis, viam
Sortitus, instet. *Dav.* Cujus est *partis* magis
Numerosa pubes? cujus est major vigor?
Moab. Numero & vigore dexterum cornu hostium
Excellit, & ferociâ gravius premit.
At militaris providæ mentis labor,
Cautus sagaxque, & hostium intentus *dolis*
Antè occupandis, potior in nostris micat.
Nempe generosa militum virtus, Ducis
Virtute crescit. Jonathas vultu *ferox*,
Metuendus armis, fronte non pavidâ inclitus
Per densa raptus tela disruptis volat
Ordinibus, ardor militum exemplum Ducis
Pari calore sequitur. Ad lævum latus
Par numerus instat hostium, vires pares.
Numerum sed ira pensat Abneris, pari
Stipata felle militum. Hinc unâ ruunt

Vir-

Virtute & animo. Parte non ullâ minor,
Sed major omni est hostis: at noster tamen
Virtute superat. *Dav.* Ubi cruor major natat,
Cadaverumque fusa tempestas cadit?
Moab Quâ dexteram alam Jonathas regit, & suo
Hortatur igne, visa vis major fuit
Viros tenere mutuâ implicitos nece.
Sed primo in æstu non satis patuit rei
Mensura labi: hæc hora documentum dabit.
Superaddi at istud Jonathas mandat: Sibi
Favere Martem, sique spe finem licet
Prævertere æstûs, exitu fausto aleam
Belli occupandam: sanguine & multo tamen
, Labore stabit. Quidquid illustre est, gravi
, Labore venit. Pulchra venalis cruor
, Trophæa statuit. *Dav* Vade: verborum est satis:
Mox plura recum. Consili ad libram rei
Pondus vocandum est. Fidus hîc Joab mihi
Est consulendus. Purus hunc animi tenor
Fidesque pura honestat. Optatus venit.

SCENA IV.

David consulit Joabum, an fugiat, an expectet eventum prælii: posterius suadet Joab.

David, Joab.

Dav. JOab, vel ista lauream nobis dabit,
Vel funus hora.
Joab. Nuncio id certo refers,

Fervere pugnam?

Dav. Refero. Pugnantûm vigor
Ancipite Marte bellat. Inimicus situ,
Meliore constat, potior est armis, viris,
Et commeatu. Parte, qua fortis tamen
Agit cohortes Jonathas, melior favet
Locus in duellum. Ancipite dum ferro calet
Et hinc & inde prælium, Princeps timet
Regi sinistram Martis infausti aleam.

Joab. Meliùs cavere dixeris.

Dav. Videor mihi
Medio natantem cernere in fluctu, & manu
Utrâque strages edere, & nostram suis
Damnis salutem quærere. O charum caput!
Periculorum turbo te cingit, cave!
Tua in salute nostra versatur salus.

Joab. Indicia sed quid prima promittunt spei?

Dav. In arma nostra laurus inclinat; tamen
„Incerta semper alea est belli fluit
„Refluitque Mavors dubius alternâ vice,
„Et cûi spopondit lauream, taxo caput
„Victum coronat. Dubius hinc *æstus mihi*
Mentem procellâ volvit, an fugiam? an moser?

Joab. Subsiste David, hora te nondum premit.
Quæcunque Regi fuerit infelix, tibi
Erit secunda. Jonathæ solùm mihi
Fortuna pectus exedit. Dignus fide
Meliore sortis, in Philistæi cadet
Ensem furoris. Namque nec strati situm
Ignoro campi, quamque difficili loco

Re

Res nostra agatur; quàm Philistæus furor
Meliore fede pugnet. Accedit virûm
Numerus, vigorque, & ira, de cæsi nece
Gigantis orta. Nec, licèt primum fugâ
Vacuârit agrum, perdidit robur quoque.
,Vires per ipsam sæpè restaurat fugam
,Generosus hostis: quando dedecoris subit
,Imago mentem, bilis exurgit quoque,
,Gravior in iras. Sunt sui stimuli probro;
,Queis animum avarum laudis impellit. Nisi
Me spes inanis fallit, ingenti probrum
Hostis resarcit gloriâ: & victus Saul
Novo priorem cumulat opprobrio notam.
David calentis terminum expecta rei:
Quamcunque demum laurus in partem cadat,
Consilia prompta sequere.

Dav. Dilectum mihi
Servate cœli Jonatham! Interea timens
Speransque sortis pendulæ expecto exitum.

SCENA V.

Eliab auditâ famâ victoriæ ab Saule obtentæ, timet Davidi.

Eliab.

Sluisse domito Marte feralem tubam,
Cædemque fama est, jamque victorem Saul
Redire campo. Læta si victoria
Aliis amœno gaudio aspergit sinum,
Mihi metuenda est: nec tamen victum velim

Cecidisse Regem. Lauream & timeo, & amo.
Amo saluti patriæ; at timeo tibi
Amande David. Jam tibi in venis calet
Sitis imperandi; jam manum ad sceptrum parat.
, At dignitatem splendor excæcat; jubar
, Regale frontis esca fallacis doli est.
In quæ feretur brevia pugnaci noto
, Agitata navis! Sanguinis pretio malè
, Imperia emuntur, Heu! fuge ô David! fuge.
Nondum cruenta Regis extincta est sitis,
Nisi te perempto. David! ô frater! fuge.
, Humili jacemus satiùs abstrusi lare,
, Quàm tot periclis stemus excelso loco.
, Pax hospitalis rusticas casas amat,
, Ædes potentûm jurgia & cædes premunt,
Sed hæc querelas hora non patitur Breve
Superest saluti tempus, O David fuge!

SCENA VI.

Locum tenens exæstu prælii missus, ut omne præsidium educat.

Locum tenens Joabi.

RE s fervet æstu, an cædat, an cadat *Saul?*
An vincat hostis? hæreo ambiguus: tamen
Periculosæ magna volvuntur rei
Momenta. Quidquid militis forti tegit
Urbes lacerto, quidquid æstivam capit
Quietem ab armis, & suburbanis agit
Æstiva in agris, cogere acutum globum
Jubeor in unum. Signifer signum ocyùs

Erige

Erige gradivi; tu suburbanas voca
Ad sua cohortes arma: tu ad lævum latus,
Tu ad dexterum procurre: ego latentem in sinu
Urbis, & ab ipsis mœnibus Martem traham.
Quæcunque sors sit prælii, nostris juvat
Auxilia ferri dexteris: si sors venit
Secunda Regi, gravior his armis reos
Procella in hostes sæviat: si sors cadit
Regi infecunda, noster hanc calor erigat.
Hac sequere: propere miles addenset gradum.

SCENA VII.

Ad primum victoriæ Philistæos respicientis nuncium, subtimet David, ne fortè & Jonathas occubuerit. Abit Joab, dispositurus omnia, ut recompertâ David sine tumultu Rex acclametur.

David. Joab.

EVenta belli (fama si verum canit)
Quæ suggerebas, sana consilia probant
Fuisse Joab, versa successus scidit
Fortuna primos, jamque felice exitu
Hosti favere dicitur. Sed quod mihi
Transadigit animum vulnere, est constans metus
Lethò perempti Jonathæ. O vulnus grave
Amantis animo! Cuncta cùm cœco meant
Confusa Marte, in optimos lethum cadit.
Hos dolor, amorque gloriæ immotos tenet,

, Et ad decoræ vulnera impellit necis.
Novi ego calorem Jonathæ, & laudis sitim,
, Juvenilis æstus impetu heroo ruit,
, Irenumq; nescit. *Joab.* Cœlites tantum malum
In capita vertant hostium! sed si tamen,
Volente cœlo, Jonathas strato super
Incumbit hoste funus, & sparso solum
Cruore honestat, gentis exitium ultimum
Est præcavendum. Publicæ salus rei
Repentè dici, & effe te Regem petit.
, Cùm res honoris agitur, ingentes mora
, Parit tumultus. *Dav.* Impetus præceps magis
, Turbat quietem publicam.
Joab. Ut constet suâ.
Quiete vulgus, resque momento queat
Tutè expediri, facilis est Joab labor.
Oratione publicum assensum brevi
Vulgi impetrabo: miles à meritis tuis
Captus favebit. Ibo; quod tantæ rei
Securitatem sanciat, factum dabo.
Dav. Res ista grande poscit arcanum. Tua
Fides mihi probata, & ingenium sagax
Spondent secundos rebus eventus: tamen
Certus priusquam nuncius belli exitum,
Statumq; nostrum referat è campo, est nefas
Pœana canere. Perge; quodque animo agitas,
Cœli faventis nutus eventu beet.
O vulnus acre mentis! ô unus dolor,
Idemque acerbus, Jonathas! Si te mihi
Mors cruda rapuit! Jonatha! ô mentis vigor!

Vigor

Vigoris animâ! vivis? an tristi jaces
Funere peremptus? Vivis? hoc sensus meus
Mihi manifestat. Vivere infelix ego
Quinam valerem Jonatha, si te mihi
Mors sustulisset? Una sub geminis fuit
Corporibus anima: si illa deseruit tuum
Cadaver, istis vivere in membris nequit.
Sed ecce frater! frontis exterfa area
Amœniorem pectoris sensum docet.

SCENA VIII.

Nunciatur Davidi mors Saulis & Jonathæ, cui ille indolet.

Eliab. David. Nuncius.

Eliab. SEcurè vive!
Dav. Fare, quid portas novi?
Eliab. Securitatem vertici indico tuo.
Dav. Quo parta Marte? *Eliab.* Quo tua est victoria.
Dav. Mea? *Elia.* Explicato nuncium vultu accipe.
Dav. Expone. Sed funesta formido magis,
Quàm læta sperem. *Nunc.* Dexterum cornu diu
Tenuit secundâ Jonathas pugnâ integrum:
Prior ipse adibat omne discrimen, prior
Frangebat hostium ordines; quaquâ suus
Labare parte visus est miles, prior
Virtute vires addidit, verbis dein
Hortatus urfit, monuit, applausum dedit,
Et huc & illuc provolans partes Ducis
Explevit omnes. Quanta ab unius manu

Cecidêre morti funera, effusus cruor,
Cadaverumque hostilium aggestæ strues:
Huc ipse genitor roboris partem sui
Auxilio adegit; ipse cum nato pater
Ducisque militisque sustinuit vices.
Sed fessa tandem militis virtus gradum
Referre lentè cœpit, & grandi obrui
Hostis procellâ. Turbine in tanto Saul
Primus, deinde Jonathas telo caput
Ictus volante spiritum heroum exuit.
Cadente Rege miles attonitus stupet,
Hæretque, & hærens vulnere hostili perit.
Pars reliqua grande pondus armorum abjicit,
Vitamque turpem redimit inhonestâ fugâ.

Dav. O dura fata! Jonathas! vulnus *meum*,
Mea & voluptas! Jonathas! *Unus* meum
Qui recreabas, vulneras mentis sinum.
Quid vivo? quid respiro? jam vixi satis.
Errare ferrum cæca quæ jussit fitis?
Me me petisset vulnere cruentus latro,
Istudque ferro pectus effossum suâ
Animâ exuisset! Jonatha! ô *tecum* comes
In arma issem! Quidquid hostilis furor
Crudelitatis habuit, aut ferri calor,
Per istud ante pectus egisset viam,
Quàm te petisset! Jonatha! ò dulcis mihi
Idemque amarus! Quanta materies mihi
Fuisti amoris, tanta materies feri
Nunc es doloris! Mortuus morti tuæ
David superstes, & commori vitæ vetor.

Quo vita

O vita cordis Jonatha! ô funus meum!
Gelboa sparsi conscia cruoris juga,
In vos nec ullo rore distillet polus,
Nec gratus imber nube deciduâ pluat,
Postquam perempti Jonathæ effusus cruor
Vos irrigavit. Jonatha! ô vulnus meum!
Idemque vitæ dulce lenimen! cadis?
Sed & cadendo diligis. Qui non potest
Te stante felix esse, felicem facis
Tuâ ipse morte. Sensus hic vulgi est rudis;
Qui faustitatem regio in solio locat.
At esse malim Jonatha vivo miser,
Quàm te perempto prosper hac sortis vice.
O mea voluptas Jonatha! ô funus meum!

SCENA IX.

Advenit Abner, miles, populus, David Rex acclamatur.

Abner. David.

Abner. REmitte questus David, & tristem exue
Nubem doloris: stabile te regno jubet
Præesse columen providum Numen sui
Populi in salutem; & nobile imperio datum
Fulcrum ruenti civis affusus colit,
Suumque totus Israël optat caput.
Populo roganti David obsequere semel,
Post obsequetur semper imperio tuo.
Si vota populi, vota si Procerum valent,
Regna rogatus; sin minus, regna tamen
Jubente jure, Regis ex incti gener.

Dav. Voto coactus publico; invitus tamen
Submitto collum ponderi, Atlantis graves
Quòd premeret humeros. Quidquid infirmum caput
Gravare posset, leviùs id faciet fides,
Studiumque vestrum.

Abner, Huc purpuram, huc sceptrum, & jubar
Regale frontis. Festus harmonicis chorus
Tacita Israëlis vota comitetur modis.

CHORUS MUSICUS.

Vive David! vive, regna,
Mille vive secula!
Quæ rubente vestit ostro
Regios chlamys sinus;
Illa Regem, regna & urbes,
Illa cives protegat.
Prima laus hæc imperantûm est,
Imperare amantibus.
Vive David! vive, regna,
Mille vive secula!
Illud auri stemma clarum
Quod coronat verticem,
Lege stringat cogitata
Subditorum ad commoda.
Altera hæc est imperantûm
Laus, studere civibus.
Vive David! vive, regna!
Mille vive secula!

Sume

Sume sceptrum; sed benignâ
Flecte mitis dexterâ,
Sceptra amica subditorum
Nundinantur pectora.
Tertia hæc est imperantûm
Laus, amores vincere.
Vive David! vive, regna!
Mille vive secula!
Sume acinacem, ministrum
Æquitatis regiæ,
Quos amoris lenitate
Occupare non potes;
Æquitatis hos rigore
Coge honestâ vivere.
Quarta laus hæc imperantûm est,
Damna regni exscindere.
Vive David! vive, regna!
Mille vive secula!

FINIS.

SIDRACH, MISACH ET ABDENAGO.

Sive

ANANIAS, AZARIAS, & MISAEL.

Ex Tancredo Cottono Soc. Jesu.

ARGUMENTUM.

DIvinitatis ambitiosus Nabuchodonosor erigit sui nominis statuam, *in* qua se ab omnibus sub pœna ignis adorari præcipit. Detrectant id & sanguine & pietate nobiles tres adolescentes, *Sidrach*, Misach, & Abdenago. Rex cùm hos amaret, dissimulare connititur. Instant potentiores regni, ut suus stet decreto vigor: instant popæ & omnis populus. Rex metu rebellionis eò flectitur, ut demum jubeat tres illos adolescentes in fornacem ignis

ignis conjici. Cùm autem videret ignem eis parcere, eductos ex fornace amplectitur, & solennes ei plausus decernit.

INTERLOCUTORES.

Idololatria.
Mercurius.
Balthassar.
Daniel.
Sidrach.
Misach.
Abdenago.
Nabuchodonosor Rex.
Asphenez Præpositus Eunuchor.
Malazar Præfectus Ephœborum.
Arioch Capitaneus.
Melsar, Temnar } Chaldæi.
Megæra.
Nuncius.
Chori.

ACTUS

ACTVS I.

SCENA I.

Idololatria Mercurium constituit, per ductam fraudum telam tres pueros ad Deorum & statuæ cultum inducat.

Idololatria. Mercurius.

ERgo inquietus anguis, atque audax draco,
Genus Israëlis, toxico inflatum caput
Crista sque tollet? Semper oblúctans novos
Fluctus ciebit Regis in probrum sui?
Adhuc Gomorrhæ tecta (quàm nuper meis
Jurata sacris!) tecta Sodomæa impio
Fumant ab igne; regii plorant lares
Infame bustum; templa Divorum, meo
Dicata honori, cinere congesto jacent.
Adhuc cruenta sanguine Assyrio tepent
Fora Solymæa, & sparsus in vicis cruor
In ultionem fulminis flammas vocat.
Sed veniet hora, veniet; &, serò licèt,
Scelere impiatos urbis everslæ lares
Aget in ruinam; quique stant cœlo pares,
Meo sepulchrum sanguini augustum dabunt.
Et tu cadentis strage Pharaonis mare
Contaminatum, cæde fœdatum Ducum
Ægyptiorum, militum clade horridum,
Scelus renarra, & impii sceleris modum.

Sed

Sed vetera querimur, quæque jam antiqui satis
Flevêre Patres; quod mihi cordis sinum.
Animamq; graviùs verberat, prælens malum est.
Ergo Babylonis tota concussis tremit
Cardinibus aula? debiti pridem mihi,
Diisque honoris Regia eversis jacet
Inhonora sacris? Ergo pietatis cadit
Vetus tributum? Numini ignoto calent
Incensa thura? Numini nunquam editò
Se liberali munera affundunt manu?
Nec ulla posthac victima ad veteres Deûm
Procumbet aras? nullus ascendet mihi
Fumus ab acerris? nemo adorabit novum
Numen, Nabuchodonosorē? O probrum Deū!
Nulloque mundi seculo auditum scelus,
Nullo audiendum! Tres adhuc primo labra
Succo madentes, Numinum ignari movent
Hæc bella Ephœbi. Tanta jam pueros juvat
Audere scelera, audere quæ metuant senes.
Sed quid querelis aureum obfusco diem?
Da tela cœlo Jupiter, & ignes gravi
Elide nube: pande Neptune horridos
Æquoris hiatus, quodque se jactat scelus
Impune terris, fluctibus ponti obrue.
Et tu severe criminum vindex, Stygis
Crude Imperator Pluto, succensæ picis
Gemina furores, sulphuris totam exere
Molem in nocentes; quique debentur tibi,
Non desituris exede æternùm focis.
At tu meorum fide votorum comes,

Et

Et administer Mercuri, alata expedi
Obsequia; quæque precibus à magno Jove,
A Rege pelagi, à Dite poscentem aspero
Jam me audivisti, in nubibus, ponto, & Styge
Exequere, semper fide mihi Atlantis nepos.
Sed quid paramus? machinis tantis opus,
Roboreque tanto, imbellis ut juvenum trias
Cultum reponat debitum nostro Jovi?
Tentanda primò mollior nobis via.
Age tu per omnes, Mercuri, fraudum vias,
Dolos per omnes duce, facundâ potens
Linguâ magister, arte, quâ polles, dolos
Mille implicandi, sensa juvenilis sinûs
Everte, & iterum patrios flecte ad *Deos*.
Quodsi obstinatum marmor *obducant fibris*,
Flectique renuant; tum procellosis voca
Trisulca tela nubibus, pelagi excitos
Convolve fluctus; ipsa, disrupto solo,
Averna pande. *Mer*. Sancta, magnorum Dea
Parens Deorum, cujus ad nutus meæ
Aræ explicantur; cujus imperio obsequi,
Est tibi Diisque debitum *cultum dare:*
Accipio jussa: sensa Ephœborum meâ
Experiar arte, quodque puerilis solet
Ætas amare, gaudia, illecebras, rosas,
Mera mella fingam. Deinde proponam gravis
Titulos honoris, laudis excelsum decus,
Auri coruscum pondus, argenti uberes
Venas fluentis, astra gemmarum, aureas
Capitis coronas, purpuræ augustas notas,

Si dura perstent marmora, & flecti insscia,
Omne admovebo robur armorum faces,
Et tela, & ignes, & Nabuchodonosoris
Iram movebo in omne tormenti genus.
Idol. Novi sagacis mentis astutam facem,
Novi efficacis robur activum manûs,
Cœptæque per te spero successum rei.
Age imperata Mercuri; ego sacras Deûm
Reverto ad aras, templa, & incensos pii
Nubes odoris.
Merc. Tua ego ad imperia evolo.

SCENA II.

Nabuchodonosor accepto Senatus consensu, mandat sibi colossum erigi, ab omnibus coli; & in detrectantium pœnam fornacem accendi.

Nabuchodonosor. Senator I. II. Asplenez. Arioch. Malazar.

Nab. QUid ait Senatus? nostra decreta accipit?
An erigendam nomini nostro probat
Statuam? an resistit? an dubius hæret meo
Favere honori? *Sen. I.* Voce communi omnium,
Et explicatæ frontis arrisu, & sacro
Decreta plausu accepta sunt. Numen novum
Omnes adorant.
Nab. Causa consensum omnium
Quænam impetravit! *Sen.* Debitum obsequium suo

Regi,

Regi, voluntas Principis, mores patrum,
Exempla veterum, mentis excelsæ vigor
Tuæ, tuumque robur, & belli aleâ
Probata virtus, grandis humerorum nota,
Divina species oris; augustæ tenor
Frontis, Deorum dignus in censum adlegi,
Stellasque inambulare; cui paria nequit
Terra invenire sceptra, nec capiti parem
Reddere coronam. *Nab.* Fine sed quonâ putant,
Decreta mentis Regiæ hæc populo dari?
Sen. I. Duplicem, piumque, & consonum menti
Deûm
Spectasse finem sacra Majestas tua
Est visa civi. Primus, ut magnum adderes
Calcar ad honestum Regibus, & ætas sequens.
Tuæ per omnes gloriæ passu pari
Graderetur ausus: alter, ut amoris lupos,
Reverentiæque debitæ frænos tuis
Imponeres, & perfidos regno gravi
Loro timoris flecteres; quod & exteræ
Gentes paverent. *Nab.* Penitùs ad votum tenet
Mea sensa Civis. Laudo consilia, probo
In nostra sensum vota communem trahi.
Hoc ergo Regi fidus Asphenez age,
Medio ut colossus aureus prostet foro.
Huc multa agatur victima; hinc nubes odor
Thuris Sabæi invadat, hîc clangant tubæ,
Hîc Musicorum mulceant aures chori,
Omnisque populus Numini applaudat novo.
Asphen. Parata votis omnia. Ad nutus tuos
Stant

Stant imperatæ victimæ, & sistra & chori,
Populusque prompta. *Nab.* Tuque militiæ meæ
Dux fide, Dux invicte, dispositos meo
Ludos honori digere & pompam ordina.
Lux ista nostros prodit in plausus facem,
Quos me professus Cœlitem populus dabit
Stantem ad colossum.

Ar. Prompta sunt cuncta ad tuos
Rex magne nutus: prima cùm plausus novi
Vocabit hora, debitum obsequium dabunt.

Nab. Quodsi protervus quispiam, & rigidâ nimis
Cervice durus, prima cùm dederit tuba
Canore signum, renuat inflexo meum
Numen vereri poplite, & statuæ suos
Deferre honores; sceleris ultricem manum
Sentiat, & igne emolliat durum gelu.
Hæc tua Malazar cura sit: in Ætnæ modum
Fornax ab igne ferveat, seque æstuans
Favilla in auras spargat, & nubes tegat
Ardente nimbo. *Mal.* Sola subdatur pyræ
Scintilla; Averni more flammabit focus.

Nab. Hinc à recessu Regiæ auspicium dabo
Nostris triumphis. Omnia ut certo fluant
Ordine modoque, vester est reliquus labor.

SCENA III.

Mercurius narrat à se audita trium Juvenum consilia, se à cultu Statuæ subducendi: Hinc Mercurius se in partem frau-

fraudis contra eos texendę adsciviſſe Deorum Sacerdotem; ſtatuitque varias formas induere.

Mercurius.

JAm tenſa laxant retia in fraudes ſinum;
Jam præda primum poſuit in caſſes pedem.
Ubi villa medio nemore condenſis latet
Vallata ab umbris, ſeque vernantes Deæ
Ramis coronant arborum, eſt vario via
Errore ſecta; laureâ hinc cingens latus,
Et inde fago, Dædali artifice manu
Per implicatas ſemitas ductus labor,
Quique architectum fallat. Hic grato fluunt
Aquæ cadentes murmure, & circùm nemus
Blandè allocutæ, temperant auræ jocos.
Locus hic Ephœbis notus, ubi crebrò dies
Egêre amœnos. Parte Labyrinthi ultimâ
Reconditáque conſidet juvenum trias,
Dumque ambulantis fortè garritus aquæ,
Auræque lenes ſibili præſtant fidem
Securitatis, cordium quisque alteri
Arcana pandunt; quâque condictam queant
Vitare pompam fraude, quo cultum impio
Fugere recentis Numinis poſſint dolo.
Aderam (nec unquam à latere puerorũ trahor)
Aderam, videri at impotens, tenui fluens
Auræ figurâ: mixta conſilia latens
Nube audiebam; Sed quid, ajebam, juvat
Audire ſolum? Fraudis inventæ tota

Nihil

Nihil hinc movetur. Ergo (me nunquam doli
Artesque fugiunt) Numinum Mystam advoco,
Statuoque sylvæ parte, quà arcanas bibat
Voces loquentûm, lumine adverti tamen
Nequeat videntûm. Constitit sede; audiit;
At sermo grande vulnus impressit fibris.
Arsit, momordit labra, concussit pedes,
Laceravit ungue verticis sacri comas,
Cœlo vocavit tela, violenti impetûs
Vix fræna passus. Antè non illi gravis
Hæc plaga cordis in cicatricem fluet,
Quàm per vorantes ignium & flammæ globos
Trias hæc ad orcum transmeet. Initio tamen
Tentanda molliora sunt: hoc ultimæ
Necessitati serviat. Nobis fluet
Majoris inde gloriæ & honoris seges,
Si obtemperare jussibus magni Dei,
Flectere colosso poplitem, nubes sacri
Adolere thuris, melle verborum pio,
Sermone placido, nectare affatûs, gravi
Promisso honoris, gratiæ, ac largarum opum
Persuadeamus. Ista juveniles trahunt,
Versantque mentes. Nescius fraudis puer
Magis illa sequitur, quæ voluptati favent,
Avidamque sensûs blandiùs inescant famem.
Ergo Asphenezen induam & Malazaren,
Istos amicus Regis amplexus fovet,
In hos amoris explicant pueri sinum.
Hinc certa spes affulget, haud longâ morâ
Vincenda juvenum corda, & matri Deûm

Dandum levamen. Ibo, quò fraudes vocant.

SCENA IV.

Sacerdos enarrat, quæ vidit, & audivit à juvenibus. Melsar lentè cum iis procedendum suadet; quòd fortè mollibus flectendos speret.

Sacerdos, Melsar Chaldæus.

Sac. NIhil ambigendum est, ipse spectavi reos,
Dictata Ditis ipse consilia audii.
Mels. Licetne tantæ pandere arcanum rei?
Sac. Quod est voluptas dicere, hoc dici petis.
Et fortè dubiis rebus auxilium dabis.
Mels. Si poscet id necessitas, factum dabo.
Nimium obligatum sentio memet Diis,
Ad promovenda jura sacrorum, & focos
Aris alendos, quodque nunc curæ est magis,
Ad promovendum publicum Regis decus.
Sac. Hîc ubi virentûm Regia hortorum patet,
Levibusque miscent arbores auris jocos,
Trias scelesta parte Labyrinthi ultimâ;
Scenâ latebat frondium, ignara arbitri,
Et execranda pectorum sensa alteri
Prodebat alter. Taceo, nam tempus vetat
Injurias, calumnias, blasphemias,
In sacra, Regem, Numina; & acerbæ procax
Linguæ venenum, quo celebrandum novi

Dei

Dei impetivit nomen, & jussa impiè
Abominata est. Prima secretam in fugam
Consilia abibant: dumque vestigant modum,
Tum difficultas patuit, & modica rei
Spes extrahendæ. Namque per regni sinus,
Omnesque fines, oris ac frontis color,
Vultusque species, tractus humerorum, decens
Comæ fluentis unda, noscuntur: dein
Patria remota est; quà petant patriam, via
Ignota pueris: Regi ubi patuerit fuga,
Multus satelles terga fugientûm premet.
Sensa ergo variant; iste consilium ingerit
Cautè latendi, seque condendi specu,
Qui denegaret Cynthii accessum faci.
Sed in propinquo nullus ad votum suas
Fauces hiatus aperit. Ergo alter putat
Fingenda subito membra tentari malo,
Languere vires, corpus occulto exedi
Furore morbi, quando adorandus foro
Stabit colossus. Multa sed visa ardua,
Minusque tuta. Tertius ferrum & faces
Discerptionesque artuum, infamem necem
Potiùs ferendam suadet, accenso novum
Quàm colere thure Numen, & flexum genu
Curvare statuæ. Placuit hic sensus tribus,
Et obstinatâ mente decretum negant
Deferre honorem Numini. *Mist.* Tantum nefas
Audent scelesti, perfidi, in Deum impii?
Sed lentè agendum est: mentis inconstans tenor

I. Juvenile vitium est, Nostra si properum nimis
In ultionis fulmen erumpat sitis,
Fors blandiore Regis affatu, aut metu
Instantis ignis, mentis ejecti statu
In grande nos discrimen adducent. Levis
Sæpè juvenile pectus evertit timor.
Exinde toto pondere in nostrum ruet
Procella collum Fraudis, & structi doli
Rei arguemur. Adde: Rex pueros amat,
Blanditur, ornat, æstimat, laudat, probat.
Nôsti, quid iste possit affectus, semel
Si cor tenuerit Ergò, quod tutum est magis,
Reprimamus iram, donec erumpat scelus,
Seque probet ipsum: nulla tunc miseris fugam
Semita recludet; nulla vis Regis gravi
Eripiet iræ, chalybis incensi furor,
Et æstuantis flamma fornacis dabit
Documenta pueris sæva, quid spreti Dii,
Quid Rex Deorum honore cumulatus queat.

Sac. Sublime mentis laudo consilium: probo
Tua sensa. At ecce pompa regalis sonat,
Et destinatum prodit in forum Deus,
Ad vasa sacra, ad victimas, ad aromata,
Quæ præparata tempori & loco dedi.

SCENA V.

Aperitur, & à tota aula colitur statua Nabuchodonosoris Regis.

Sacer-

Sacerdos. Chorus. Nabuchodonosor.

Sac. REx, proborum norma Regum,
Improbrum fulmen idem;
Rex, Deorum digne honore,
Siderumq; luce comi, &
Assidere Cynthio.

Chor. Tu potentis igne ferri,
Fulminisque Martialis
Eminente vi protervas
Frangis iras impiorum,
Arma Regum subjugas.

Sac. Tu benignitate frontis,
Liberalitate dextræ,
Æquitate, lenitate,
Ore blando, lege molli
Corda civium occupas,

Chor. Qui trisulca tela jactat,
Qui tridente terret æquor,
Qui gubernat antra Averni,
Jura discant imperandi
Regis à peritia.

Sac. Numinis novelli amandum
Aureâque gemmeâque
Cinge verticem coronâ:

Chor. Aureumque gemmeumque
Sic fatere Principem.

Sac. Huic rubente de pyropo,
Et virente de smaragdo
Gloriosa trade sceptra:

Chor. Ista fortis, atque prudens
Rex meretur flectere.
Sac. Sparge thura, balsamique
Halitu verere Numen.
Chor. Te Sabæi nube odoris,
Magna Numinum propago,
Numen esse plaudimus.
Sac. Flecte poplitem verendo
Numinis recentis auro.
Chor. Te veremur, te fatemur
Esse Numen, flectimusque
Colla, corda, poplites,
Vive Numen, ô Deorum
Digne devehi ad Senatum!
Digne stellis imperare,
Digne thure, digne sacris,
Mille digne victimis.
Nab. Hæc prima nobis debiti est cultûs nota:
Populus secundâ subeat, ac inter tubæ
Festos canores, planstuum ac inter choros
Frequens honorem victima in nostrum cadat,
Nostroque populus Numini inflectat genu.
Chor. Vive Numen, ô Deorum
Digne devehi ad Senatum!
Digne stellis imperare, &c.

CHORUS.

Docet cœcos esse, & mille periculis involvi eos, qui à vero unoque Deo recedunt.

Cæca

COecæ ô mentes hominum! quò vos
Perfida Superis trahit impietas?
Qui sine vero Numine graditur,
It ad interitum. Qualis tenui
Defluus alveo rivus euntis
Undæ argento ludit, & oculos
Propè spectantûm recreat lusu,
Gratoque aures murmure prensat;
Si tamen ille à proprio longè
Fonte recedat, seseque suâ
Venâ abscindat; desinit ire,
Siccumque sinum deserit alveî:
Talis, vero quicunque e Deo
Malè deserto, Numen adorat
Fictile, proprio à fonte recedit,
Sensimque sui fluit in nihilum.
Quid malè mentem quæris in illo,
Qui suprema à mente revulsus
Mersit opacis animum tenebris?
Cœcæ ô mentes hominum! quò vos
Perfida Superis trahit impietas?
Qualis in æstu calido Martis
Ducis à nutu regitur miles,
Et nunc dextrum cornu aggreditur,
Nunc lævum urget, tentatque aciem,
Retrahitque pedem; rursusque premit,
Donec amatam referat laurum:
Si duce miles tamen abscedat,
Libituque suo, quà citat ira,
Sine lege furat, præda fit hosti,

Sævoque cadit victima ferro:
Talis, ad animi quicunque sui
Figmenta, Deos sibi molitur;
Duce deserto prælia miscet,
Turpis Averno victima dandus.
Cœcæ ô mentes hominum! quò vos
Perfida Superis trahit impietas?
Illi densis natat in tenebris
Animi sensus, qui justitiæ à
Sole recedit. Deus est Ignis:
Mens riget illi, qui fugit ignem.
Deus est solus Tiphys in orbe,
Idemque regit Cynosura ratem;
Si sinè Tiphy navita sulcas
Pelagus vitæ: si Cynosuram
Deseris oculo; mille charybdes,
Milleque Scyllas navis inibit,
Aut ad scopulos fracta crepabit,
Aut naufragio sorpta peribit.
Deus est unus, sibi sufficiens,
Omnibus idem: qui sibi plures
Fingit, ab uno procul abscedit:
Nullumque facit, dum negat unum.
Cœcæ ô mentes hominum! quò vos
Perfida Superis trahit impietas!

ACTUS

ACTUS II.

SCENA I.

Mercurius narrat, se in assumpta trium juvenum specie amorem Regis in eos conciliasse, ut per amorem ad cultum statuæ inducantur.

Mercurius.

„ HUmana facta cardines binos habent,
„ Quibus rotantur: commodum, & amorem. Duo
Vel esse crede centra, vel geminos polos,
Quibus quiescit cordis humani fuga.
Nec ista tantùm pectus ignavum trahunt,
Sed & serenum sanguinem afficiunt. Ego
Meas per artes membra puerorum indui
Speciemque vultûs, perque confictos modos,
Gestus, tenorem vocis, & gratas vices,
Veneresque, gratiasque sermonis, grave
Scientiarum specimen, & totâ sinûs
Culti Minervâ regio cordi faces
Subjeci amoris. Unde jam totum calet
Amore pectus; jam sui oblitus fluit
Totus in Ephœbos, totus ingentis spei
Escam medullis haustr; ut si sors Diis,
Suæque statuæ, Numini mundi novo,
Cujus in honores prodigo sumptu fluit,

Curvare flexum poplitem nolint, furor
Attemperatus facilè clementem migret
Animi in favorem. Modica si accedat faci
Primæ favilla, & commodi spes non minor,
Impos regendi pectoris, totum suo
Extinguet ignem corde, nec magnum probrum
Sui æstimabit nominis, tantum scelus
Neglrgere; vel, quos diligit pueros, suâ
Eximere lege. At absit. Hæc gravior gravi
Est culpa scelere. Tanta Mercurius nequit
Tolerare probra. Plurium & amorum seges,
Et commodorum plurium spes in fibras
„Est ingerendæ. Dignius si quid venit
„Amore, amoris machina prioris perit.
„Si commodorum panditur scena amplior,
„Se commodorum scena leviorum tegit.
Necessitas si poscat, aliorum mihi
Materia amorum grandior præstò est, dabo
Quod Regis animum blandè in obsequium trahat;
Quo, quidquid antè mentis obsedit sinum,
Rapuitque amores, rursus ejectum sinu
Odium reportet. Ecce præcipite gradu
Huc sese Ephœbi promovent. Luci huic ego
Subduco memet. Audiam sensus. Ratim
Secundioris Æoli afflatu regam.

SCENA II.

Tres juvenes gaudent de suis periculis, seq; invicem ad ea subeunda animant.

Si-

Sidrach. Misach. Abdenago.

Sidr. O Millies dilecta sociorum fides,
Fratres amati! Nomine hoc dignos facit,
Amoris illud vinculum, quo nos Deus
Sanctè obligavit. Millies, chari ô sinus!
O nos beatos! venit optatus dies,
Qui nos ab isto carcere solutos, piis
Transcribat astris; postque superatas brevis
Pugnæ procellas statuat æterni decus
Nobis triumphi. *Mis.* Prospero sanè gradu
Fortuna vehitur. Quando sed tanti tamen
Dies triumphi veniet, ut ad astra ultimam
Tam glorioso fine recludat viam?
Abden Quantam Israëli parimus invidiam? putas
Non quisque sortis aureæ fluxum suæ
Mutaret istâ sorte, quæ nobis fluit?
Equidem coronas, regna, sceptrorum decus,
Regalis ostrum purpuræ, quisquis sapit,
Huic posthaberet.
Sidr. Infremat, quantâ potest,
Tyrannus irâ; pectus in nubem minis
Gravidam coarctet; ore metuendâ vibret
Fulmen procellâ; sæviat in artus face
Ferroque; quidquid ira crudelis potest
Ingerere, promat; pectore est majus mihi
Dolore robur: promptior vitam exuam,
Quàm tollat ille: si tamen dici potest
Sublata vita morte, quæ mortem exuit,

Veramque vitam vivere in cœlo incipit.

Mis. Miſceat amœnâ fronte ſimulatos dolos
Fallax tyrannus: explicet blandâ jocos
Serenitate; riſibus fictis trahat,
Promiſſa cumulet; quidquid opulento ſinu
Arabia fundit, ſpondeat; ſceptrum ingerat,
Diadema, lateris purpuram Regni notas;
Nullam hæc reperient ſemitam ad mentis ſinum,
Quem jam ſupernis opibus implevit Deus,
Quid mihi paluſtris potus infelix aquæ,
Cùm fonte puro bibere diuinæ licet
Nectar voluptæ? *Abd.* Fraudibus arenam inſtruat,
Nunc blandiatur mollè, nunc ſævam attrahat
Frontem in procellas fulminum; ſpinis roſas,
Tormenta melle miſceat; quidquid furor
Veneresque dictant, ſuggerat; eodem mihi
Stabit tenore pectus, & conſtans vigor:
Qualis ſtat inter bella ventorum gravi
Fundata ſaxo turris; aut qualis maris
Exæſtuantis ſcopulus irridet minas.

Sidr. Grates bonorum nobili venæ, Deo
Et trino, & uni, cujus à ſcatebris fluit
Tam grande mentis gaudium.

Mis. Et tantus vigor
Animi, & voluptas, ac inextinctus calor.

Abd. Equidem minores gratiæ à nobis fluent
In liberalem Numinis largi ſinum,
Quàm dona ab illo profluant: illi tamen

, Placet voluntas. Quando, quod debes, nequis
, Reddere, voluntas sola reddendi sat est.
Sidr. Unum hoc dolore pectus arcanum exedit;
Quòd quidquid iræ sævit in nostrum caput,
Erit dolor Balthassaris. Jus candidi
, Hoc est amoris, facere communes cruces.
Miss. Commune fiet gaudium, si nos idem
Tempus dolore solvat, & trepido metu.
Sidr. En prodit ipse.

SCENA III.

Intervenit Balthassar, qui mirè eorum constantiâ exultat.

Iidem, & Balthassar,

Sidr. -- v - v Numen è cœlo suos
Auget favores. Quando te nobis refers,
Nostros timores excutis. Nam nos magis
Tui doloris cura stringebat metu,
Quàm destinatum vertici nostro malum.
Balth. Mihi semper ille mentis infractæ calor,
Roburque vestri cordis intrepidum dedit.
Spem non inanem; quidquid admoveat furor,
Juratus hostis Numinis veri suam
Vim perditurum: qui tamen vestri mihi est
Amor in medullis, corda tentavit metu,
Modicâque curâ. Sæpè constantes timor
Infregit animos. *Sidr.* Ignis accendet nives
Antè, antè flammas frigoris stringet gelu;
Quàm vel ad unguem, Numinis nostri fide
Pectore revulsâ, saxeos flexis Deos

Genibus adorem. Firmius duro mihi est
Adamante pectus. *Mis.* Antè nocturnis dies
Ibit tenebris decolor, nox in diem
Migrabit antè, nostra quàm sese inquinet
Thure execrando dextera, & statuæ Deo
Instruat acerras. Durius duro mihi
Est chalybe pectus. *Abd.* Antè descendent polo
In averna sidera; antè Furiarum faces
Cœlum occupabunt; patriâ quàm me fide
Cessisse Phœbus videat. Est pectus mihi
Solidius ære. *Balth.* Quanta dulcedo meum
Incessit animum! quando vos video Deo
Hærere fixos, nullus ut pœnæ metus,
Nec ulla blandientis illecebræ queat
Spes amovere. Vix capit tantam sinus
Animi voluptam. At ecce, clangorem tubæ
Dedêre; populi ad Regiam turbo volat.
Rex in propinquo est Danda furiali mora
, Est Regis iræ. Tempore remittit furor,
, Elanguet ira tempore, & rursum subit
, Pietas medullas, seq; restituit amor.
, Sic sæpè manè pontus in fluctus tumet,
, Quiesque medio inambulat eundem *die.*

SCENA IV.

Mercurius, pro prima in tres juvenes machina, statuit admovere promissiones regiæ gratiæ, opum & honorum.

Mercu-

Mercurius.

Tandem recessit stirpis invisæ genus,
Odium Deorum, nominis nostri lues, (dies
Hominumque probrum! Hic experimentum
Animi obstinati capiet extremum: dies
Hic edocebit, sanguini an cedat rigor
Adamantis; ense quando de vestris fibris
Cruor hauriretur. Firmior num sit sinus
Et chalybe & ære pectoris vobis, dies
,Iste edocebit. Illa, quæ distant procul
,Supplicia, mentem leniùs tangunt metu:
,Quæ sensus experitur, hæc urunt magis,
,Et obstinatum molliunt mentis gelu.
Distantem ab oculo Carpatum, clivum putas,
Quem facilè superes: si propè admoveas pedē,
Demum gigantem montium immanem vides.
,Remota ab oculis pœna censetur minor,
,Admota terret. Vela jam vento dedi:
Feramur illo; donec optatam ratis
Teneat arenam. Prima mihi cura est, opes
Oculis, honores, gratias, veneres dare.
Ad has & æris cedet, & chalybis rigor,
Nec solidus Adamas stabit. At Rex huc gradum
Infert superbum, tollo me ex oculis; tamen
Umbrante tectus nube, quos produnt sinu,
Observo sensus.

SCENA V.

Accusantur apud Regem à Sacerdote tres

tres iuvenes. Rex in eos amorem prodit. Curam lenibus cum iis agendi committit Asphenez & Malazari.

Nabuchodonosor. Sacerdos. Temnar. Melsar. Asphenez. Malazar.

Nab. - - v - - Ordinem ac seriem juvat
Audi, * sceleris *Sac.* Vernum ubi pandunt sinum
Augusta Tempe, seque Labyrinthi viæ
In varia scindunt, arborum fidis co: as
Tecti latebant, seque securos rati,
Nec inter umbras posse spectari, neque
Inter strepentes fluminis euntis sonos,
Interque motus frondium audiri, mei
Indicia nulla hausêre. *Nab.* Sed quæ te via
Quis genius illuc intulit, & iterum extulit?
Sac. Suspensus ipse dubito, nec satis viam,
Ducemque teneo: quisquis is genius tamen
Fuit, involutas qui mihi ostendit vias,
Illum faventûm munere Deorum reor
Veniisse ab alto. *Nab.* Sequere concepti mali
Seriem, ordinemq; stringe; nam paucis queunt
Patere multa.
Sac Hîc ergo sacrilegum in Deos
Vomuêre linguæ toxicum, in legem tuam,
In sancta jura Regis, in stantem foro
Statuam recentis Numinis, Avorum in sacra,
In templa & aras. Horreo dum horum subit
Memoria menti, & sanguis in venis stupet.

Deos

Deos vocârunt, montis excisam jugo
Massam, vel auro fusilem, mutos, sine
Sensu, sine anima, mentis expertes, stygè fluem.
Progenita monstra, & ultimam Acherontis
Quæ deinde legi probra dixerunt tuæ?
Vanam, superbam, mentis insanæ satum,
Indignam, iniquam, perfidam, invisam polo.
Nab. Hyperbolarum monstra confingis. *Sac.* Minus
Scelere patrato protuli *Nab.* Paucis rei
Constringe nervum. *Sac.* Prima consilia fugam
Suasêre ab urbe: consilî nullus modus
Succurrit animo: deinde per fictum sacra
Vitare morbum, & Regii imperii sacrum
Ludere vigorem: denique hoc firmo stetit
Adamante fixum mentibus; totum priùs
Opum apparatum, gratiam Regis, caput,
Vitam, ac honores perdere, ad nostras manum
Quam tendere aras, debitum & statuæ tuæ
Deferre cultum thure, vel flexo genu.
Sua quisque demum in sacra juravit fidem.
Non ficta narro, testis hîc oculus rei est.
Hæc testis auris. Per sacrum Regis caput,
Genuaque culta Regibus, per quos tuo
Dicâsti honores Numini, per tot Deos,
Quos inter exstas, juro *Nab.* Naturam tuam,
Mentem, fidemque nosco. Sed sæpè evenit,
, Ut, quod vovemus mente, vel calido nimis
, Amore sequimur, noctis effingat sopor,
, Et dormientem ludat. Hæc credo tui
Ludum soporis. Mitte, quas animo mei

Curas

Curas honoris suscipis. Pueri meo
Jurati honori grande documentum dabunt
Constantis animi. *Sac.* Cœlites faxint, sopor
Luserit amantem! facta sed verum probant,
Et clara Superi sceleris indicia exhibent.
Victima resistit, calcitrat, sacram fugit
Timida securim; vique retracta aut jacet,
Aut in furores acta sacrorum Popas
Cornuque ferit, & calce. Si demum cadat
Percussa ferro, viscera exsangui natant
Sepulta tabo, palpitant fibræ metu;
Cruor est adustus, pallidus, densus: jacens
Cor, & gelatum frigore hiberno jecur.
Nab. Expone facinus.
Sac. Steterat innumerus foro
Turbo populorum, Princeps mixti gregi,
Cives Toparchis: quisque, cùm sonuit tuba,
Prono reveritus corpore recentem Deum,
Submissa genua posuit; & acerris dedit
Sacrata thura: sola puerorum trias
Ut dura cautes constitit, rigida caput,
Rigidaque durum poplitem, nullo Deum
Venerata cultu.
Nab. Testis oculatus trahis
Hæc ad tribunal? *Sac.* Testis oculatus, Diis (lus;
Par, magne Princeps. *Nab.* Credo patratum sce-
Ut tamen agatur causa judicio, decet
Factum probari testibus. Lex id petit,
Et forma juris. *Sac.* Testis id populus palàm
Spectavit omnis: testis id Temnar proba,

Id

Id Melsar edic. *Nab.* Estne tam rigido trias
Durata saxo, debitum ut nostro abnuat
Deferre hònorem Numini, & curvo genu
Accidere statuæ? *Melf.* Durior saxo stetit.
Si fallo, magne Numinum consors Deus,
Caput hoc trisulco Jupiter telo petat.
Nab. Verumne Temnar?
Tem. Verius vero est malum.
Si fallo, Rex Auguste, diducto solum
Me voret hiatu, postque Avernales lacus
Sub ima Ditis antra damnatum premat.
Decreta Regis sancta sunt: si quis sacræ
Ausu scelesto legis infringat decus,
Pœnam crepantis igne fornacis luat.
Melf. Constare debet Regium verbum suo
Firmum vigore; publicis chartis tamen
Inesse majus roboris pondus decet.
Est æqua causa: tangitur cultus Deûm,
Vigor sacrorum rituum, & acerræ, & foci,
Novique graviùs læsa majestas Dei.
Esto ipse judex sceleris, & vindex tui,
Rex magne, honoris, Regis hæc tela in caput
Feruntur, & si parcis, exemplo trahunt
Graviora regno vulnera. Innocuis nocet,
Impunè quisquis præterit nocuos. Scelus
Unum irrevulsum, mille post tergum trahit.
Nab. Quid possit ætas ista? quid juvenum trias?
Sar. Sed sunt sagacis ingenî.
Nab. Ingenium sagax
Ætate in ista limites certos habet;

Sar.

Sac. Juvenilis animus magna non rarò coquit.
Nab. Sic æstimante plebe. *Sac.* Popularis favor
, Incendiorum causa magnorum fuit.
Nab. Nihil nocere flamma, quæ premitur, potest.
Sac Scintilla pressa in gravius erumpit malum.
Nab. Sollicita mentis studia, & ardentem fibris
Commendo amorem Numinum, & honoris mei
Curas calentes. Vivet hic semper recens
Sub corde Regis fervor, & dignum feret
Suo calore præmium. Sed nunc metus
, Curasque pone. Mentis inconstans tenor
, Plerumque juvenes distrahit; nolunt, volunt;
Odêre, amantque per vices, quod nunc placet,
Mox displicebit. Unde jam credo suum
Posuisse juvenes marmor, & rursus pium
Lunare Superis poplitem. Quodsi tamen
Gelu rigerent pristino, Asphenez tua,
Et tua Malazar cura sit, molli manu
Tractare vulnus; risu, & illecebrâ, & joco,
Et amore pueris sana consilia dare.
, Ingenua lenes indoles mores amat,
, Trahiturque amore; ad dura difficilem induit
, Mentis rigorem, gratiæ quidquid valent,
Huc admovete. Fateor immunes velim
Pœnâ; sed antè sceleris immunes volo.
Asph Mentem tenemus. Quidquid est Charitum in labris,
In ore quidquid mitis alloquii, egeram.
Nab. Spondete & omnem gratiam Regis. Juvat
Nil præterire; ut quos amo prohibeam mori.

SCE-

SCENA VI.

Mercurius, formam Asphenez indutus, proponit juvenibus voluptates, ut à proposito deflectat; quas illi constanter respuunt.

Mercurius. Sidrach. Misach. Abdenago. Balthassar.

Mer PRædam fugacem persequor. Dum me tegit
Aliena larva frontis, atque oris color,
Incauta nostros forsan in casses ruet.
Habitu subisto vivus Asphenez probor.
At ecce voti præda in amplexum venit.
Vos ego, meorum cura votorum, diu
Jam quæro juvenes. *Sidr.* Hactenus quales tuo
Semper paratos nutui, Asphenez, habes.
Mer. Mihi nulla causa propria huc gressum citat;
Sed causa vestrî. Quantus internis mihi
Amor medullis ardeat, quanti æstimem
Et decora vestræ stirpis, & avorum genus,
Et profluentem sanguinem puro alveo,
Gestusque, mores, indolem, ingenium sagax,
Prudentiæq; pondus, ingentis boni
Animum capacem publicæ quondam rei
Immane fulcrum, (vetera si lubeat sequi
Indicia amoris) mentis in vestræ sinu
Certi tenetis. *Mis.* Indoles nobis memet
Gratumque pectus contulit: merita tua
In nos, & animi pronus affectus, vices
Suas reposcunt. Unde quàm nostris diu

Calidi

Calidi cruoris guttula in venis fluet,
Memoria semper nominis vivet tui
Infixa cordi, & nutibus promptos pater
Natos habebis. *Mer.* Filii (quando patrem
Me nominatis, patrii cordis vices
Lubens rependo) filii, ingenti ruit
Fortuna vestra pondere, & grande imminet
Capiti periclûm: fama, fortunæ, ac honor
Hucusque lectus: ipsa quin vita objacet
Morti paratæ, nostra consilia nisi
» Arripitis animo. Nemo sibi prudens faris,
» Dum causa pendet propria, est: nemo sibi
» Dux, advocatus esse, vel consul potest.
» Alienus oculus purius spectat tui
Erroris umbras. Noscitis, quàm sit grave,
Quod perpetrastis facinus, audaces magis,
Quàm contumaces. Læsa majestas Ducis
Per vos, Deorum læsa majestas quoq; est.
Neq; hoc latere facinus, aut condi magis,
Quàm Sol sereno pendulus cœlo potest.
Decreta sceleri pœna suspendi nequit.
» Ubi justa causa legis est, firmâ decet
» Manu teneri. Liberos reges quoque
» Necessitas hæc stringit, ut si quid jubent,
» In facta cogant, quando communis Diis
Est causa legis. Istud & ratio exigit,
Et Superi, & homines. Ergo si legis suus
Vigor exeratur, ille florentis viror
Ætatis, ille vernus annorum decor
Vultûsque Majus ille momento ruet?

Jam

Jam vernat ore purpura, jam rident genis
Labrisque sparsæ gratiæ, & blandæ sedent
In fronte veneres, pulchra majestas graves
Accendit oculos, defluа per humeros coma
Imitata radios ludit, & toto nitet
Corpore venustas. Hæc tamen (vertat Deus
Omen siniſtrum) hæc purpura atrorem induet?
Illæ jacebunt gratiæ? hæ veneres suâ
Fronte exulabunt? illa majestas cadet
Proscripta vultu? defluа per humeros coma
Calvum relinquet verticem? hîc totus decor
Fluet in cadaver? Et potest vester rigor
Hæc dona Superûm spernere? & formam, & decus,
Clarumque patrum sanguinem, Hymenæo parem,
Unâ peremptum luce in interitum dare?
Video futura, nostra nisi vestros tenent
Consilia sensus, purpura hæc pallet, cadit
Vultûs venustas, oris elanguent rosæ.

Abd. Pulchri venustas oris instabile bonum est.

, Nihili æstimatur temporis spolium brevis.

Mer. Pretium apud omnes nobile venustas habet,
Natura cûi fœcunda non dedit parem,
Et quæ vigorem floris in senium trahit.

Sid. Sed hæc venustas sæpè meliorem opprimit.

Mer. Hæc forma frontis parere meliorem potest,
Et adhuc lubebit gaudia, & dulces jocos,
Quos per sequentis circulum vitæ in sinum
Aget Hymenæus, Pallas, & Bacchus, Ceres,
Diana,

Diana, Apollo, Jupiter, & omnes Dii
Inter superbas regiæ pompæ domos,
In sumptuosis dapibus, harmonicis modis,
Scenis, theatris, gratiis nemorum, jocis
Hortensis auræ, purpurâ, atque auri notis,
Inquam, hæc lubebit gaudia superbis dare
Calcanda pedibus? Si quid Asphenez amor
Precesque possunt, libeat ætati suas
Laxare habenas, gaudiis libeat frui.
Redeat in animos, quanta lætitia obeat
Passim per hortos regios, primum quibus
Affundit ignem Phœbus, & grato illinit
Colore flores, perque radiorum halitum
Sirenas alti nemoris à somno excitat.
Redeat in animos unda cristallo fluens,
Quam fictus arte Phidiæ duro evocat
Pegasus ab antro, deinde per varias vias
Divisa leni garrula argento sonat,
Circumque lauros lambit, & Regum educat
Fronti coronas. Quantus insurgit propè
Numerus cedrorum, seque per fusum aëra
Loquitur odore! Quanta se fagi solo
Insinuat umbra! Lilii quantus decor!
Quantus rosarum risus, & Aprilis, forum
Colorum, odorum fertile, in merces suas
Allectat oculos, perque commixtos jocos
Apollini spectaculum, & Musis facit!
Quid deinde memorem mutuos Echus sonos,
Quos reddit avibus rupium ficto è sinu,
Dubiasque fraude ludit, ut credant sibi

Per mille voces mille responsa exeri
Volucres ab alto montis? Hinc lapsus sonus
Docet lapideum Apollinem & Musas loqui,
Durumq; plectri marmor in cantum excitat.
Si singularum chromata Dearum premam,
Reliquasque verni gratias memorem loci,
Dies peribit antè, quàm finem assequar.
Sid. Quàm levia gravibus gaudia figuris crepas?
Merc. In quod feruntur omnium vota, id leve
Tibi æstimatur? secula quod annis fugat,
Breve judicabis? Pauca sapientes amant.
Concludo paucis. Quidquid est dictum hactenus,
Affectus ille mentis extorsit sinu,
Quo vestra semper commoda, & vitæ salus
Mihi tenuêre pectus. Hinc gravior subit
Dolor in medullas, vestra quod tantùm ad meos
Rigeant amores pectora. At nondum spei
Depono vela. Cordis est vobis sinus
Prudens, capaxque mentis excelsæ vigor,
Exigite mente grande momentum rei;
Consulite rebus. Fata vicinam trahunt
Vobis ruinam: fusa Parcarum brevem
Hunc effluentis horulæ occasum trahent;
Et mox recident stamen: in foribus mori est.

SCENA VII.

Tres juvenes mirantur putati Asphe-

nez propositas fraudes, majusque inde robur ad constantiam capiunt.

Sidrach. Misach. Abdenago. Balthassar.

QUantùm alius hodie visus Asphenez mihi est?
Quàm verba fraude miscuit, ut animos suâ
Sede emoveret? Frangere, at mentem quibus
Dolis volebat, robur adjecit. Cui
Cor antè simplici ære munitum fuit,
Jam triplicato cingitur. *Misa.* Quidquid dolis
Movere potuit, movit. Eloquium addidit
Torrentis instar: constitit firmis tamen
Immotus animus basibus.
Abden. Occlusum abditis
Ignem medullis prodidit. Nunquam magis
Hæc flamma patuit. Cujus accessu strepit
Cardo revolutus? Estne Balthassar? Pater,
Ades ad tuorum vota! veniisses prior,
Liquidum occupasset gaudium mentis sinus.
Balth. Vel sic voluptas pectus incesset nova,
Si vestra detis gaudia in apertum, brevi
Comprensa verbo. Hæc hora non patitur moras,
Quàm multa poscunt.
Sidr. Stringimus paucis, diem
Quæ postularent. Quantus Asphenez ruit
Torrente linguæ! Qualis Atlantis nepos
Omnem eloquentis oris exeruit favum,

Aut

Aut qualis Orpheus dulce modulatus melos,
Tentavit arte flectere inflexum hactenus
Animi vigorem: at irritus cecidit labor
Cœlum impetentis. Unde sperabat fibras
Mollire nostras; inde majorem bibi
Flammæ calorem.

Mis. Qualis ubi modicis aqua
Defluit in ignem guttulis, magis excitat
Flammæ furorem; talis illapsu suo
Facundus oris sermo majorem meo
Accendit ignem pectore, & vires dedit
Divina amandi, & illa, quæ cœlo fluunt,
Gaudia sequendi. *Abd.* Spiritus fervet mihi
Novus per alta viscera, & mentem cremat
Vivace flammâ; temporis quævis mora
Longum videtur seculum, tanto ardeo
Amore mortis; postque depositum breve
Spolium fluentis temporis, memet choris
Divûm inferendi.

Balth. Quanta suggeritis meæ,
Quàm liquida menti gaudia, ô nati mei!
Dum tot procellis undique impulsi parem
Pœnis ferendis cordis invicti statum
Mihi probatis, quamque constanti Deum
Mente teneatis. Regium hinc vestræ genus
Stirpis relucet, Vera si noster mihi
Addicit animus; ibitis lauro inclyti
Per alta cœli templa, Divorum additâ
Trias coronis. Sanguinem sævus prius
Firmo tyrannus cordis exsuget sinu,

Quàm vestra frangat pectora, & fidem eruat.
Cedamus iræ paululum, dum non licet
Sponte in periclûm ruere. Spectemus Dei
Nutum jubentis, cujus in dextra est necis
Vitæque cardo. Tempus optatum propè est.
Aptetur animus interim in vitam & necem.

CHORUS

Docet fallaces esse voluptates.

PRosperæ nunquam nimium triumphe
Sortis afflatu: perit illa nullo
Turbinis pulsu; graviorque mollem
Aura flagellat.
Explicat frontem in veneres tyrannus:
Crederes blando patrium liquare
Pectore affectum; rigido recondit
Corde lænam.
Crederes blandis Zephyrum adjocari
Gratiis ponto, facilemque navim
Ire per fluctus: inimica Nereûm
Excitat ira.
Jamque te cernis scopulis propinquum
Inter aut Scyllam, aut variam Charybdin,
Undique instantis pavida rigere ad
Fulmina mortis.
Crederes auras melico sonare
Suavè concentu; cave! sunt dolosa
Plectra Sirenum; malecautus ibis
Victima ponto.

In-

Instruit mensas epulis tyrannus:
Crederes omnem Jovis apparatum,
Aëris pompam, peregrina ponti
Dona Britanni.
Abstine mensis; latet anguis herbâ;
Toxicum in suavi bibitur Lyæo:
Accubat tecum draco, & apparatam
Toxicat escam.
Instruit currus tibi Rex tyrannus,
Et triumphales jubet ire plausus,
Poplites flecti, populisque leges
Ferre subactis.
Crederes curru simulare pompam
Solis, & jam te per amœna cœli
Sidera augusto radiantis auri
Lumine duci.
Heu cave! excelsis gravior ruina
Imminet. Quò te propiore gressu
Admoves Soli, magis æstuantem
Ferris ad ignem.
Icari lapsus animo revolve:
Fabulam vatum licet esse credas;
Veritas in te dabitur, futurâ-
- Ætate canenda,
Ibis, ut raptis Phaëthon quadrigis
Devium cœli malè iter secutus;
Teque & insanos animi tumores
Igne cremabis.
Ergo, si ridet facilis tyrannus,
Sperne: si invitat, fuge: si jocatur

Abstrahe auditum. Necat ille blandis,
Mollibus urit.

ACTVS III.

SCENA I.

Sacerdos exponit Arioch Capitaneo & in aula, & in compitis passim Deos sperni, & thura iis negari.

Sacerdos. Arioch Capitaneus.

Sac. FLamma invalescit; & nisi extinguas gravi
Invadet astra incendio, ac stellas supra
Exæstuantis ignis undabit vapor.
Ario. Expone; quis tumultus in populo fremit?
Sac. Non sola plebis ira (sit quamvis satis
Hæc ipsa, grandi fluctuum mole inclitum
Sepelire regnum, & Regio capiti grave
Struere periclum) Sola non plebis calet
Ira in tumultus: nobilis sanguis quoque
Malo hoc laborat; jamque nec Divos pudet
Invidere ipsos. Publicis passim viis
Quivis lacessit Numina, & ficti vocat
Partus Poëtarum ingeni, aut rupe eruta,
Auroque fusa; quemque deserimus Diis
Cultum, cachinnis sequitur, ac unum canit
Totâ urbe Numen, cujus artifice manu

Stetit

Stetit ista rerum machina, & pulchrâ fluens
Lege universum; cujus arbitrio fidem
Elementa servant; cujus ad nutus meant,
Lucentque cœli flammulæ, ac variâ vice
Veniunt, migrantque; cujus unius fides
Solùm beatas pandit altrorum fores.

Arioch. Ridenda narras. Nam quis insanæ putet
Figmenta mentis publico assensu excipi,
Colique plausu? Scurra jucundi ingeni
Forsan jocolam fabulam vulgo dedit;
Vulgusque rursus fabulam risu canit.

Sac. Utinam sit istud ludicræ plebis jocus!
Nec ponè reptans veritas regnum opprimat.
Jam, crede, & aulam penetrat hic rumor: neq;
Narratur aliud Regios inter choros,
Quàm pristinorum Numinum exilium, & Dei
, Cultus recentis.

Arioch. Mentis extinguunt jubar;
, Amor, odiumque. Quisquis affectus tenet
, Animum, serenum ferre judicium vetat.
, Rem sæpè parvam pingit affectus gravem.

Sac. Rem sæpè magnam pingit affectus levem.

Arioch. Adeamus aulam: veritas illic rei,
Si quæ est, patebit. Ecce sed nostris favet
Monarcha votis. Si quid est tecti doli,
Hæc hora pandet.

SCENA II.

Intervenit Nabuchodonosor, credit Fabu-

fabulam esse; jubet tamen rei veritatem explorari.

Nabuchodonosor. Arioch. Sacerdos.

Nab ...v... Robori an constant suo
Decreta nostra? Redditur honoris meæ
Statuæ tributum?
Ari. Magne Rex, populus tuum
Hactenus adorat Numen: at posthac minor
Cultus timetur Numinum, statuæ, & *tui.*
Aliquid siniſtræ mussitat famæ sonus.
Nab. Quidquam siniſtri cuditur? neque id ad meas
Pertingit aures? Opprimi ita Reges solent
Aulâ silente. *Ari.* Magne Rex, Regum Deus,
Habes fideles Numini servos tuo.
Hac sede, & horâ pando, quæ Divûm mihi
Narrat Sacerdos: serpere tumultum palam,
Metui Deorum cultui; Numen novum
Patriis abolitis plebe ab incauta coli:
Id jam patere Regios inter choros.
Sed quia Monarchæ maximi hoc *aures fugit*,
Credi facetæ mentis inventum potest.
Nab. Ridenda sunt hæc somnia. At par est tamen
, Cavere ab omni parte. Suspicio sat est
, Periculorum, ut obvies. Malo magis
Cautus videri, negligens ut sim minùs.
Gliscentis ergo fomitem explora mali,
Tecumque miles spargat in cives metum.

Si

Si fræna poscat impetus vulgi, injice
Frænum rebelli. Quidquid acciderit, fide
Mihi nuncietur integrâ. Regum hoc bonum est.
Rescire cuncta. Perge: res grandis moram
Non patitur; iras interim visam Deûm:
Redux probabo exempla virtutis tuæ.

Ario. Rex magne, quidquid imperas, factum scies.

SCENA III.

Mercurius assumptâ Malazaris personâ tres juvenes honorum spe à proposito avocare nititur.

Mercurius. Sidrach. Misach. Abdenago.

PRimo voluptas spiculo fecit viam
Per dura juvenum pectora; secundam paro
Sagittam honoris. Vulnere hæc pectus subit
Patentiore; perque laceratas fibras
Adusque cordis intimum evadit sinum.
Credar Malazar esse: sic oculos, manus,
Sic ora, gestus ille, sic fingit modum.
Quò propria nequit forma, peregrina influet.
At ecce, fati munere, hoc unà in forum,
Solique veniunt: qualis optatam venit
Præda in sagittam; seque, ubi metuit minus,
Siftit paratam vulneri. Votum meum
Anteoccupatis, obvio adducti gradu.
Me cura vestri huc impulit: cœlum dedit

Vos obtinere. Quantus affectu fluat
In vos Malazar, quanta me vestri cremet
Uratque cura, noscitis, nati mei:
Vos ego paterno prorsus amplexu ambii,
Ego vos amantis more nutricis tuli,
In vos calente matris affectu fui
Fovi, educavi, enutrii, leges dedi
Normamque vitæ, moribus cultum addidi,
Et undequaque regula in dubiis fui,
Dux ad favores Regis, & præsens decus,
Clypeusque in omni sorte.

Sidr. Quæ narras, memor
Gratusque recolit animus, & nunquam excidet,
Dum per calentes bulliet venas cruor.

Mis. Tuis onusti gratiis trahimus gravem
Oneris catenam. Stringimur tantò magis,
Quantò referre paria concessum est minùs.

Abd. Cùm merita donum superat, affectum ligat,
Habes Malazar pectorum obstrictos sinus,
Unusque vivis in tribus. *Mer.* Candor placet
Verbis professus, verba si fundent opus.
Amor probatur opere. Quæ dedimus, sequi
Consilia placeat. Sileo, quàm vosmet gravis
Illaqueet error, criminis quanti notâ
Animum impietis. Est locus veniæ tamen,
Nisi obstinatum pectus accessum vetet
Regis paratæ gratiæ, & fontem rigor
Obstruat amori. Pauca, sed magno ferò
Librata verba ponderet: Monarchæ vice
Legatus adsum: Vestra si pietas piæ

Legi

Legi obsequatur, quemque adorandum Deum
A cive statuit, genibus affusis colat;
Non larga tantùm venia commissi reos
Sceleris sequetur, longa sed honorum quoque
Veniet catena. Namque per capitis notas,
Per sancta regni jura testatur Deos,
Cumulare merita gratiis, vestris dare
Urbes regendas legibus; sceptro manum
Decorare, latera purpurâ, lauro caput,
Integraque regna subdere, ac vestris suum
Jugulare thalamis sanguinem. Hinc olim dies
Adveniet orbi gemmeis purus rotis,
Qui vos videbit Regii hæredes throni,
Dominosque mundi, quoque non majus queat
Præsagus animus dicere, adlectos Deos
Deûm in Senatum. *Abd.* Regius nostros amor
Confundit animos, nosque devotam trahit
In servitutem. Mille si nobis Deus
Vitas dedisset, mille pro Regis fide
Vitas daremus. Quidquid is jubeat; Deus
Quod non prohibeat, sanguine id constet licet,
Habet obsequentes. Experimento gravi
Fides probetur. *Sid.* Hora si præsens negat
Probare mentis subditæ affectum, dies
Fors melior olim pandet optatum piis
Votis theatrum, grande quo liceat dare
Fidelitatis specimen. *Mif.* Affectu quoque
Tuo Malazar stringimur. Gratos jubet
Nos esse pronus patriæ mentis favor;
Excessus esse cogit ingratos tamen.

Merc. Cor vulneratis filii, atque animam propè
Ex corde trahitis. Ista sed nondum reor
Decreta mentis ultima. At tempus fluit;
Nisi hora præsens sana consilia exprimat,
Unâ videbo cæde confusum trium
Natare tabum, capita demessa, & vagis
Dispersa campis membra, & in vestra nece
Omne veteranæ stirpis excisum genus.
Turpique demum funere extinctum decus
Nobile parentum. At fata quod sequitur malum,
Est morte gravius; generis æternum probrum
Æterna fero fabula nepoti, & jocus.
Ite hinc amati filii, & amantis patris
Lenite vulnus. Vivo, si subeunt sinum
Meliora sensa: dura si glacies gelat
In ista mentem sensa, moriturus cado.

SCENA IV.

Mercurius obstinatam juvenum duritiem detestatur, & aliam fraudem machinatur.

Mercurius.

O Nata caute pectora, & duro fibræ
Adamante scissæ! ò cordium obstipum gelu!
Ita nullus animo sensus affectu movet.
Quod restat unum, fraudis extremæ dolus
Est admovendus. Plura conatu irrito
Iuêre tela: pharetra sed nondum mihi

Furore

Furore vacua est; restat invictum, horridum,
Immane telum, cujus ad jactum grave
Sensêre vulnus sæpè constantes viri.
Vidi obstinata corda, quæ admotis minis
Nequière frangi, fracta ad exemplum sui
, Cessisse socii, quodque rationis grave
, Pondus nequivit, vicit exempli valor.
Conficta vultûs ora Sidrachi induam,
Frontemque, & oculos, & supercilii notas,
Habitumque totum corporis: fingam improbi
Sceleris dolorem, jamque superatum manus
Dedisse victas Regis imperio. Dolus
, Hic facilè franget alterum. Exemplum allicit,
, Quò trahere vis non potuit. Uniti in gelu
Stringuntur acre; lenè diviti fluent;
Quamque alter alteri ingerit mentem, cadet.
Quodsi tot artes, totque rentatos dolos
Dudum obstinati cordis evincat rigor,
Orcum movebo sede, & Eumenidas stygè
Trahàm nocentes, monstra pallentûm eruam,
Omnemque Averni ab ignibus Ditem exciam
In ultionem sceleris. At factum vocat.

SCENA V.

Subtimentem Idolorum Sacerdotem de occulta aliqua contra Deos conjuratione, & jussam adorari statuam despe-

&tu, animat Arioch Capitaneus, & vanum esse timorem docet.

Arioch. Sacerdos.

, METum remitte: nimius exemplo nocet.
Stant Numinum aræ, thure congesto
Calent acerræ, gentium affluxu sacra
Templa superantur. Nemo mandatum negat
Diis
Superis honorem; nemo non curvat genu
Stanti colosso Regis, & honorat pio
Odore Numen. Tanta religio sacro
Dum fervet æstu, si metum prodas, noces.
, Sæpè metus ipso majus est malum malo.
Nam commovetur vulgus, & grandem putat
Nubem malorum colligi; aut Regis minas
Ire in severum fulmen, ac grandem manu
, Parare cædem. Cùm viri illustres timent
, Charique Regi, nemo se tutum æstimat.
Hinc æstuare vulgus in fluctus solet,
Mulcere turbas, fremere, & accendi impiâ
, Rebellione. Quisque, quod magni timent,
, Sibi timendum cogitat. Quantum trahis
Timore damnum, Numinum interpres, vides.
Et si subesset causa, quod metuis, mali,
Simulare te deceret, & timidum arduâ
Erigere vulgus mente. *Sac.* Non fallo. Latet
Favilla cinere: gliscit, & tacitis gravat
Viis furorem. Si merum prohibes, jubes

Pro-

Prodire tuta scelera, quæ sese hactenus
Texêre tenebris. Quisque, qui tantum nefas
Designat animo, nosque metuentes videt,
Timidus in ipso est scelere; vel pressum diu
Scelus patere credit, & scelere abstinet.
Non vana mentem, crede, suspicio rotat,
Metusque inanis. Civium, & plebis vagus
Per ora sermo grande quid sceleris notat
Nondum patentis, quod viam forsan sibi
Aut per ruinam Numinum, aut nostrum exitum
Rumpet in apertum.

SCENA VI.

Chaldæi ex deprehenso affixo programmate ominantur gliscentem occultam conjurationem in apertum prodituram.

Melsar, Temnar.

HÆc sunt? character iste confusis dabit
Lucem tenebris: iste spelunca eruet
Vulpem latentem, & publicum in Solem feret,
Qui clam struuntur, fraudis intextæ dolos.
Temn. Spe vivo eâdem. Semina sed auget spei,
Quod ipse ductus lineæ auctorem indicat.
Est nota penna, notus est pennæ stylus.
Melf. Si res sit ipsa, capta sub cultro est fera;
Suspicio si sit, ipsa suspicio viam
Ad veritatem pandet. In magnis juvat
Suspicio rebus. Quin locus, tempus, modus,

Quo

Quo fixa charta parieti est, magna exhibent
Momenta fidei. *Temn.* Tela sed nondum rei
Detecta tota est. Quod latet, gravius puta:
Et hoc trahendum est lucis in apertum diem,
Illuc sequamur, quò Sacerdotem & Ducem,
Avidos Deorum vindices, spes & metus
Rapuêre, clarum Regiæ ad limen domûs.
Hîc sunt novarum nundinæ rerum; hic mea
Suspicio verum discet ex certis notis.

SCENA VII.

Mercurius sub persona Sidrachi fingit se mutasse consilium, & Misachum ac Abdenago ad idem agendum hortatur.

Mercurius. Misach. Abdenago.

„SApientis animi est, sana consilia sequi,
„Nec ire eâdem semper ad metam viâ,
„Mutanda mens est.
Mis. Ratio si in melius vocat,
Mer. Meliora ratio suggerit. Non est viri,
„Mentem obstinare in pejus, ubi melius micat.
Radius subivit purior mentis sinum,
Qui pectus ussit, meque restituit mihi.
„Errasse fateor. Hoc quoque immensi grave
„Donum est Tonantis, noscere errorem. O mihi
Chari Sodales, quos amor charos jubet
Fratres vocare! Sæpè librata est mihi
Fortuna mente, quæ trucem nostro parat

Capiti

Capiti ruinam, fortè si illæso Deo
Queat amoveri. Subiit extremùm pia
Fraus, quâ severum Regis edictum simul,
Simulque magni constet imperium Dei.
Simulare libeat Numinis cultum novi,
Lunare poplitem, thura succensis dare
Cremenda flammis. Crimen hîc nullum est, suus
Dum cultus animo redditur clauso Deo.
Hinc quæ futuris semita aperitur bonis!
Sinus patebit Regius. At istud parum est,
Nisi erigamur altiùs. Regis sinu
Fluent perennes gratiæ. Hoc etiam parum est,
Per gratiarum semitam crescent opes.
Neque hîc meorum meta votorum sita est,
Potentiam lucrabimur: multos trahet
Hæc in sequelam. Fortè, si aspirat Deus,
(Nec vana spes est) jura vel populis dare,
Vel ferre leges dabitur. Hinc quæ spes micat
Eliberandi regna fictilium impio
Jugo Deorum? patriam asserto Dei
Cultu tuendi, quæque funestam in stygem
Animæ ruebant, patrii ad cœli viam
Rursus trahendi? Pulcher ô patriæ color!
Quem mente video, quemq; sacrosancto Deus
Per nos reponet nomini!

Mis. At nullum est nefas
Simulare ficti Numinis cultum? *Mer.* Deus
Avertat istud pectore à nostro scelus,
Ut innocentis indolem ætatis meo

In sceleris aliquam semitam exemplo trahamus.
Res ipsa loquitur: fingere aliquando licet,
Consulite sacras paginas: David pius,
Deoque charus, Regio sceptro inclitus,
Vates futuri præscius, non hic suâ
Se mente motum finxit, atque impos sui
Saltare vilus? non & Isacides senem
Lusit parentem, quando sub ovino dolo
Simulavit Esau fratris hirsutas manus?
Quin ipse magnus Abraham nostræ parens
Auctorque gentis, quam maritali sibi
Nexu fideque junxerat, dici suam
Jubet sororem. Pluribus res non eget,
Dum clara constat veritas, nullo modo
Per fictionem jura violari Dei.
Hoc mihi liquavit mentis antiquum gelu,
Animumque dubium Regis in jussa impulit.
Exempla tutis vetera sectari licet.

Mis. Exempla video; sed sequi ratio vetat.

Abd. Quandoque vultum falsitas veri induit,
, Et fronte primâ ludit apparens color.

Merc. Quod ruminavi mente, quod mecum diu
Deliberavi, frontis id primæ nequit
Color vocari. Dicite, quid animum sequi
Exempla prohibet?

Mis. Quod petis, tempus dabit
Boni magister consili. Nunquam decet
Mutare mentem quando discrimen subit
Honor Tonantis.

Abd. Lance suspensa hæreant

Re-

Responsa, donec sana consilia ingerat,
Et verba linguæ dictet, & verbis modum
Balthassar. *Mir.* Ite, sana consilia senis
Exigite: nostra ponderet momenta, idem
Prudens reponet. Ite: non patitur moram
Res ducta ad horam. Spiculum jactum fibris
Adhæret imis, & facit plagæ locum.

SCENA VIII.

Interveniunt Sidrach & Balthassar: agnoscitur Jarvæ dolus. Balthassar argumenta dissolvit.

Misach. Abdenago. Sidrach. Balthassar.

Mis. QUæ forma mentem ludit? an iste est Sidrach?
An finxit alter? *Abd.* Iste, Balthassar cui
Latus ambit, iste verus est Sidrach. *Mis.* Prior
Ergo fuit ille larva, & Acheronte erutum
Monstrum profundo, Sidrach es? vel nos tui
Imago fallit? Cœlites! ipse es Sidrach,
Es ipse frater. Ergo quod spectrum tui
Stetit ante vultus?
Sidr. Ipse sum Sidrach: mei
Quæ vos fefellit umbra? quod monstrum adstitit
Mendace vultu, & pectori incussit metum?
Abd. Superi! quis ille, cujus in vultu Sidrach
Totus refulsit? Larva, quæ struxit dolum?

Sidr.

Sidr. Quæ ſpectra? quæve monſtra? quis ſubit timor
Vos inquietat? Ego ego ſum veſter Sidrach
Balthaſſar hic eſt.

Abd. Ille, qui coràm ſtetit:
Qui Sidrach ore finxit, & fronte, & comâ
Totoque tractu corporis, quantâ gravis
Mole rationis urſit, ut mentem ad novos
Ritus moveret! Nempe damnabat gelu
Animi obſtinati. Poſſe conjungi duo
Credebat iſta, ut corde teneatur Deus,
Palam coloſſus ficti adoretur Dei:
Obtemperare poſſe nos Regi ſimul,
Simulque poſſe Numinis legi obſequi.
Sibi id ſtatutum mente: ſe vinci ſacris
Oraculorum ſenſibus, mendacium
Nullum eſſe crimen, jura non lædi Dei
Voce ſimulatâ.

Miſ. Pondus exemplis dabat.
Simulaſſe David, quando demotam ſuâ
Statione mentem finxit, & viſus levis
Eſt ſcurra plebi: membra mentitum patri
Fraterna Jacob: Abraham noſtri inclitum
Generis parentem, quando Pharaonis ſtetit
Ante ora Regis, voce mendaci ſuæ
Nomen ſororis conjugi Saræ dedit.

Balth. Quid vos ad iſta?

Abd. Poſcere hunc nodum moras,
Decere juſtum lenta conſilia virum;
Nec antè nos exempla trituros ſua,

Quàm

Quin tu audiaris.

Balth. Cauta suggessit Deus
Responsa linguæ. Fraude quàm sanctâ dolum
Tat scelestus! Crusta verborum potest
Fidem putari; nucleus rerum latens
Mendacii nil continet. Abraham Deo
Dante didicit, extimescendum nihil,
Quod conjugalis jura violaret thori.
Ni colosso thuris incendas dapes,
Genua curves, voces si inclames Deum,
Simulachro honores aureo haud ficte dabis,
Quos ferre vero Numini, ac soli decet.
Hinc in videntes robur exempli meat,
Non videntes. Namq; quod gerimus palam;
Hoc in remotas orbis aufertur plagas
Garrante famâ; fitque multorum via,
Quæ trita ab uno est, cujus ingenium sagax,
Ingiensque pectus, mentis illustrem facem
Populus veretur. Nec reliqua fuco vacant,
Intùs refellam singula, & pandam dolos.

SCENA IX.

In capita seditionis variâ suspicione indagant.

Arioch Sacerdos.

QUod evenire posse non rebar malum,
Est in propinquo.

Sac. Sed tamen verbis fidem
Meis negabas. *Arioch.* Credidi vanum metum.

Sac.

Sac. Verum experiris. Multa formidem licet,
At spero plura. Signa, quæ prodant scelus,
Aperta habemus. Nostra nisi torpet manus,
Opprimere fas est, antequam erumpas malum.
Primum hoc agendum est, principes tantæ rei
Ut detegantur. Vana nisi fallit meam
Suspicio mentem, Summer & Maloch scelus
Hoc ordiuntur, promovent, urgent, regunt,
Uterque mentis providæ est, fœtum caput
Uterque magnâ consilî mole erigit,
Auctoritate uterque non modicâ valet
In plebis animos. Vetera quid memorem odia?
Perque impeditas ambitûs longi vias
Exasperatum cordis arcani sinum?
Antiqua sæpè plaga sentitur magis.
Sac. Ex altiore mugit hoc fulmen loco.
Balthassar haud est innocens, & quos fovet,
Geminus Sacerdos. Quidquid id demum rei
est,
Quæcunque grande parturit damnum mora,
Præoccupanda damna sunt, quando est gravis
Copia maligni seminis. Quantus fremit
Hac urbe populus gente de Hebræâ satus,
Si coëat, urbs & Regia in cineres abit,
Tumultantur aræ Numinum, & Hebræus Deus
Agit triumphos. Illa puerorum trias,
Meri Sinones, vulpium ingenia, dolis
Assueta capita, docti per fraudes gradi,
Scelerum architecta, parte non minimâ vacat

Mali

tentis. *Arioch.* Ista serpentis doli
na vena, toxici primum caput.
Origo est altior, præstat tamen
silere. Sileo: sed pectus gravi
r procellâ, seque per fluctus rotat.
(quid urges improbe medullas dolor!)
peregrina, ignota puerorum trias
are docta, astuta, adulatrix, vafra,
os favores Regii affectus trahat?
os honores rapiat? & fræna imperî
et? pudendum! Bella qui gerimus, caput
s tuemur, hostium arcemus minas,
ndimusque capite venali Deos,
turba vilis erimus, & stantes supra
os colemus?
eo, quò tendant tuæ
ch sagittæ. Forsan & fingit dolo
archa amores. Ista sed meliùs silet
ppressa linguâ. Nemo, quod reges agunt,
are tentet: sint probâ, aut sint improba,
iè probare cogimur. Sed sint rei,
vena Ephœbi prima; non soli tamen
: moliuntur crimen.
Hebræum premi
ege populum nemo non noscit. Solent
ic tacita crescere odia. Nam quisquis gra-
vat
ulum tributis, pectoris amorem fugat.
junge mores dispares, ritus sacros
os, & aliud Numen, & genium alium:

Hæc

Hæc certa nostri sanguinis odia excitant,
Hinc si facultas par voluntati foret,
Et ipsa tecta regia, & regnum, & Dii
Traherent ruinam, templaque arderent suo
Cinere obruenda. En Melsar & Temnar.
Sac. Novo
Damnanda cœpta forsan indicio probant,

SCENA X.

Interveniunt Melsar & Temnar, ex quibus intelligunt serpere Hebræorum conspirationem.

Iidem. Melsar. Temnar.

Arioch. QUo res meatu graditur? an nondum doli
Aperta scena? robur an forte impii
Fractum est tumultus? *Tem.* Cœlites istud velint!
Graviora nobis imminent. Crescit malum
Torrentis instar, quando se cœlo tepens
Infundit aura, perque montanas nives
Grassata tepido jugulat afflatu gelu,
Unoque vallem in subditam lapsu ruunt,
Imbremque nubes addit, & molem gravat
, Ruentis undæ. *Arioch* Fama majores capit
, Vires eundo. *Tem.* Lucis in clarum diem
Nondum venenum prodiit: certum tamen
Majus per urbem murmur audiri palam:
Plures scelestæ machinæ pandi notas.

Id.

Id quod nocere plurimùm hoc ſtatu poteſt.
» Eſt lentitudo. Facilè, dum gliſcit ſuo
» Sub cinere, premitur ignis: ubi rupit viam,
» Et tecta, & urbem, & regiam in tumulum dabit.
» Gliſcente quævis ſcelere rumpenda eſt mora.
» Nunquam obfuêre remedia ingentis mali
» Celerata. *Ari.* Tardas ergo rumpamus moras.

CHORUS

Docet fortunam & vulgus ſemper mutari.

» NUlla felici mora longa ſorti eſt.
Ille qui ſurgit radiante cinctus
Purpurâ Titan, avidusque ferri
Luce inoffenſâ per aperta cœli;
Vix ſubit clari medium theatri,
Obviant nubes, rutilumq; frontis
Involant aurum: perit ignis oris,
Purpuræ riſus, radius ſerenæ
Lucis obſcuris tumulatur umbris.
» Nulla felici mora longa ſorti eſt.
Si diem puro ſtetit in theatro
Sol inoffenſus, tamen ille demum
Feſſus occumbit, medioq; mergit
Nereo currum; ſubit atra noctis
Cœcitas, furvâ cycladata pullâ.
Rurſus auroræ redivivus inſtat,
Et brevi cœlos ſpatio pererrat:

Nascitur, semper venit, occiditque.
, Nulla felici mora longa sorti est.
Illa mortales rotat inquieto
Turbine eventus; recreat secundis;
Asperis terret: levat inter astra,
Deprimit rursum: simulat favores,
Mox novercales migrat in furores.
, Nulla felici mora longa sorti est,
Vidimus stantes Pario colossos
Marmore Heroum gravidos trophæis,
Verticem summis sociare stellis;
Vidimus turres memores, prioris
Vindices ævi, decimis canendæ
Seculis Regum memorare facta:
Fulmen elisâ cecidit procellâ,
Quæque sub nubes abiit superbo
Ambitu moles, iit in ruinam,
Et repentino tumulata casu est.
, Nulla felici mora longa sorti est.
Quisquis assurgit, mediumque Honoris
Occupat currum, graviori ad ima
Lapsui sese parat, & cadendi
, Debitum portat. Tumor in ruinam
, Omnis inclinat: vitium hoc superbis
, Rebus adnatum est, subitò perire.
, Nulla felici mora longa sorti est.
Lenis aspirat Zephyrus, jocosque
Nereo miscet; fugit omnis unda
Solis ad primos venientis ortus;
Si lacessitus sua flabra contra

Et

Eurus impellat, fugit omnis unda
Phœbi ad occasum, sequiturq; venti
Quà rapit victor gravioris æstus.
, Nulla felici mora longa sorti est.
Mobile est vulgus, dubiæque fluctus
Plebis inconstans: modò fervet irâ,
Moxque blanditur: modò laudat acta,
Improbat rursum. Brevis hora grandes
Miscet affectus, quibus entheatum
Vulgus insanit, varioque semper
Turbine fervet.
, Nulla felici mora longa sorti est.
Vos, quibus præsens minitatur hora
Proximam mœsto capiti securim,
Ponite abjecti timidas procellas
Cordis, & lætum revocate risum
Solis in frontem: fugiunt frementis
Tela fortunæ, redeunt faventis
Munera, & blandi subeunt amores.
, Nulla torquenti mora longa sorti est.
At quibus dulci fluit amne nectar,
Seque inoffenso pede vota trudunt,
Turgidos mentis cohibete sensus:
, Nulla felici mora longa sorti est.

ACTVS IV.

SCENA I.

Mercurius iratus, quòd tot suarum machinarum conatus in irritum ceciderint, Eumenidas vocat, ad inflammandum cor Regis in tres juvenes.

Mercurius. Megæra.

EXacta credunt bella sacrilegi, impii,
Diis rebelles, urbis atq; orbis probra,
Et jam triumphos apparant fisi pio
Monarchæ amori, quemq; dat plausum sequens
Popularis aura. Nempè sint acri licèt,
Cultâq; mentis indole, at nondum vident
Eventa rerum dubia, & incertas vices.
,Nec marmor amor est. Mutat hic vices suas,
,Quò major arsit, majus offensus semel
,Vertitur in odium, & sede depulsus suâ
,Redire nescit. Scena sed nondum meæ
Suprema patuit artis. Elusæ hactenus
Fraudes amicæ gravibus aperiunt viam,
,Quod sæpè blandi ratio monitoris nequit,
,Id ferrum & ignis exprimit. Quidquid meis
Precibus negatum est, vincet Eumenidum furor,
Quidquid profundo est conditum Acherontis specu

Terri-

Terribile, dirum, pestilens, triste, horridum,
In hanc fluentis extraham lucis diem;
Ut in Monarchæ pectus aconiti tenax
Spiret venenum, & ossa corripiat furor:
Nec ante fibris mota tempestas cadat,
Quàm viva flamma, Numinum vindex, reos
Agat in favillam. Pandere Acherontis domus;
Audi Megæra fontibus dirum caput
Crinita colubris; sulphure armati manus
Audite Manes vota Mercurii. Jovis
Audite jussa. *Meg.* Sede ab infausta stygis,
Et diffluentis sulphuris nigrâ domo,
Quid me has in auras Mercuri rursum vocas,
Auras malignas, infero invisas Jovi,
Mihi execrandas? Jussa facturæ adsumus,
Si justa mandas. Expedi imperia. Gravis
Est ista nobis regio, & invisus dies
Lucis meantis. Expedi, ut pœnâ exuas,
Quâ nos micantis Solis aspectus premit.
Merc. O Diva, cujus nutibus parent furor,
Ira, & timores: cujus imperiis amor,
Expunctus animis cedit invidiæ locum,
Si quid veneni, si quid in tæda est picis,
Quo toxicari Regium pectus queat,
Ut mente motus frendeat, spumet, fremat,
Sitiat cruorem, funera, & cædes paret;
Id Diva totum Regis in fibras vome,
Ut in rebelles sæviat; quiq; impio
Furore honorem Numini nostro negant,
Potentiorem sentiant Orci manum.

Succende flammam, qualis in Sodomam polo
Delapsa quondam, qualis in cinerem lares
Egit Gomorrhæ. Flamma si desit polo,
Quà vota nostra fatiet, inferni faces
Mundo inferantur. *Meg.* Mercuri, voces tuas
Velocitate vincimus. Sociæ manus
Audete facinus, vestra quod posci fides,
Quod vestra dictat indoles, quod filias
Deceat Averni.

Mer. Populus huic etiam faces
Admoveat igni. Sunt, quibus nutat fides,
Quibus in Monarcham pulsus è corde est amor:
In hos furoris impii, & sæva aggeram
Discordiarum semina, ut tentent jugum
Excutere collo regium. Si fors amor
Tenet furentem, reddet insanum timor.

SCENA II.

Balthassar tres juvenes animat ad constantiam.

Balthassar. Sidrach. Misach. Abdenago.

CONstantis animi robore infusam polo
Fidem tenetis usque, nec mentem suâ
Sede emovere potuit instantis gravis
Furor tyranni. Nempè stant fixa intimis
Præmia medullis, quæ parat cœlum. Leve est,
Et vile magno pectori, quidquid potest
Do-

, Donare tellus, Decipit fallax honor,
, Perimit voluptas; timidus est auri nitor:
Omnia vel æstum mentis insanum excitant
Pace interemptâ, vel levi intereunt fugâ,
Sed & capacis ingeni animosus vigor
Hærere vos non patitur ambiguo ambitu
Tot quæstionum. Dubia, quæ fallax movet
Rex in ruinam, mentis exersæ valor
Facilè antevertit. Deinde, quàm prono Deus
Adsit favore, quando discrimen grave
Imminet amanti; quantus in mentem indigis
Veniat serenæ radius è cœlo facis,
Quàm prompta linguæ verba, quàm constans calor
Subveniat animo, scitis. Hinc fidit timor,
Et multa vobis gaudii messis subit,
Ut pro Tonantis gloria optetis mori,
Certi quod inde manet æterni inclytum
Decus triumphi.

Mſ. Non nego taciti metûs
Aliquid subisse pectus, & mentis sinum.
Exhorruisse, quando tam Sidrach gravi
Sermone fictis addidit pondus dolis:
Sed firma semper ratio constantis sinum
Obtinuit animi *Abd.* Fingat astutus, doliet
Scelerum architectus anguis, & vana induat
Commenta fuco, pectus hoc nunquam suâ
Sede emovebit; nullaque à lusis semel
Responsa rebus digna confictis feret.

Sidr. Balthassar omnem cordis affectum rapit,

Per te involucra nubium ex animis cadunt,
Et veritatis bibimus illustrem facem.
Atque inde natus vota succendit calor,
Si causa, resq; postulent, toto sinu
Ebulliendi sanguinem in causa Dei,
Per ferrum & ignes, per revellentes rotas
Mortem oppetendi, & carcere hoc putris fimi,
Per amputata membra, per sectos pedes
Manuumq; nexus, per renodata ossium
Vincula abeundi.

Balth. Spiritum vestra hunc mihi
Pridem spopondit indoles. At quod loquar,
Ne vos timore sauciet. Patrium gero
In vos amorem: partus hic sermo est mei
In vos amoris. Tota commotis fremit
Regia procellis, turbines plebis calent,
Et vestra capita mortem in extremam petunt.
Subtrahite primo fluctui innocuum caput,
Ego subibo Regiam, ut stultam malum.
Erigite mentem: certa divinæ manus
Sperare tanto in turbine auxilia licet:
„Et certa venient. Quando deficiunt malis
„Humana media, Numen extendit manum.

SCENA III.

Properant, qui missi sunt ab Arioch Duce, ut nuncium ferant Nabuchodonosori de excitatâ rebellione, & proximo periculo.

Sacerdos, Melsar, Temnar.

Um res sub ictu est, media properari juvat,
Si dīstulisset Aula vel medium diem,
templa, & aræ, & Numinum augusti tholi,
urbs, & omnis Regia, ac regni status
osepultus cinere in æternum nihil
epentè iisset. *Mels.* Nulla tempestas Noti,
ſaniensque fluctuum allisus movet
ot bella ponto; nulla tot sorbet rates
narybdis ore, tamque præcipiti impetu
pit in profundum; nulla tot nautis facit
rîcla Syrtis; quanta momento impiæ
empla triados plebis in animis creant.
uis credidisset? Lenta progressu lues
mper timendos exitu casus parat.
, Sed quid movere quæstibus ventos juvat?
operemus unà, jussa quò Ducis vocant.

SCENA IV.

lercurius suos dolos eò deductos esse,
l optatum finem spectent, lætatur: so-
submetuit Balthassaris obstituram
lentiam.

Mercurius.

Unc & triumphos impii, & Pœan canant:
Nunc laureatâ fronde redimitum caput

Sub ipsa cœli sidera attollant. Status
Huc usque rerum venit, ut flammis priùs
Sint consecrandi, nostra quàm tela exitu
Sit constituta. Sola me incertum tenet
Balthassaris prudentia, sagacis senis,
Et in omne telum providi; nullum cui
Tam tortuosum ænigma, vel gryphus dolo
Tam tectus esse potuit, ingenio ut suo
Non explicaret; detegit, quidquid latet
Sub veritatis larvâ, & occultum eruit
Rerum colorem: Robur insignis Magus
Nil metuit orci: Victa Tisiphone cadit
In omni arena: toxicum nullum efficax
Vel trahere vitam corpore, vel animum en-
theâ
Nube aggravare. Quin tenet Regem sui
Amore vinctum, colitur, auditur, potens
Suadere quidquid libuit, & nostri doli
Atterere vires. Regis en stipat latus.
Quin fulminatis astra! Sed præstat tegi
Tantisper iras. Arbitro quando vacat
Tempus locusque, solus & solum fricat,
Hic ex recessu facta spectabo, & sonos
Venabor aure. Fraudis intentæ labor
Quousque sese adurserit, fortè eruam.

SCENA V.

Balthassar occasionem nactus cum Rege privatim loquendi, ostendit unitatem Dei,

Dei. Flectitur nonnihil Rex: sed ob regni non amittendi causam permanet in sua perfidia.

Nabuchodonosor Balthassar.

Nabuch. LOcus, remototeste, secura est meo
Dolori arena. Quanta, Balthassar, mei
Amoris inte flamma sit; quam te colam,
Tuoque honori deferam, nosti: tamen
Animum moveri sentio, quando subit
Memoria probri, quo lacessuntur Dii,
Quo nostri imago ductili ex auro, omnium
Veneranda cultu, spernitur, nec se coli
Genu recurvo, aut thure adorari videt.
Et hæc inultus probra Babylonis Deo
Patiar inuri? Solus à populo Deus
Tuus coletur? Numina jacebunt mea
Despecta, trita, inhonora, calcata, obruta?
Balth. Religio vero vera debetur Deo.
Nabuch. Vera ergo nostris debita religio est Diis.
Balth Si sunt Dii, debetur.
Nabuch. At honorat Deos,
Deos fatetur orbis, atque omnis genu
Populus recurvo, & igne veneratur sacro,
Thurisque nube.
Balth. Populus is credit Deos,
Divinitatis fictæ quem species movet.
Si vera sit divinitas, cur Rex tuis
Responsa clara somniis nequeunt dare?

Nabuch. Non æqua dotat singulos virtus Deos,
Non æqua vis potentiæ. Plures habet
Magnus minores. Eminet summus, cui
Homines Diique cæteri parent. *Balth.* Deus
Est aliquis, ergo subditus magno minor?
Nabuch. Divinitatis poscit id summæ status,
Ut alia sit divinitas istâ minor,
Quæ jussa summæ faciat.
Balth. Id poscit magis
Divinitatis titulus, ut liber, suus,
Æternus ac immensus, omnipotens, nihil
Non comprehendens, optimus, & omni carens
Perfectionis limite sit, interminus,
Nulli obligatus, eminens, nullo indigens,
Actusq; purus, entium vertex, suo
Contentus ipse, & ipsę sufficiens sibi,
Quo cogitari, aut esse nil meliùs queat.
Si plura statuas Numina, assignas sua
Cuique, sed non omnia. At nequit Deus
Esse ille, cuî deest aliquid, atque alter sibi
Proprium reposcit. Adde, sint plures Dii;
Et hunc & illum liberum arbitrio dabis:
Quod ergo nolet unus, hoc alter volet.
At cûi resistit alter, hic non est Deus.
Hæc Numinum pluralitas est nullitas:
Deumq; tollit, qûi Deos plures colit.
Quodsi deinde numerus hic tantus Deûm
Fluxerit ab auro, aut marmore excisus manum
Steropis gravârit, arte vel lectus fabri,
Aut rigidâ ab orno, aut quercino à trunco suos

Habuerit ortus; ergo Deitatis Decus
Est partus artis. Adde, cur dicis Deum
Marmor, quod arte duxit in Statuam Myron,
Vel æs, quod igne fluxit in magnum tuæ
Formæ colossum: at Numen id marmor negas,
Et æs, quod arti superat, artificis labor,
Ex quo chelydrum format, aut monstrum stygis?
O misera gens mortalium, quàm vos gravi
Dolo implicatis! nobile imperium animi
Æri, vel auro, aut marmori, aut ligno datis,
Et servitutis sponte miserandum jugum
Collo subitis! Usibus vestris Deus
Servire voluit ista, qui nihili è sinu
Cuncta evocavit. Forsan hoc victus dolo
Vel æs, vel aurum, aut marmor, aut lignum putas
Illum esse, cujus jussibus cœlum stetit,
Fluxitque in orbem, sidera arserunt, diem
Disperfit ore Phœbus, astrorum choris
Luna imperavit, aura spiravit, caput
Juga sustulerunt montium, viridi agmine
Stetêre sylvis arbores, trepidis aquæ
Ivêre rivis, flumina in vastum maris
Sinum irruêre, pelagus emotum suas
Ad littus iras frangit, & ponit minas?
Nab. Balthassar, aulæ limitem excedis: nimis
Effundis ista liberè. Sed non vacat
Miscere rixas. Istud extremum accipe:
Sunt, & fuêre mille sapientes viri,

Et mille mille per tot annorum exitus
Vixêre, docti, sacra qui nostris Diis
Thura obtulêre: est numerus innumerus super,
Qui pronus aris accidit, donis colit,
Veretur igne, victimas cædit, Deos
Veros fatetur. Sit tamen vester Deus,
Sit ipse solus, alia lex Reges ligat,
Veteresque cultus prohibet everti novis.

Balth. Iniqua lex est, si quâ rationem opprimit.

Nabuch. Non illa vili plebis ingenio venit,
Mutare ritus, vertere est regni statum.
Quid vertere inquam? perdere est sceptrum manûs,
Capitis coronam, purpuram lateris, decus
Soli potentis, omne, quod regnum vocas.
Ternos Hebræos, culpa quos fecit reos
Statuæ negati honoris, ad meritam in forum
Vocare pœnam distuli (hoc jussit mei
Affectus animi) quantus hinc turbo fremit
Exasperatæ plebis, & Regi suas
Minatur iras! Fortè per capita quoq;
Majora iisset, nostra celeritas nisi
Posuisset obicem turbini, atque iræ modum,
Scintilla magnum incendium parva excitat.
Dum parco sceleri, censeor partem impii
Habere facti, sique non veteres Deûm
Mutasse ritus penitus, hærere ad minus
Utrosque cultus inter, & dubium animo
Pendere, quâ me parte religio trahat.

SCE-

SCENA VI.

dfertur nuncium tumultuantis ple-
Rex in tres juvenes minas fulminat.

Asphenez. Nabuchodonosor.
Balthassar.

, VErende Regum terror, infelix movet
Aulam procella.
. Turbo, me Rege, in meam
volvit aulam?
b. Cœcus est plebis furor,
Nec dignitatem respicit. *Nab.* Fare ocyùs,
Quæ me procella?
b. Vulgus excedit minas,
ramque apertam prodit, & plenis ruit
in arma cuneis, legis exemplum volunt
Statui in nocentes.
b. Nonne dicebam tibi,
Aliquo frementis turbine procellæ meum
Caput requiri? Sentient Regis manum,
Iræque justi fulminis pœnas dabunt.
lth. Quàm res sit ipsa, major est rumor rei.
buch. Quando periculum imminet, fama est
minor.
Remitte verba: nostra quos clementia
Non mitigavit, opprimat justus furor.

CHO-

CHORUS

Docet, quos virtus tegit, semper esse sui securos, deplorat tamen infelicem sortem trium juvenum.

REtia frustrà tendimus Aquilæ,
Libera dum se jactat in auras,
Et vaga cœlo librat aperto.
Labor est cassus, quicunque dolos
Siderum amanti construit animo.
Volat ille polo liber aperto,
Ridetque jaci spicula casso
,Vulneris ictu. Quin, qui jaculo
,Petit insontem, sæpè fit ipse
, Meta sagittæ, & retro volutus
,Impetus iræ ferit auctorem.
Ubi Sol medio pendulus axe
Utrumque pari radio mundum
Despicit, atræ procul a fugiunt
Tenebræ noctis. Labor est cassus
Quicunque doli flectere mentem
Errore parat, cui Deus imo
In corde sedet, purâq; sinum
Luce irradiat. Quos fraude studes
Tegere errores, ille revelat,
Qui mera lux est, purusque dies.
Nimis infelix mortale genus,
Quod neque tangit pulcher honesti
Nitor, aut urit virtutis amor,

Nec

ec ſacer horror vitii terret.
nc maleſuadâ fraude rotatum
iis æternis ignibus eſca
on rediturum: nec valet ullâ
emel impulſus ratione gradus
etro reflecti. Tantus in animis
Ialè conſulti, eſt amor erroris.
Licèt at ſemper ſua virtutem
Gloria maneat, ſemperque ſuo
Splendore micet; tamen à tergo
Trahit obſcuras odii tenebras.
Trias ô juvenum, nobilis ævi
Gloria noſtri, gemma ætatis,
Virtutis honor, norma juventæ
Rigido (heu!) monſtri dente perempti,
Licèt innocui, in funus abitis.
Plangite, quotquot gremio virtus
Educat almo, quotquot votis
Supra humanas tenditis arces,
Magna futuri ſidera olympo.
Plangite, & æquæ fulmina Nemeſis
In vindictam mortis iniquæ
Cœlo extremâ voce vocate.
Barbara pietas! furor immanis!
Ira immitis! rapit extremo
Funere juvenes, dignos Pylios
Superare dies. Barbara pietas!
Plangite quotquot vis exempli
Trahit Heroi & fulmina Nemeſis

In

In vindictam mortis iniquæ
Cœlo extremâ voce vocate.

ACTVS V.

SCENA I.

Dum juvenibus suam pro Deo patiendi sortem gratulatur Balthassar, adest Arioch, à quo ad carcerem abstrahuntur.

Balthassar, Sidrach. Misach. Abdenago. Arioch. Asphenez. Nuncius.

EQuidem invidendus sortis est vestræ mihi
Cursus Sodales; cura sit Regis licèt
Studiumq; prorsus patrii affectûs, neci
Vos imminenti eripere: sed vestra est tamen
Fortuna melior. Itis (hic cœli est favor)
Itis, secundo Numine, in causa Dei
Spargere cruorem, & morte mercari inclytam
Cœlo coronam: plebis exundans furor
In hæc dolentis Regis invitam trahit
Decreta mentem. Sanguinem ô socium dare
Mihi si liceret! & pari fato caput
Deo immolare! nulla sors posset mihi
Spirare melior, Cœlitûm ô sociæ animæ,

Et

beatæ? *Sidr.* Quando tot votis dies
t petitus! Hora quæcunque interest,
a est amanti.
uam voves animo diem
mque Sidrach; ipsa, quâ loquimur, tuo
stinata funeri. Jam vos vocant
ebræ profundi carceris, & atri specus
hospitalis. *Mis.* Inde non perdam diem
ni serenum.
Quanta mihi vestro venit
ii voluptas! quando tam promptâ in necem
eo paratos mente, cruciatûs nihil,
ilque timidos chalybis, aut flammæ &
rotæ.
At ecce votis facta succedunt. Mora
nulla mortis. Arioch, Asphenez, reæ
tis minister, quidquid adportant, ferum est.
c hora vestræ gloriæ laurum dabit.
Age, incitemus obvium morti gradum.
idrach, Misach, Abdenago, Murbanus locum
ubeo, Regi obtempero, officium piam
niam meretur. Lege vos jubeor gravi
stodiendos ducere in turris cavum.
bis, mihique dura lex: par est tamen
rosque promptè Regis imperio obsequi.
Ut temperetur plebis iratæ furor,
otumq; fluctu vulgus, hæc Regi dare
andata placuit. Longa non ibit mora,
rum sepultos eruet. *Nunc.* Tempus monet,
ecreta adurgent. Ite, quò leges vocant.

Bahh.

Balth. Parce impedire nobiles ferro manus:
Ibunt volentes. *Mis.* Gaudio & pleni. Jube
Vel anteire, vel sequi gressus tuos.
Balth. O digna cœlo pectora! innocuæ animæ!

SCENA II.

Mercurius datos in custodiam juvenes lætatur: submetuit Balthassarem. Sed & hunc vincendum sperat.

Mercurius.

SUbiêre casses perfidi; nec se priùs
Arctis resolvent vinculis, quàm ignis liquet
Ferrum & catenas, ossaq; in cineres eant.
Sed quod fatigat pectus, & mentem movet
Multa extimentem, est ille versutus Magus
Balthassar, ille Regis illusi Deus,
Rex ipse Regis, cujus arbitrio jubet
Vetatque, cujus nutui obsequitur, reis
His parcit, illos plectit, ad honoris gradus
Hos tollit, illos deprimit: quidquid volet,
Rex obsequetur. Omnia est Regi hic senex
Truncare solus fraudis hic telam potest,
Et arte magica evertere ingenii dolos.
Sed non feremus Juro fulminei Jovis
Librata tela! seu velit, seu non velit,
Meo furori lauream obtritus dabit.

SCE-

SCENA III.

Insanit Sacerdos in tres juvenes: invocat Deos vindices: Intelligit ex Capitaneo jam captos esse juvenes, mitigatur nonnihil. Statuit ad ulteriora Regem urgere; Capitaneus interim tumultum sedare.

Sacerdos. Arioch.

O Tempora! ò portenta! sic torpent Dii
Lenti, supini, desides, rerum rudes,
Quas sub vidente Sole mortales agunt?
Hæc illa sacris debita est templis fides,
Arisq; pietas? illa religio hæc Deûm,
Ut pro Sabæo thure jaciantur probra,
Pro laudibus calumniæ? O cœlum! ò Dii!
Hodie ergo cernam pedibus attritos Deos,
Delubra sacta Numinum excisas domos,
Statuas diremptas, & profanatas pice
Sacrorum acerras ignium? hoc ergo die
Per templa pascet ignis ardentem famem,
Atq; umq; fumi ad sidera volumen dabit,
Dec. duus unde crescet in montes cinis,
Fusumve latè exhauriet ponti sinum?
Hodie ergo ducta à patribus, & longis retro
Religio culta seculis turpi cadet
Inhonora fine? Cernitis tantum nefas

Su-

Superi, & siletis? Ulla si vestros polo
Vocavit ignes, perque disruptum aëra
Volare tela, pluere fulmineas faces,
Mugire tonitru, nubibus volvi neces,
Hæc hora poscit. Ista dissimulas Deus,
Lentusq; pateris? Fortè lassatus Steropes
Vacat labore fulminum, & Siculo silet
Vulcanus antro? Tuque, qui pontum regis
Tridente Nereu, pande non solitis viam
Omnem procellis, limitem obstantem excute,
Totumque latè fluctibus inunda solum,
Ut parte se quacunque subducant rei,
Mari involuti funus Acheronti cadant.
Quod si tepentis ira languescit Jovis,
Lentusq; fluctus ire Neptunus vetat,
Tuarum Averne partium est, tanto malo
Statuere finem, postibus fractis moras
Frange ustulati cardinis, totam stygis
Evolve flammam; sæva Furiarum phalanx,
Et monstra, & angues, quidquid & tetro sinu
Alis malorum, furve Rex, nostro inferat
Mundo furorem, lividum, implacabilem.
Ebulliente sulphure sequatur reos
Cocitus ardens, teneat, immergat, coquat,
Iterumq; coctos regerat ad vitam in nova
Supplicia: semper enecet, semper novet.
Si Rex & ipse sceleris in partem venit,
Primus trisulcam sentiat teli facem,
Primus in Averna perfidis rumpat viam.

Ari. Quò reperis irâ? quis furor mentem coquit?

Vel

Vel quis virile pectus affligit timor?
Sac. Non ira cruciat, non timor causâ mei
Affligit; ira cruciat atque horror tamen
Causâ Deorum: templa concisis ruunt
Diis in sepulchrum; sancta religio Patrum,
Pietasque Avorum; cultus, & ritus sacer
Sorbentur uno turbine. *Ari*, Irarum sat est,
Sat est timoris impetum cordis preme,
Fortuna melior rebus aspirat. Via
Præclusa sceleri est. Perfidi turris cavo
Jacent sepulti. Nullus est metui locus,
Et nullus iræ. Cœpta sed series tamen
Rei premenda est. Regis in pueros pium
Tu verte amorem. Ne quid emotus furor
Plebis tumultûs exciat, præsens meâ
Auctoritate vetabo. *Sac.* Sic placeat Diis,
Ut hæc medela tollat à fibris malum.

SCENA IV.

Præfectus Ephœborum placatum juvenibus Regem existimat: negat Balthassar ob regni periculum placandum.

Malazar. Balthassar.

Malaz. UT ira magnos Principes longa haud decet,
Sic mitigatam spero, vel penitus fibris
Eliminatam, jamque pietatem suæ

Sedi

Sedi reponi, patrium & rursus sinum
Pandi juvenibus. *Balth.* Dubia proveris canis.
, Non sic furores Regii excandent, brevi
, Ut sopiantur tempore. *Mal.* Affectus prior
, Solet redire. *Balt.* Causa, quæ affectum abstulit
Si sit remota. Plebis est idem furor,
Idemq; pectus regium tundit metus.
Filia timoris ira non sidet priùs,
Quàm det quietem pectori elisus timor.
Mal. Si quando torrens monte declivem cadit
In vallis urnam, mugit, & rauco fremens
Murmure per omnes impetum exercet *Sinus*,
Et quidquid est obstaculi, secum rapit.
Deinde sensim lentus incessu fluit,
Demumq; siccus omne denudat solum.
Sic ira Regum fervet, erumpit, ferit,
Quodcunq; primùm occurrit: at tandem suis
Frangit procellas. Ira ceu pontus tumet.
Sed vim procellæ mollis ad littus jacens
Arena frangit. *Balth.* Falleris, quando statûs
Cursus secundus publici Regem trahit,
Vel insecundus; ratio rationum movet.
Tum nulla lex est, nullus est ritus *Dei*,
Deusq; nullus. Quidquid hæc ratio jubet,
Licitum sacrumq; est: quidquid hæc prohibet, gravis
Notâ laborat sceleris. *Mal.* At jùvat tamen
Sperare quamvis & spei subsit metus,
Suspicione te Regis involvat. Tibi
Quò plura Rex concredit, hoc cautum magis,
, Et

ſſe parcum convenit. Facilè trahit
picio quidvis noxium in ſenſum. Cave.
prodit, ecce. Huc flecte Balthaſſar gradum,
miſceamur fluctui intrantis chori,
,ſi duorum videat affatum ſimul,
iqua ſiniſtra opinio in Regem cadat.
onditio Regum eſt ſuſpicax hominum genus.

SCENA V.

Dum Rex ſpe placendæ plebis ſe cum
enibus recreat, corripitur à Sacerdote,
nuncium accipit, graſſari malum.

Nabuchodonoſor, Sacerdos, Malazar.

Eſcio, quis ater ſemper in ſceptrum meum,
Soliumque, & alti capitis auguſtum jubar
Turbo ferocit Forſan invidiæ ſumus
Materia Superis, quando nos populus colit
Et thure & igne? Quisquis at rabido Deûm
Livore pectus ringitur, per me licet,
Ringatur uſque, frendeat, fremat, furat,
Et æſtuantes laniet invidiâ fibras;
Deus colemur. Turbo, qui plebem movet,
Deponet iras; at niſi actutum cadat,
Vos, me gemente, nobilis juvenum trias,
Fornace vivâ plebis accenſam facem
Rurſum opprimetis, cujus in noſtrum caput
, Iram incitaſtis. Flamma ſic major benè
, Premitur minore. At triſtia Hippotades ferat
Mare in remotum: læta ſuccedant magis.
Libet experiri, quanta ſit juvenum animis

Virtus vigorque, quantus in Martem calor.
, Facilè ille vulgi publicos cultus emit,
, Studium & amores; fama quem magni præit
, Nuncia vigoris.

Mal. Quod jubes, Princeps, agunt.

Pyrrhica saltatio, vel aliud armorum exercitium.

Sac. HOc est, quod animus sæpè dictabat, mihi
Præsagus augur. Magne Rex Regum, & Deus,
Tu, tu malorum causa, quæ plebem excitant:
In te Tonantis ira satiabit sui
Furoris æstum. *Nab.* Quid mali narras, sacer
Deûm minister? *Sac.* Cœce! direptos Deos;
Delubra fracta, dirutas aras, pede
Trita simulachra Numinum nondum vides?
Jam jam videbis corripi flammis Deûm.
Augusta templa, perque diffusum aëra
Incendiorum turbines ire, & poli
Terrere stellas: & nisi occurris malo,
Jam Rex fuisti, jam Deus: jam non eris.
Nab. Huc usque sævus porrigit fluctus minas!
Sac. Huc usque; & ultrà perget, Augustæ nisi
Opponis obicem dexteræ. *Mel.* Cultus patrum
Rex magne, terituri Regiæ extremum immini
A plebe bustum. *Nab.* O monstra! quid cœlu
parat?
Occurre miles. Impii! ingrati! feri
Pueri! æstuantis ira vos flammæ manet,
Quicunque turbo est plebis, est vestrum scelu

SCE

SCENA VI.

Mercurius properat ad concitandam plebem, ut non acquiescat decreto per regem juvenum exilio, sed ignem urgeat.

Mercurius.

JAm tela ducta ad ultimum nodum venit,
Hunc non resolvent. Unicus restat dolus
Frangendus arte. Fraude persuasus putat
Satis esse Princeps, ultimam in Thulen procul
Abire pueros exules, quò vel nihil
Adferre fama nuncii, aut rediens nihil
Referre possit. Apta consilia suo
Sunt hæc amori, quo impios pueros fovet;
Sed non furori, dente qui mordet meas
Animi medullas. Quidquid est actum hactenus,
Pati necesse est, tela ne nostrum petant
Retorta collum. Fraudis inveni modum.
Fovenda flamma est plebis. Huc præceps volo,
Ubi major ignis æstuat, & oleum ingero.
Flammam, favillam, incendium, ac bustum volo.

SCENA VII.

Arioch & Sacerdos augurantur decreto juvenibus exilio satis suum Diis & aris honorem vindicatum iri.

Arioch. Sacerdos.

Arioch. JAm dissipatur ignis, & tenuem cadit
Furor in favillam; qualis ad Solis facem

Nix eliquatur; qualis aut ignem fluit
Cera ad propinquum.

Sac Scelera si juvenum exigas,
Equidem merentur igne subjecto opprimi
Regi rebelles, impii in patrios Deos,
Inobsequentes legibus, magna in nefas
Exempla vulgo. Sint tamen, quod Rex jubet,
Sint procul ab oculis, finibus regni procul:
Satis hoc dolori est Patrio ejecti solo
Simul exuuntur jure regnandi, simul
Omnem procellam civium secum auferunt,
Metumque nostrum: Quà gradum impellent, retro
Sequetur angor; hinc vetus honoris furor,
Illinc egestas turpis, ærumnæ graves,
Vitæque triste tædium, ac durus labor.
Nec ista levior pœna supplicio rogi est.
Unius hoc est horulæ; at longam fluit
Illa in senectam semper augente acriùs
,Dolore sensum. Ferre miserias leve est,
,Diû ferre graviùs: sensus accrescit die.

Ari. Quin ergo jussa Regia, abruptâ morâ,
Denunciamus perfidis patriæ ac *Diis:*
Regique ferimus nuncium fracti impetûs,
Et blandiore pace compositi maris?
Hoc mihi futurum loquitur internus Deus.

Sac. At victimarum sanguis, & trepidæ fibræ
Hoc non loquuntur: ille suffuso fluit
Atrore mixtus; pallidus in istis color
Sinistra dictant omina; nec aris volat

Sincers

Sincera thuris flamma, quam fumi tegit
Atrum volumen. *Ari.* Sanguinem purum, fibras
Sinceriores, thuris ardentis facem
Sereniorem spondet hic animo dies.

SCENA VIII.

Balthassar spem omnem vitæ juvenum succisam dolet : solatur eum Asphenez, amorem Regis prævaliturum.

Balthassar. Asphenez.

Balth. OMnis benignæ clausa pietati est via,
Asph. Erras: amoris flamma non facilè cadit.
Rex ipse legis pœnitens mœret, gemit,
Et mitigare legis horrorem cupit.
Malaz. Satis esse pœnæ credit exilium. Solent
, Decreta ferri rigida: sed Reges tamen
, Non obligantur legibus. Si quem vocet
, Lex ad securim, vel laborantem rogum,
, Donare vitâ lenitas Regis potest,
Soletque, quando merita commendant reum,
Vel ars, vel altæ mentis excelsus vigor,
Vel stemma avitum, & nobilis sanguis patrum,
At esse puerosindole excelsâ, fatos
Principe parentum sanguine, & stirpe inclytâ,
Pulchræ per omnes gloriæ ductos vias,
Virtutem in omnem flexiles, animo graves,
Prudentiâ & scientiâ excultos, boni
Omnis capaces, nullus in dubium vocat.
Balth. Tuum hæc amorem cordis, Asphenez, probant:

, At spes inanes fulciunt. Nullus furor
, Ratione regitur: exulat mentis jubar,
Ubi res aguntur impetu: ad ferrum & faces
, Semel excitatus provolat Regum furor.
Asph. At lenitas in corde regali sedet.
Balth. Ut in natantis Æoli regno quies.
Asph. Serenitatis propria est aër domus.
Balth. At hic procellas sævat tempestas agit.
Clementia undæ est similis, atque igni furor.
Asph. Sed flamma ab unda extinguitur.
Balth. Flammam quoque
Accendit unda. Perditus locus est spei:
Expunxit omnem regius amorem furor.
Si quid labante spe tamen supereſt spei,
Id à benigna Numinis veniet manu.
Hic Regis iram vertere in amorem potest,
Piumque rursus pectori affectum dare.
Sed en Sacerdos cum Duce huc infert gradum.
Hinc ego recedo: vos mihi eventum rei
Postea referte.

SCENA IX.

Intervenit Capitaneus, intelligit populum non acquiescere decreto exilii, sed ignem postulare.

Arioch. Sacerdos. Asphenez. Malazar.

Arioch. – ∪ ∪ ∪ – ∪ Pestilens populus hydra,
, Est mille capitum. Vix secas unum, lues
, In dena rursum pullulat. *Sac.* Flammis hydra
, Fœcunditas retunditur. Flammâ cadet

Populi

Populi tumultus, quando tergeminum fame
Vorace monstrum recoquet, & pueros levem
Aget in favillam.
Asph. Non cadunt fluctus adhuc,
Postquam paterno statuit extorres solo
Rex in remotas trudere à regno plagas?
Antioch. Nondum residit impetus: plebis furor
Edicta stare regiâ poscit fide,
Et lege fixa busta decerni reis.
Jam cana procerum capita, concilium patrum
Cœtu soluto regiam Augusti subit,
Statumque rerum exposuit: & credam brevi
Decreta fulminata tranquillum rei
Datura cursum publicæ? Haud longum potest
Abire tempus, ultimam flammam impiis
Rex intonabit. Pergimus, quò nos vocat,
Processus aulæ.
Mal. Pergite; sequemur gradum.

SCENA X.

Asphenez narrat intellecta Balthassari; hic rem desperatâ dolet; ille adhuc sperat.

Asphenez, Balthassar. Malazar.

MOra nocet omnis, quando res toto impetu
Fluit in ruinam. Pauca concedit locus
Tempusque. Flammam plebis insanæ sitis,
Flammam reposcit; jamque subiturus forum
Rex properat aulâ cinctus, insontes reo
Daturus igni.
Balth. Falsa non equidem mihi

Pectus locutum est: regiam ubi mentem subit
Timor coronam & regna perdendi, Dei
Periêre leges, æquitas juris perit.
Malaz. Sed adhuc salutis radius affulget mihi,
Cecidisse demus mente pietatem; tamen
Redire pietas, unde submota est, solet,
Reduxque ademptas integrat vires amor.
At ecce Regem. Submove hîc retro pedem.

SCENA XI.

Nabuchodonosor inter iram & amorem in juvenes luctatur: sisti eos sibi imperat, ultimam decreturus sententiam.

Nabuchodonosor. Senatus. Majores populi. Sacerdos. Arioch. Asphenez. Chaldæi. Malazar, Temnar.

Cui vile cœli Numen est, vilis quoque
Sit ille nobis. Æquitas poscit: Diis
Quicunque pugnat, omnia oppugnent eum.
Supplicia gravitas taxet. Hac culpâ nequit
Gravior patrari; pœna ne culpâ minor
Statuatur, æqua juris expescit Themis.
Decreta nostra robori constent suo.
Senat. Hoc turba poscit, juris hoc poscit rigor,
Hoc ipsa cœli Numina, & ritus patrum,
Religio, verbum Regis, & regni salus.
Conf. Hoc esse Regem est, esse justitiâ pium,
Pietate justum; Numinum ulciscî probra,
Et vindicare scelera, queîs sacris honor
Adimitur aris. Istud est stirpi suæ

Asse-

Asserere regni purpuram, & sceptri decus
Suo obtinere sanguini, ac Superis parem
Mereri honorem. *Nab.* Sistite huc magni Jovis,
Et dignitatis regiæ spretos reos
Nostrum ad tribunal. Fateor, ingenuus amor,
Quo digna sorte capita meliore æstimo,
Et eminentem spiritum, & mores graves,
Ductam per omnes indolem recti vias,
Sagax acumen mentis, & honesti sitim
Suspicio, grande vulnus infigunt fibris.
Video juventæ nobilem florem, decus
Grande Babylonis, criminis tanti reum;
Ut sit necesse morte supremâ malo
Ponere remedium, & legis imperium sequi.
, At cogi amantem, ut oderit, quantus dolor!
Quod odi amare, odisse quod amo: quid hoc
rei est?
Idem esse cogor carnifex, idem pater.
Amor parentis indit affectum fibris;
Odium, tyranni. Rursus affectum patris,
Expellit odium; at hebetat armatas amor
Carnificis iras. Sed rei in scenam gradum
Ferunt supremum. Fingere, & fingi juvat.

SCENA XII.

Sistuntur Nabuchodonosori juvenes: vacillat Rex inter amorem & iram: tandem quòd in Religione constantes perseverent, in ardentem fornacem conjiciuntur.

Idem, quibus accedunt tres juvenes.

Neb. Quod crimen horret animus, hoc vestrum caput
Contaminatum fama per vicos canit.
Credamne ritus patrios, cultos avis
Deos, & aras Numinum à vobis peti
Frequente probro? Numini nostro aureo
Negari aerras? Regis edictum joco
Ludoque haberi? Fuerit hoc vestrum nefas.
Nunc si remoto errore decretis meis
Cernam obsequentes, quando clangorem tubæ,
Cytharæque, fistra, & tibiæ harmonicum melos
Dabunt ad aram; & poplite inflexo meum
Numen coletis thure; redivivus favor
Regis priore major, & toto sinu
Fluent perennes gratiæ, ingentes opes,
Primique honores. Vestra si steterit gelu
Mens obstinata, & Numini nostro dare
Cultum abnuetis, Lachesis in foribus sedet
Succincta flammis, æstuat fornax neci
Parata vestræ. Quod nequit Regis favor
Corrigere, justus ignis exuret scelus.
Quis vos Deorum Regis eripiet manu?

Sidr. Nec gratiarum flumina, nec ignis crepans,
Nec fulgor auri, nec tyrannorum metus
Suadebit aliud Numen Insontes potes
Damnare ad ignem: at ille, quem flexo genu
Deum veremur; ille, cui puro damus
E corde vota, turbine frementis potest
Eripere flammæ, si lubet: si non lubet,

Æquè

Æquè veremur unicum & verum Deum
Poli, solique; nec tuos colimus Deos,
Nec thura statuę, aut marmori, aut saxo damus,
Nabuch. Et ista Regi? mihi? novo in terris Deo,
Parique Superis? Ite, succensis crepet
Flammis caminus: ardeat, & ipsis vapor
Minetur astris. Tollite rebelles Diis,
Regi infideles, noxios patriæ, impia
Exempla civi. Tollite; ac collum, pedes,
Manusque vinctos pabulum flammis date.
Misach. Si quod patratum crimen est, sancto palam
Teste est probandum. Perfidus dici nequit,
Quem vera vero Numini adstringit fides.
Abden. Imò hic fidelis solus est. Deitas ubi
, Est ficta, vera degere religio nequit.
Nab. Audi innocentes! Sacra qui rident Deûm,
Qui gloriosum in sanguinem Regis furunt,
Divinitatem denegant, regnum gravant,
Hi sunt fideles, sancti, & innocui, & pii.
O capita digna Tartari exuri focò!
Sidr. Risisse fateor sacra, queis fidi malè
Dii coluntur: aliquid in Regis caput,
Injuriosum in sceptra tentatum, nego.
Mis. Hunc nostra semper studia spectârûnt scopum;
Ut gloriosus nominis splendor tui
Majore semper luce radiaret, tua
Regna ampliatis finibus, terræ & maris
Describerentur terminis. Dicta id probant,
Et acta nostra.
Nab. Non nego. Robur suum

Sit veritati. Quidquid est actum hactenus,
Fidelitatis specimen, & veri fuit
Exemplum amoris: Sceptra adornârunt, meo
Lucem dederunt nomini; regno utili
Studio adstiterunt. Perdere hos juvenes, mea
Jactura magna sortis est: columen perit
Virtutis altæ, nobilis morum tenor,
Exculta Suada nectare, excelsa indoles,
Natura facilis, vivus ingenii vigor,
Porrecta frontis gratia, impavidæ manus
Ad arma Martis, animus instructus gravi
Scientiarum mole, prudentis sinus
Pectoris, & omne gratiæ humanæ genus.
Isti in favillam concidant? Sed quem mihi
Rogum parabo? Vivet in mentis sinu
Venusta species oris, atque imas foco
Uret medullas; inde carnifice dolor
Populatus ungue corda me merget Styge.
Sed quis furentis pectore extergit minas?
Quis æquitatis semitâ abductum procul
Ad iniqua torquet? Capita sacrilega dolos
Struxêre Regi, patriæ interitum, Diis
Exilia. Non hîc plecto, quæcunque est mei
Jactura capitis: læsa majestas Deûm est:
Hanc vindicari regiâ dextrâ decet.

Abd. Sed quæ rigenti marmori, aut auro potest
Inesse Deitas? Nil videt, loquitur nihil,
Nil se movet, nihil sapit, nihil potest.

Neb. Libet experiri. Et turbine ardentis picis
Docete Regem, vindices an sint Dii,

An

An quid per ignes læsa majestas queat.
Abripite, flammis mergite nefandum genus.
Excedo scenâ. Sæva quæ statui, nequit
Amor videre. Cordis ò tormentum! amor.

SCENA XIII.

Tres juvenes in camino ignis solatur Angelus: illi laudes Deo decantant.

Temnar. Melsar. Angelus. Tres juvenes.

Temn. HAbent. Peractum est. Justa supplicia reos
, Tandem assequuntur, bella qui Superis movēt.
Melsar. Quem Diis negârunt, ignis hic ignem luit.

Canticum Puerorum.

Angelus. FIde cœlo flos juventæ,
Non peribis. Innocente
Ardet ater ignis irâ:
Glorioso in triumphos
Hæc favilla promicat.
Non peribis. Laude Numen
Invidendâ tolle cœlo;
Cujus arte vis adempta est
Ignibus, teque innocente,
Flamma lambit osculo.
Tres juvenes. Solis ignes, astra cœli,
Aëris volantis auræ,
Nubium sinus liquentûm,
Imbrium vis defluentûm
Laude Numen tollite.
Vis coruscâ fulget rorum,

Fulminumque decidentûm
Ira grandinis procella,
Gemmeiq; roris imbres
Laude Numen tollite.
Frigus, æstus, nix, pruina,
Bruma, verni flos decoris,
Lustra, montes, arva, fontes,
Fontiumq; garrulæ undæ
Laude Numen tollite.
Ambulantis unda rivi,
Fulminumque grandiorum
Turba, pontus, & procellæ,
Fluctuumque lis sonantûm,
Laude Numen tollite.
Quidquid ignis, terra, pontus,
Quidquid ambitus polorum
Circulo natante cingit,
Nox tegit, diesque pandit,
Laude Numen tollite.

SCENA XIV.

Intervenit Rex, admiratur *cantantium* melos, advertit quartum; videt *illæsos*; agnoscit Dei potentiam; educi jubet tres juvenes, eorum Deum honorari; ac iis honores decernit.

Nabuchodonosor. Senatus. Aula. Arioch.
Tres juvenes.

Nab. QUi core ductus melleo è flammis sonus
Titillat aures? Mentis ò captæ stupor!
Portenta rerum! Melior humano sonus
Divinioris aliquid artificis sapit.
Quid video rursus? nonne tres tantùm mea
Damnavit ira? nonne tres solùm furor
Vester liquentes ignium in flammas dedit?
Senat. Ternos, nec ultra.
Nab. Nulla quæ vidit dies
Ostenta, video. Juvenis in medio rogi
Quartus, humerorum grandior tractu, Deus,
Et dignitate corporis, & oris notâ,
Tetâque fronte, Sidrach! Abdenago! Misach!
Dilecta soboles Numini, vivus rogo
Efferre gressum. *Sen.* Nulla violentæ pyræ
Vis læsit artus. *Cons.* Nullus est capite pilus
Ambustus igne.
Arc. Nullus in amictu est odor
Flammæ superstes. *Nab.* Solus est vester Deus
Honore dignus; cujus imperio stetit
Angelus in igne medius, & servos suos
Exæstuantis jure fornacis tulit
Vivas in auras. Solus est vester Deus
Honore dignus, cujus incensum datis
Sabæum ad aras; cujus ad leges mea
Decreta jure spernitis, cujus suâ
Integritate cultus urgaret, nec

Benè

Benè prostitutâ sanguinem, & vitam dare
Forti juventæ placuit. Hîc solus Deus,
Soli crementur thura. Si quisquam audeat
In hunc vel atræ bilis eructu impiâ
Jactare probra, aut voce blasphemâ sacrum
Violare honorem, pereat infandum caput,
Cœlo execrandum. Rex jubet: pereat: neque
Nomen superstes tertius sciat nepos,
Nisi ut recente semper extinguat probro.
Quidquid Deorum est hactenus cultum, mera
est
Deitatis umbra: solus ac verus Deus
Est, qui innocentes eruit flammæ rogo.
At vos, amica capita, complexum date.
Nostroque dulcis sarcina à collo pares
Pendete natis. Plausuum quidquid meo
Jussum colloquio est, gloriæ vestræ fluat.
Huc regiarum frontium augustum decus,
Huc sceptra manibus, purpuram huc lateri
date.
Quos sic honorat Numen, à nobis quoque
Cœli merentur. *Sidr.* Gloriæ hunc plausum Deo
Decerne soli, debitum soli. Decet
Illum referre, qui prior munus dedit.
Misach. Non est facultas hominis, undantis rogi
Infringere æstum: tota vis cœlo venit.
Huic Rex honorem defer.
Abd. At rursum tuos
Nos esse patere. Viximus prompti dare
Venis cruorem: vivimus rursum tui

Stru-

Studioſi honoris, vindices famæ, domûs
Regnique ſervi. *Nab.* Veſtra perſpecta eſt fides:
Fidei referre præmia at Regem decet.
Accipite veſtræ gloriæ teſtes notas,
Noſtrique amoris. Diſcat id mundus: Deum
Non eſſe Regem: at eſſe regnantis Dei
Fidum miniſtrum; cujus à dextra fluunt
In promerentes præmia, & virtus ſuos
Refert honores.

Coronatis inter cantus.

INclita pubes, nata heroo
Sanguine, noſtri gloria regni,
Dignaque regnis, vive, perenna.
Cui benè culto in pectore virtus
Animi blandum tenet imperium,
Loroque regit breviore feræ
Jurgia mentis; qui ſibi leges
Juraque dictat, Rex ipſe ſibi
Civisque ſimul, quique potenti
Civem & proceres ad virtutem
Trahit exemplo, præfertque facem;
Ille meretur radiante regi
Latus ac humeros muricis oſtro.
Inclyta pubes, nata heroo
Sanguine, noſtri gloria regni,
Dignaque regnis, vive, perenna,
Cui ſapientis Palladis arte
Sinus eſt cultus, cui gravis ore
Sedet eloquii copia in omni

Fortis

Fortis arenâ, & grandia linguâ
Consilia fluunt, quibus aut juvenum
Studia accendat Martis amore;
Aut senia senum in commoda patriæ
Placido ducat pacis amore:
Ille meretur tantâ ornatam
Pallade frontem cingere gemmis,
Inclita pubes, nata heroo
Sanguine, nostri gloria regni,
Dignaque regnis, vive, perenna;
Cui dextra potens arma rotare,
Frangere quidquid furor hostilis
Marte minatur, rumpere fluctus,
Quos capitali damno in patriam,
Sive per ignes, sive per arma
Bellona vehit: cujus in armis
Sedet invictæ gloria gentis,
Regisque salus, regnique decus;
Ille meretur regia dextrâ,
Populi legem, sceptra rotare.
Inclyta pubes, nata heroo
Sanguine, nostri gloria regni,
Dignaque regnis, vive, perenna.

FINIS.

FACVLTAS
R. P. Provincialis.

EGo Ioannes Bertholdus Soc. IESV per Provinciam Austriæ præpositus Provincialis, potestate mihi factâ à Patre Nostro Ioanne Olivæ Præposito Generale, facultatem concedo, ut Dramaticæ Poëseos Pars III. in qua continentur, Tyrannis Idokerdi, seu Privati Commodi: Hermenegildus: Olaus Magnus: David de persecutione Saulis ad regnum evectus: & Sidrach, Misach, & Abdenago; à P. Nicolao Avancino ex eadem Societate conscripta, & à tribus memoratæ Societatis Patribus de more revisa & approbata, typis mandetur. In quorum fidem meâ manu subscripsi, & consuetum officii sigillum appressi. Viennæ, 2. Aprilis. Anno 1671.

(L. S.)

JOANNES BERTHOLDUS.

INDEX ET SERIES DRAMATUM.

TYRANNIS IDOKERDI, sive Privati commodi, seu ut vulgò vocant, INTERESSE. fol. 1
HERMENEGILDUS. fol. 168.
OLAUS MAGNUS. fol. 306.
DAVID de persecutione Saulis ad regnum evectus. fol. 407.
SIDRACH, MISACH, ET ABDENAGO. fol. 496.